


D. SAMUELIS SCHELGUIGII,
MANUDUCTIO
AD
AUGUSTANAM CONFESSIONEM,
QUÆ
IN TABULIS EXPLICATUR,
QUA CONTROVERSIAS POTIORES
DEMONSTRATUR,
ET
AB ADVERSANTIUM CALUMNIIS
VINDICATUR:
CUM PROLOQUIO
AD VENERABILE COLLEGIUM
THEOLOGORUM,
IN ACADEMIA WITEBERGENSI.

GEDANI,
Typis & Curâ JOH. ZACHARIÆ STOLLII,
ATHENÆI TYPOGRAPHI. 1711.

Bibliothecae Elbingensi publicae mittit Autor.



2592

Pol. 8. II. 883



VIRIS

Summè Reverendis, Magnificis & Excellentissimis,

DOMINIS,

DECANO, SENIORI

AC PROFESSORIBUS

THEOLOGIÆ PUBLICIS,

IN ALMA WITEBERGENSI,

De Universâ Ecclesiâ Meritissimis,

ac nominis immortalitate celeberrimis,

Dominis, Fautoribus, atq; in Iesu Christo Fratribus,

debito cultu atq; affectu prosequendis;

Gratiam ac Pacem â Deo pacis, per Christum gratiæ restauratorem, in Spiritu S. gratiæ ac pacis sigillo; cum devotâ salutis apprecatione, sincerâq; officiorum contestatione!



I *oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextra mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* (α) Hice verbis Judæi, patriâ extorres, gratum erga metropolim antehac suam animum testabantur. Cum enim

(α) Ps. CXXXVII. 5. 6.

Ierusalem *ædificata fuisset, ut civitas sibi invicem sociatorum esset: quo ascenderent tribus, ad confitendum nomini Domini: ubi sedes figerentur ad judicium, sedes domûs David*, (β) h. e. ubi publicus Dei cultus in templo, justitiæque, suum cuique tribuentis, exercitium in tribunalibus floreret; tantum abest, ut eorum, quæ magno suo commodo ibi audiverant, quæ viderant, quæ experimento didicerant, memoriam alibi deponerent; ut potiùs si fortè posthac unquam ista meminisse desinerent, malum sibi ipsis imprecarentur. Non equidem ego conjecturæ illi, quod Iudæi in exilium migrantes, Hierosolymam annulis armillisque insculptam, ut manus suas intuentes perpetuò dilectissimæ recordarentur civitatis, secum exportarint, quicquam tribuo. Quis enim militaris rapacitatis non omnino ignarus, Chaldæos â se devictis, quos seminudos vinculisq; constrictos in servitutem abducebant, annulos & armillas reliquisse, crediderit? At manus tamen suas, ex quibus dextram sinistræ haud abs re præferebant, & linguam, quâ cum Ieremiâ de miseriæ magnitudine conquerebantur, Deumq; pro remissione peccatorum & aversione malorum ardentibus precibus implorabant, adhuc retinentes, se justissimo Numini devovent, ut sicubi Hierosolymæ apud ipsos subreperet oblivio, cœlestis Pater nec dextræ eorum ad negotia feliciter perficienda extentæ, ampliùs recordetur, linguamque faucibus faciat adhærere.

Hæc Iudæorum verba jure meritoque mea nunc facio, de Witebergâ, studiorum meorum Matre, Academiarum in Germa-

(β) Ps. CXXII. 3. 4. 5.

Germaniâ ocello, ejusq; collatis in me beneficiis, *dicturus*
Recipiebar in istud pietatis, orthodoxiæ & omnigenæ eruditonis domicilium, â reparatâ per Christum salute anno MDCLXI. Rectore Magnifico, JCtorum apice, D. Caspare Zieglero, adventantem d. 5. Maji Albo civium Academicorum inserente. Ibidem verò triti illius, quod *lapis sæpè volutus musco non obducatur*, probè memor, usq; ad 26. Nov. MDCLXVII. non sine fructu, commorabar. Tametsi enim intereâ vicinas quoque Academias, Lipsiensem, Ienensem, Helmstadiensem, Francofurtensem, Erfurtensem, diversis temporibus, visitaverim; paucissimas tamen septimanas itineribus illis, impendi; semper quantâ fieri poterat velocitate Witebergam meam revisens. Hic primum biennium præcipuè Philosophicis studiis impendebam atque Ethicam â D. Michaele Wendelero, Historiam & universum Matheseos cursum â Lic. Ægidio Strauchio, Professoribus publicis: Logicam â M. Ernesto Backio, Metaphysicam â M. Henr. Baumanno, Physicam â M. Samuele Hentschelio, Facult. Philos. Adjunctis: Politicam â M. Iohanne Friderico Hornio & Hebraica, in primis, quas tum aperiebat. scholis, â M. AugustoPfeiffero, cum quo ab eo tempore, usq; ad extremum vitæ ejus, intemeratam amicitiam colui, audiebam. Præceptores autem meos, amplioribus muneribus posteà admotos, iis nunc compello titulis, quibus cum ab illis docerer, gaudebant. Inter illos Lic. Strauchius, abhinc Theologiæ Doctor & Facultatis hujusce Assessor, quo Præside duos exSenariis, quos edebat, historicis, alterum 16 Augusti MDCLXII. & alterum 14. Februarii MDCLXIII. respondendo defendi, sin-

 gulari

gulari me amplectebatur favore, librisq; in Dissertationibus scribendis, exemplo non ubiq; obvio, promtè adjuvabat. Reliqua paterni animi in me documenta sicco pede transeo, istud unum exprimens, beatum Virum â Deo commotum videri, ut futurorum licet ignarus, quem Gedani deinde Collegam tandemq; Successorem habuit, ad Spartam decenter ornandam, maturè præpararet. Eodem præprimis monitore factum est, ut quinto post Disputationem M. Danielis Spiegelii, quam de *Sabbatho dierum*, pro Præsidio, me feliciter per Dei gratiam respondente, ventilaverat die, qui 22. Aprilis erat, Magisterii philosophici insignia, decenter priùs expetita, ab Andreâ Sennerto, Linguarum Orientalium Professore Publ. Facultatis suæ Decano, atq; tum Hospite etiam meo, capesserem, ac in Academicum illud eruditionis testimonium, quicquid ex paternâ hæreditate supererat, erogarem Temerarium videri poterat consilium, ut incerta per privatas Scholas emergendi spes, certissimo, quod pro honoribus novis solvendum erat, pretio emeretur: Parui tamen, Deo confisus, qui difficillima rei tentatæ primordia exoptato progressu clementissimè ita coronabat, ut me pecuniam in loco neglexisse, tandem magno cum emolumento experirer. Nam alterâ statim, ab impetrato gradu, septimanâ, Logicum, quod vocant, Collegium aperiebam, legendoq; & disputando, gratìs absolvebam. Quo ad Colophonem perducto, cum mense Septembri sub D. Wendelero pro Habilitatione, ut vulgò dicitur, seu pro facultate præsidendi, *de Boni Politici requisitis* disputassem, paulò post, nempe 3. Octobris, indulgente Amplissimo Philosophorum Ordine, supe-

ſuperiorem cathedram primâ vice conſcendebam, Novum iſtud, pro conſveto Academiæ more, quaſi Examen erat, cujus rigor ex ſententiâ Auditorii ſuperatus, haud parum fortunæ meæ augmenti conferebat. Creſcebat enim ex eo non modò amor Studioſorum, ſed & Profeſſorum erga me favor. Ex Profeſſoribus quidem præ cæteris nominari meretur, Vir â Muſis & Gratiis factus, *OTTO PRÆTORIUS*, Poëſ. Prof. P. & Hiſtoricus Electoralis, cui pro benevolentiâ mihi exhibitâ ſatis gratiarum exſolvere nequeo: Illius doctrinæ & exemplo debere me profiteor, quod rationem prudenter, cum diverſis hominum generibus, converſandi, maturè didici: Ille in menſæ domûsque contubernium recepto, de ephoriâ, ex quâ commodiùs viverem, proſpexit: Ille ad Buchnerianam Bibliothecam, ſibi dotalem, mihi liberum acceſſum librorumque uſum concedebat: Ille, ut paucis dicam, nihil petenti negabat, & quo animi ſecreta panderet, 1 Novembris 1664. Philothecæ, in quâ me *Convictoris* & *Contubernalis dilectiſſimi* nomine dignabatur, ſequentes verſiculos inſcribebat:

Schelguigi, quem Phœbus amat, quem Pallas honore
Mactat, & ad meritum Svada diſerta colit.
Accipe, noſter amor, ſinceræ pignora mentis,
Semper & affectu me fore, crede, tuum.

Quod verò ad Studioſos attinet, quàm cupidè illi docentem me ſecuti ſint & auditoria, quæ conduxeram, etiam capaciſſima, impleverint, alienis celeberrimi D. IOHANNIS DEUTSCHMANNI, Theologi de Eccleſiâ Evangelicâ indefeſſis laboribus multò meritiſſimi, verbis, quibus

in

in programmate inaugurali, anno MDCXXCV. utebatur, quàm meis, exponere malo: Ita autem vir religiosissimus & ab adulatione alienissimus: *Impetratâ docendi privatim, & disputandi publicè potestate, talem se gessit, ut apud Superiores favorem, apud æquales amorem, apud inferiores & auditores honorem, apud exteros famam non vulgarem mereretur. Scholas enim utiles & fructuosas aperuit, & universam Philosophiam sæpius Auditoribus suis ita proposuit, ut & methodi dexteritate, & proponendi facilitate, & sermonis perspicuitate & fructuum ubertate, se cunctis commendaret. Inde factum, ut non modò frequens Auditorum numerus ad Scholas Ejus privatas, discendi Philosophiam ergo, concurreret; sed etiam Disputandi desiderium multorum animos accenderet, ut â SCHELGUIGIO potissimùm artificium Disputandi sibi compararent. Frequentiores igitur Scholas Disputandi privatim Comilitonibus suis instituit, & vicies novies, quod exempli rarioris est, de materiis arduis, publicas in utroque Auditorio Disputationes Præses habuit. Et quia non modò studiosam juventutem ad solidiorem Philosophiæ cognitionem, felici sucessu manuducebat, sed elegantiores etiam literas, & liberaliora studia, quæ vocant, excolebat, ideo Nobilissimorum etiam Juvenum Ephorus non semel constitutus est; in quâ functione talem se probavit, ut nunquam deessent, qui nostrum Candidatum ad Ephorias ejusmodi vocarent. Ejus enim erat diligentiæ, ut indesinenter sibi Commisßis sapientiæ doctrinam inculcaret; ejus sapientiæ, ut difficilia quæque verborum perspicuitate, docendique facilitate, cunctis explicaret; ejus prudentiæ, ut unicuique suum destinaret, & in omnibus laboribus fuctum non contemnendum suis Auditoribus*

ribus conciliaret. Hucusq; Decanus Facultatis suæ spectabilis, qui si ex affectu, in laudibus Candidato Theologiæ tribuis, præter opinionem fortè alicubi modum excessit, ne id mihi fraudi sit, oro; cui hoc Witebergensis in me favoris specimen, silentii involvere sipario, haudquaquam licuit. Verissima autem esse, quæ de numero Disputationum publicarum, in inclutâ Academiâ me Præside ventilatarum, in dicto Programmate traduntur, eâ etiam de causâ exponendum esse reor, ne amoris, quo me Respondentes complectebantur, memoria intercidat. Sic igitur, me Duce, in cathedrâ partes suas egerunt Ao. MDCLXIII. (1.) 3. Oct. Iohannes Clausenius Dithmarsus, *de Seditionum causis* (2.) MDCLXIV. mens. Febr. Godofredus Loescherus, Chemnicio Misnicus, in primâ Dissertationum Ethicarum (3) 16. Julii, Christianus Gedicus, Fürstenwaldensis Misnicus, in secundâ earundem (4.) mens. Augusti Johannes Fridericus Profius Siles. *de Amore Patriæ* (5) mens. Sept. Ioh. Andreas Noethe Witebergensis, in III. Dissert. Ethicar. (6) 10. Novembr. Benjamin Loescherus, Chemnicio-Misnicus, *de Neutrâ parte*, quam Neutralitatem vulgò vocant; MDCLXV. (7. & 8.) 22. Aprilis, Carolus Augustus â Neitzschitz, Eques Misnicus, horis matutinis de *Principe*; & horis pomeridianis *de Tyranno*: quarum utraq; insolito alioqui, apud Magistros, Collegio nondum adscriptos, exemplo, ex gratiâ Philosophicæ Facultatis, in Auditorio Majori habebatur. (9) 3. Maji M. Godofredus Loescherus, Chemnicio-Misn. *de Formâ Physicâ* (10) 23. Augusti, Hartwichus Holste, Raczeburgensis Saxo, *de Societate nuptiali*. (11) 30. Augusti,

Johannes Gvilielmus Hilligerus, Chemnic. Miſnic. *de Beliſario.* (12) 4. Oct. Carolus Auguſtus Neitzſchitz, Eqves Miſn. ſuper Pronunciatorum Politicorum Senarium I. (13) 11. Oct. Daniel Thebeſius, Lignitio-Sileſ. ſuper Senar II. (14) 4. Nov. Nicolaus Lindholtz, Chilonienſis Holſat. ſuper Senar. III. (15.) 8. Novembr. Ioh. Abraham â Sebottendorff, Eqves Sileſ. ſuper Senar. IV. (16.) 11. Nov. Chriſtophorus Eſſerus, Friedebergâ Marchicus, *de Virtute Heroicâ.* MDCLXVI. (17) 17 Martii, Iohannes Godofredus Moerlinus, Lignitio-Sileſ. *de Terræ motu* (18) 21. Martii, Erneſtus Fridericus Katte, Eqves Magdeburg *de Iuribus Majeſtatis* (19) eodem die, horis pomeridianis, Nicolaus Langius, Ieſſenâ Saxo, ſuper Pronunciatorum Polit. Senar. V. & VI. (20) 15. Septembr. Ioh. Aſſenburg, Græſenhein. Saxo, ſuper Senar VII. & IIX. (21) 28. Nov. Hermannus Hagge, Huſo Holſatus, ſuper Senar. IX. & X. MDCLXVII. (22) 11. Maji, Joh. Joachimus Francke, Lipſienſis, *de Bello* (23.) 22. Iunii, Caſparus Doering, Sileſius, *de Legatione* (24) 14 Seprembr. Joh. Georg. Lehmannus, Luccaviâ Luſatus, *de Spectris, quæ pro Subſtantiis mediis inter Spiritum & Corpus, habentur* (25) 31. Oct. Maxæmilianus â Mauſchwitz Eques Sileſius, in ipsâ quæ pro Loco, ut vocant, â me ſuſcipienda erat, excercitatione, *de Modis conſequendi Majeſtatem* (26) 2. Novembris Andreas Helwigius Gorlicenſis, *de Magiâ naturali* (27) 20. Novembris, Johannes Schelguigius, Gurâ Sileſ. Frater meus germanus, *de Magnificentiâ* (28) 23 Novembr. Wolffgangus Abrahamus â Gersdorff, Eques Luſatus, *de Iure Linguæ* (29) eodem die; horis pomeridianis, Godofredus Eberſchbach, Hirſchbergâ Sileſ. *de Juribus*

Maje-

Majestatis Ecclesiasticis. Numerus igitur ille Disputationum mearum, â nonnullis in dubium vocatus, exactè sibi constat, atq; ex eo pariter, qui tibicines favorem amplissimi Philosophorum ordinis, post Disputationem XXIV. me Collegii sui Adjunctum 18. Sept. MDCLXVI. gratiosè declarantis, sustinuerint, videre est.

Nec tamen Philosophiæ ita me impendebam, ut paterni voti, quo in primâ infantiâ, cum lethali morbo colluctans, Theologiæ, si reconvalescerem, consecratus fueram, immemor, sanctissimi hujus studii culturam negligerem. Hocce enim jam Anno MDCLXII. quo D. Joh Deutschmannus, D. Andreæ Kunado in Professione ordinariâ succedebat, Philosophiæ propitio Numine conjungere incipiebam. Maximæ autem felicitatis locoâ me habetur, quod Præceptores nactus sum, ab omni hæreseos labe, imo & suspicione immunes, videlicet, Abrah. Calovium (ô quantum nomen!) D. Joh. Meisnerum, D. Joh. Andream Quenstedium, & D. Joh. Deutschmannum, Professores Theologiæ ordinarios; quibus jure meritoque duos extraordinarios, D. Michaelem Wendelerum, & quem, propter singularem in docendo perspicuitatem, intentiori studio sequebar, D. Ægidium Strauchium, adjungo. Publicæ Lectiones & Disputationes, in quibus plurima me, præsertim in Exegeticis, ex Calovianis super Grotiana Biblia commentationibus & recitationibus, itemque ex *Wendeleri* explicatione Paulinarum Epistolarum didicisse, gratus profiteor, in tanto aliorum confluxu, negligere religioni duxissem. Privatim D. Calovio, Socinianorum errores in auditorio domestico profliganti,

ſliganti, conſtanter adhærebam, atque â venerabili Præſide, cum arduum *de Perſonâ Chriſti* Articulum reſpondendo defendiſſem, non elogio ſolùm, ſed quod longè majoris facio, devotâ benedictione, pioque, quod Deus OPT. MAX. poſteà ratum eſſe juſſit, omine, mactabar. Apud D. Meiſnerum ſcholas Anticalvinianas frequentavi & cum Magiſtris quibusdam aliis, Conciones ipſi in templo Arcis. Feriâ ſextâ cujusvis ſeptimanæ aſſignatas, quoties ordo me tangebat, vicariâ operâ obivi. A D. Quenſtedii, Antiquitates Eccleſiaſticas proponentis, ore ſedulus pependi. In D. Deutſchmanni diſputationibus aliquoties oppoſui. Sub D. Strauchio primùm Lectionibus Antipontificiis, deinde & in magno, quod ſic appellabant, Collegio, videlicet Thetico, Polemico & Caſuiſtico, lectorio, diſputatorio & concionatorio, â capite ad calcem, quâ fieri poterat attentione, interfui. Ex quo factum eſt, ut Decanus venerandæ Facultatis Theologicæ ſuprà laudatus, ſed nunquam ſatis laudandus, D. Deutſchmannus, Programmati, quo ad Orationem pro Licentiâ habendam, aditus mihi parabatur, ſequentia inſereret: *Amor erga Theologiam Candidato noſtro non adſcitus, ſed nativus erat. Hunc amorem â Majoribus, ex hæreditatis jure, poſſidebat: hunc â parentibus piis ſibi commendatum noverat: hunc etiam animi propoſito firmiſſimo ſibi decernebat &c. Audivit ad hunc ſcopum ſuum ſedulò Venerandum Dn. Seniorem, Virum & meritis in Eccleſiam, & famâ celebratiſſimum, Dn. D. Abraham. Calovium, B. Dn. D. Joh. Meiſnerum, Summè Reverendum Dn. D. Johannem Quenſtedt, Collegam conjunctisſimum, & in privatis & in publicis Lectionibus,*

mous, & ex Ipſorum accuratiſſimis Diſputationibus, non modò varios eruditionis Theologicæ theſauros collegit; ſed etiam accuratam cum Adverſariis congrediendi poteſtatem inde concepit. Meos quoque labores, publicos & privatos, & frequentiſſimas Diſputationes non neglexit, ſed ex iis etiam profectuum Theologicorum ſucceſſum quæſivit &c. Neq; minus ſibi gratulatur, quod olim B. Dn. D. Ægidii Strauchii, Profeſſoris antehac apud nos Hiſtoriarum celeberrimi, poſt autem in Rectoratu, Profeſſione Theologicâ & Paſtoratu ad Ædem S. S. Trinitatis, Anteceſſoris optimè meriti, fideliſſimâ manuductione privatâ, non minùs in Theologiâ, quàm in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ mirificè ſit adjutus. Hæc quidem non ſolùm pietas erga Præceptores quondam meos, æternùm ſuſpiciendos; ſed vel maximè inſuper impietas eorum, qui cum ut αὐτοδίδακτοι alios ſibi ſimiles eſſe vellent, quicquid libuerit, de iis comminiſcuntur & ſpargunt, paulò prolixiùs enarrare coëgit.

Atat Witebergæ quodammodò affixum & de nullâ re minùs, quàm de loci mutatione cogitantem, provida Numinis diſpoſitio, ſvaviſſimæ ſtudiorum Matri, improvisò valedicere jubet. Thorunium enim, ubi ne locum quidem fortunis meis ullum vacare noveram, ad Conrectoratum Gymnaſii, â Magnifico Civitatis Senatu vocatus, ex voto, quo me ad acceptandum munus, undecunq; divinitus offerretur, cœleſti Patri obſtrinxeram, Witebergâ 26. Novembris, anno MDCLXVII. teſtimonio honorifico, autoritate Rectoris Magnifici, D. Conradi Victoris Schneideri, Medicinæ Profeſſoris, pridiè diſceſsûs mei ſignato, viaticatus, abibam; Thorunii autem per quinquennium ferè Deo ſervivi, uſq;

dum Gedani anno MDCLXXIII. ad finem declinante, ex voluntate Amplissimi Scholarcharum Collegii, penes quos eo tempore jus vocandi erat, ordinariæ Professioni Logicæ, Metaphysicæ & Philosophiæ Practicæ; ac anno MDCLXXV. jubente Magnifico Senatu, simul extraordinariæ Professioni S. S. Theologiæ præficiebar. Quomodô â Philosophiâ quasi manumissus, anno MDCXXCI. Ministerio Ecclesiæ ad D. Catharinæ, eâ lege, ut Theologiam nihilominus in Athenæo docere pergerem, admotus fuerim, hîc dicere non attinet. Istud verò haud reticendum, quod sub initium anni MDCXXCV. Magnificorum, Consultissimorum & Spectatissimorum Reipublicæ nostræ Ordinum suffragiis, Rector Athenæi & Pastor Ecclesiæ ad S. S. Trinit. legitimâ vocatione constitutus fuerim. Pridem antè Reverendissimus D. Calovius 17. Augusti MDCXXCIII. cuidam, ex præcipuis inter Proceres nostros, per epistolam quasi in aurem dixerat: *De Rectoratu supplendo non arbitror necessarium, ut operosè scribam; qvum egregius ad manus sit Professor extraordinarius, cujus fides sincera, eruditio insignis & dotes præclaræ orbi notissimæ sunt; quem si huc mittere dignemini, cum applausu totius Academiæ, honoribus Doctoralibus, quos pridem meritus est, afficiemus. Neque enim facilè digniorem, ad Spartam eam exornandam invenire licebit. Precor autem devotè, ut dirigat omnia felicissimè divina clementia, ad sui nominis gloriam ac Athenæi vestri salutem & incrementum.* Consilio huic divini Viri satisfiebat, quando â Magnifico Senatu literis systaticis 9. Aprilis MDCXXCV. instructus, Witebergam, ad gradum Doctoratûs petendum, dimittebar. Sic igitur,

ipso

ipſo Paſchatis Feſto, portâ ex ſingulari benevolentiâ, ante tempus ordinarium, apertâ, Witebergam, quam ante annos XIIX. cum lachrymis reliqueram, denuò lætus ingrediebar & quod diſceſſurus Philothecis offerentium, ignarus futurorum, inſcripſeram, lemma: *Quo me fata trahunt, retrahuntque:* non caruiſſe omine, animadvertebam. Plurimos adhuc ex Præceptoribus quondam meis, Fautoribusq; ac Amicis, inveniebam vivos. Inter ordinarios Theologiæ Profeſſores ſolus D. Meiſnerus diem obierat, de cujus ſucceſſore veriſſima iſthæc in Programmate, ad quod binis jam vicibus provocatum eſt, inaugurali leguntur: *Gratulatur ſibi* (Candidatus) *vehementer, quod modò cum Magnifico hujus Academiæ Rectore*, Dn. *D. Johanne Friderico Mayero, conferendi converſandiq́ exoptatiſſimam occaſionem inveniat.* Quid multis? Hoſpitio & menſâ â D. Calovio, receptus, neq; ipſum, neq; D. Quenſtedium, aut D. Deutſchmannum, â paterno, quo me Auditorem antehac proſequebantur amore, quicquam intereà remiſiſſe, ex luculentis documentis perſpiciebam. Quàm verò cum incomparabili D. Mayero & dulcis & proficua mihi interceſſerit conſvetudo, ac quàm arctum, præſertim poſt depoſitam ab eo Academiæ purpuram, ex quotidianâ ferè converſatione, inter utrumq; amicitiæ vinculum coaluerit, tacere malo, quàm paucis enarrare. Abſit autem, ut ſingularia planè, nec in aliorum promotionibus facilè obvia, propenſiſſimi in me affectûs indicia, ſilentii peplo obtegam. Mirabantur certè ipſi etiam Theologi, quòd cum ad Orationem *de Priſcillianiſmo Syncretiſtarum*, habitam, ſolenni ritu deducerer, atque locum

multò

multò inferiorem, ex more recepto, occupare deberem, Philoſophi me, *ex merito* ut publicè ajebant, *erga Facultatem*, ultrò in medium ordinis ſui cooptarent: itemq; quod Collegii laudati Decanus ſpectabilis, Georg. Caſpar Kirchmajerus, in proximo abhinc die, ad actum promotionis Magiſterialis invitatum humanisſimè exciperet & tractaret. Nec reticendum, quod ut tempus aliquod pro acidulis Egranis, quas adire decreveram, lucrarer, ex gratiâ Facultatis Theologicæ, lectionibus, ut vocant, curſoriis, quibus ipſi Profeſſores intereſſe ſolent, & quas ex decreto Superiorum, ſuper Hoſ. XIII. 14. inſtituebam, duas pro unâ horas, ſingulis diebus, conſecrare licuerit. Deveniebatur hinc ad Diſputationem pro Licentiâ, *de Statu Eccleſiæ Evangelicæ, poſt beatam Theandri Lutheri mortem*, Præſide D. Quenſtedio, â me pro virium modulo defenſam. Majoris verò opellam meam qualemcunque, quam merebatur, â ſpectabili Decano D. Mayero æſtimatam eſſe, illud celeberrimi viri pronunciatum prodebat; cum finitâ velitatione, ex orcheſtrâ ſurgens, coram asſidentibus & circumſtantibus exclamaret: *Ecce Licentiandum, qui pro ſex aliis ſufficeret!* Cæterùm nec reliquis Facultatis venerandæ membris reſponſionem meam diſplicuiſſe, ex eo colligebam, quia nomine totius Collegii, remisſio Examinis rigoroſi, quod ſupererat, mihi gratiosè offerebatur: id quod tamen modeſtisſimè deprecabar, orans, ut, quæ verba mea erant, *omnem juſtitiam* Academiæ *mihi implere* liceret. Inſtituebatur ergo Examen per quadrihorium; quo finito & juramento, ut par eſt, religiosè præſtito 8. (18) Maji, â D. Meyero S. S. Theologiæ Licenciatus renuncia-

anciabar. Altero ſtatim die ad acidulas, quas dixi, Egranas, atq; hinc etiam ad thermas Carolinas proficiſcebar; cum intereà Competitor meus, Ieremias â Sütphen, Eccleſiæ Grimmenſis Paſtor vicinarumq; Superintendens, in Chriſto jam rebus mortalium exemtus, ſolitis exercitiis Witebergæ defungeretur. At nec favor Academiæ dilectiſſimæ erga abſentem ceſſabat: Rector enim, qui D. Mayero ſuccedebat, Magnificus, D. Godofredus Strauſſius, JCtus famigeratiſſimus, qui, more conſveto, Diſputationi meæ eruditisſima argumenta obverterat, priusquam idem officium Sütphenio præſtaret, in gratulatione ad Theologos de nupero Candidato, prolixè in laudes meas excurrebat: & Theologi ipſi, nullâ omnino prenſatione illecti, 30. Junii ultrò, ad Magnificum Senatum Gedanenſem, literas, quibus ob rem optimè, ut cenſebant, geſtam, Patronis enixiſſimè commendabar, expediebant. Revertebar verò Witebergam ſtato tempore & 25. Julii, ipſo Auguſtanæ Confeſſionis natali, Doctor creabar: quæ præcipua cauſa extitit, ut Gedanum redux, munùs ordinarium, lectionibus his in Auguſtanam Confeſſionem, quæ nunc leviter interpolatæ, luci publicæ exponuntur, auſpicarer.

Sic itaq; denuò â Matre ſtudiorum meorum divellebar; quæ autem poſt triennium, ſi providentisſimo Numini viſum fuiſſet, me benevolè repetebat. Nam conſummatisſimo Theologo, D. Quenſtedio, ad meliorem vitam tranſlato, non ſolùm Theologica Facultas in ſuo probulevmate, ſed & Academia univerſa, per præſentationem, me vacanti muneri ſucceſſorem deſtinabat. Nec Serenisſimo & Potentisſimo Electori, JOHANNI GEORGIO IV. glorioſæ memoriæ, hæc

 diſpli-

displicebat denominatio: quippe qui cum Professioni & Ephoriæ super Alumnos, insuper Assessoratum in Consistorio, sine ambitu omni, imo sine exspectatione meâ adjunxisset, clementissimis literit 30. Iulii MDCXXCIX. ad Senatum nostrum datis, dimissionem meam flagitabat. Sed obstitit fati reluctatio, quo minùs mihi, multitudine beneficiorum irretito, abnuentibus Patronis, cum eorum ingratiis, abire liceret, locumq; adeo repetitâ vice obtinuit, quod de me anno MDCXXCI. Gryphiswaldiam expetito, in Programmate Witebergensi, aliquoties allegato, legitur: *Nihil Deo sic volente & dirigente, recusantibus illis, in quorum Ministerio versabatur, Ipse definire vel potuit, aut voluit: Athenæo Gedanensi divinitùs datus & cælitùs consecratus erat.*

Tametsi autem attentata corporum conjunctio, haud succederet, mansit tamen intemeratus almæ Academiæ in me meosq; favor: cujus uterque Filiorum meorum participem se factum esse, & verbis & opere gloriatur: quippe ex quibus alter Ecclesiæ, quæ Deo ad D. Iohannis apud nos colligitur, sanam, quam Witebergæ didicit, doctrinam, nunc proponit; alter verò in Athenæo Philosophiam, quâ ibidem imbutus est, coram studiosâ juventute profitetur. Quod ad me ipsum attinet, non solùm cum meis quondam Præceptoribus, post fata perpetim devenerandis; sed etiam cum iis, qui in defunctorum & locum & merita surrogati sunt, fidele literarum mihi commercium intercessit: de quo frequ ntissimæ literæ Theologorum exquisitissimorum, in cœlesti patriâ jam triumphantium, D PHILIPPI LUDOVICI HANNEKENII, & D. JOHANNIS GEORGII NEUMANNI, in

in ſcriniis meis aſſervatæ, teſtantur. Vobis verò qui etiamnum vivitis & quibus longam poſthac ætatis prorogationem devotè apprecor, Viri meâ laude majores, fortiſſimi veritatis aſſertores, puræq; religionis ſtatores, Academiæ tantopere â me adamatæ lumina & columina, gratias exſolvo decentes, quod vel per Epiſtolas colloqui mecum hactenus dignati, vel transmisſis lucubrationibus, propenſum in me affectum conteſtati, plus ſimplici vice eſtis. Sequar ordinem temporis, ex quo benevolentiâ veſtrâ frui mihi licuit. Sic igitur primæ Tibi debentur, verende Senex, Domine D. CASPARE LOESCHERE, Theologe primarie, Eccleſiarum in Electorali circulo Superintendens generalis, cui gratam polliceor memoriam, quod cum de me Witebergam accerſendo conſilia agitarentur, unà cum ſummo JCto CASPARE ZIEGLERO, aliquoties Protoſynedrii Dresdenſis interpres eſſe volueris, nec quicquam, quod promovendo operi conduceret, quantum in te erat, intermiſeris. Proximum Tibi Filium Tuum, Dn. D. VALENTINUM ERNESTUM LOESCHERUM, Theologum ipſâ etiam invidiâ, ſi quod reverà ſentit exponere per naturæ vitium valeret, judice, ob mirandam lectionis varietatem, inſigne judicii acumen, accuratamque docendi ac diſputandi rationem, laboranti Eccleſiæ divino beneficio conceſſum, inter fautores Witebergenſes ponerem; niſi juſtisſima virtutum remuneratrix, divina ordinatio, illum Academiæ ademptum, Dresdam ſtranſtuliſſet, ubi veluti in ſpeculâ conſtitutus, ſalutem univerſæ Eccleſiæ, præſertim Saxonicæ, ſuis conſiliis moderatur. De quo Filio, Pater feliciſſime, ut ſuperſtes diutisſimè gau-

deas, lætus opto. In Te autem, celeberrime Dn. D. GOTT-LIEBE WERNSDORFFI, qui vivente NEUMANNO, amorem in me calamo aliquoties testatus es, mortuo autem, illum quasi redivivum, ut in commilitio adversus hostes genuinæ pietatis, nefarios Pietistas; ita etiam in frequentatione literarii colloquii, si diræ luis tempora excipiam, perpetuò stitisti; verum esse experientiâ magistrâ didici, illud Poëtæ: *Non deficit alter.* Porrò cum ad Te mea se convertit oratio, Magnifice Dn. D. JOH. HENRICE FEUSTKINGI, gratum Principibus nomen, qui jam sceptra Witebergensis Academiæ gloriosê tractas, prima amicitiæ inter nos fundamenta *Gynæceum*, quod extra Academiam adhuc constitutus, applaudente Ecclesiâ, publicæ luci exposuisti, *Hæretico-Fanaticum* jecit: Eandem quoque posthac continuatum iri, ex communi heterodoxiæ odio, utrique per Dei gratiam indito, ominor & confido. Denique nec silendus es, excellentissime Dn. D. MARTINE CHLADENI, qui *salutis & felicitatis voto*, doctissimis, quas me adire jussisti, chartis inscripto, proni erga lecturum affectûs evidentissimum documentum edidisti. Quandoquidem igitur æterna esse Collegia rectè traduntur, utpote in quibus decedentium abitus, continuâ eorum, qui vacantem locum occupant, successione restauratur; in vobis, Viri consummatissimi & religiosissimi, meos quondam Præceptores & Benefactores videre mihi præsentesque habere videor. Jure igitur meritòque, quemadmodum fluvii in mare, unde originem sumsere, refluunt; ita ego illi Collegio, has in Confessionem Augustam commentationes do, dico & dedico, â quo doctrinæ, quam

aliis

aliis tradere etiamnum ſenex capularis ſatago, primordia hauſi. Servet eam Deus, ad finem uſque mundi, incorruptam & contra portas inferorum tueatur: Inclinet omnium quotquot idem ſapimus corda, ad tenendam unitatem Spiritûs, in vinculo pacis Benedicat apud vos ſanctis occupationibus, quibus in commodum Eccleſiæ dafatigamini. Progredi vos faciat de virtute in virtutem, de victoriâ in victoriam, ut Deus Deorum conſpiciatur & glorificetur in Zion. Tandem verò nobis utrinque, qui nunc precando, laborando, patiendo, militamus, triumphalem coronam in cœleſti patriâ imponat. Intereà quod veritatis hoſtes in opprobrium vertere conſveverunt, gloriæ mihi duco, *Witebergenſem Theologum* dici, proptereàque malevolos, ſive minimos, ſive medioxumos, ſive etiam maximos, minus faventes experiri. Quod ſupereſt, iisdem verbis, quibus ſum orſus, mutatâ voce tantùm unicâ, proloquium claudo: *Si oblitus fuero tui, Witeberga, oblivioni detur dextra mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Scrib. Gedani, die, cum menſis, tum hebdomadæ, ipſiusque etiam feſtivitatis recurrentis, quo ante annos LXIIX. in lucem edebar, nempe 8. Martii, Dominicâ Oculi, MDCCXI.

 Bis

* * * * * * * * *



HIs fluxere duo præſenti tempore luſtra,
Trinaq; ad hæc meſſis noſtris ſurrexit in arvis,
Cum *Venerande Tibi Quenſtedius*, ille celebris
Et canis meritisq; gravis, multiq; laboris,
Impoſuit lauros, toto plaudente theatro,
Sedulus in laudesque Tuas, monitûsque fideles,
Strenuus ut gereres ſanctisſima bella Jehovæ.
Sacratas eadem tradebat dextera chartas,
Ad quas gemma nihil, pretii quoque nullius aurum,
Numinis æternas Leges, & Symbola lecta,
Queis vetus, & lapſi ſcripta eſt Confesſio ſecli,
Inque his eximio tabulæ ſplendore coruſcæ,
Quas Auguſta dedit totum radiare per Orbem.
Quippe Heroum Princeps *Carolus*, celſusque *Senatus*
Imperii, has quondam placato admittere vultu
Haut dedignati; quibus & Pax alma Salusque
Unius haut gentis, ſed quà diffunditur Orbis
Germanus, gremio gentes complexus & Urbes
Innumeras, purâ hâc ſacrorum luce beatas,
Sanctaque relligio, non vili ſangvine parta,
Tanquam Palladio longo jam tempore perſtant.
Exultat ſacer hoc Domini plauditque tropæo
Æternaturo populus, quod nulla Acherontis
Impugnare potens vis expugnare valebit.
Has tabulas, fideique typos celebrata GEDANUM,
Olim jam magno meritoque recepit honore,
Suſpendique tholis juſſit, figique cathedris.

Hanc

Hanc docuere viam meritis annisque verendi
Theiologi Eusebies Oracla, tubæque SIONIS
Qui cupidam Gedani ritè expoliere juventam,
Quorum nunc animæ super æthera & astra receptæ,
Sedibus æternis fulgent, cœloque triumphant.
Hi duraturis inclamant Sæcula chartis:
Ite pii hunc callem, non hinc discedite, queis est
Cura salutiferi spes & custodia verbi!
Ite pii sanctumque Patrum servate nepotes
Ingenui morem, legite hæc vestigia recti!
Hanc *Venerande Tibi* PATRUM conscripta corona
Lampada commisit; castris his ritè præesses
Dux vigil. Haut frustra: quippe hanc ornare cathedram
Tot titulis claram multis jam sedit ab annis.
Hinc dictas fidei tabulas iterumque, iterumque
Pectoribus juvenum viridantibus inscribendas,
Communis Gedani Doctor, Rectorque Lycæi
Sollicitus repetis. Sed ut hæc industria duret
Posteritasque etiam rectos cognoscere sensus
Symbolici libri, quo non præstantior alter,
Te Doctore queat, promis meditata per annos.
Gratulor huic, plaudoque pio dignoque labori,
Annuat Omnipotens, viresque horasque ministret,
Ut cœptam utiliter possis pertexere telam,
Teque *Senem haut Segnem* docta hæc monumenta loquantur.

Ita Viro Maximè Reverendo Domino Collegæ, Compatri & Fautori, olim v. Præcept. Honoratissimo, ipso primæ Disputationis die, cujus præfatio & hanc carminis suggessit materiam, animitus gratulatur

SAMUEL VERCHIUS,

Eccles. ad S. Cathar. Minister.

VOTUM AUTORIS
AD HANC
MANUDUCTIONEM.

Apprecor ut sine me qui nunc liber
ibis in orbem,
Progignas Christi commoda multa
gregi.

I. N. I.

PROLEGOMENA.

I.

CONFESSIONEM AUGUSTANAM expositurі, præmittimus quædam, & de nomine & de re ipsâ. Respond. Gottlieb Richter/ Gedan.

II. Circa nomen occurrit Etymologia, Homonymia & Synonymia.

III. Ut ab Etymologiâ incipiamus, cum Thema hoc non solùm quoad rem, sed etiam quoad vocem complexum sit, de utrâque voce seorsim agendum erit, videlicet primùm unde CONFESSIO, atque hinc etiam unde AUGUSTANA dicatur.

IV. CONFESSIO appellatur in Præfatione. Vid. Lib. Concord. p. 8. (6.) Sic enim Majores nostri: *Habitâ deliberatione responsum est, nos Articulos* NOSTRÆ CONFESSIONIS *pro nostrâ parte oblaturos esse: ideo offerimus in hâc religionis causâ nostrorum Concionatorum & nostram* CONFESSIONEM; *cujusmodi doctrinam ex Scripturis sanctis & puro Dei verbo hactenus illi in terris nostris tractaverint.* Et in Præf. Apologiæ p. 75. (47.) *Postquam Confessio Principum nostrorum publicè prælecta est* &c. Vox autem isthæc descendit à *Confitendo:* ubi observandum, quòd Augustino *Homil. 8. de Verbis Evangelii*, Confessio duplex sit, *fraudis* & *laudis.* Illa locum habet, cum peccator se ipsum accusat: ita enim Joh. Altenstaig, in *Vocabulario Theologico* non malè explicat. Exempla habemus Matth. III: 6. *Baptizabantur in Jordane, confitentes peccata sua.* Jac. V: 16. *Confitemini mutuò peccata vestra.* Hæc verò, cum Christianus (de iis, quæ ad gloriam Dei promovendam faciunt, testatur. Exempla suppe-

tunt. Pſ. CV. 1. *Confitemini Domino & prædicate nomen ejus.* 1. Tim. VI. 12. *Confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Hujusmodi eſt Confeſſio noſtra, in quâ cum doctrinæ & religionis orthodoxæ rationem reddamus, eo ipſo proni in laudem Dei excurrimus. Græcis vocatur ὁμολογία, ἐξομολόγησις, ἐξαγόρευσις.

V. AUGUSTANÆ cognomen noſtra Confeſſio accepit, ab Auguſtâ Vindelicorum, nobiliſſimâ Sveviæ urbe: non (1) *tanquam à loco natali doctrinæ*, in Aug. Conf. contentæ; quaſi ea Auguſtæ demum cœperit: multò enim illa antiquior eſt; quippè quæ jam in Paradiſo egit radices. Gen. III. 15. (2) *tanquam à neceſſariâ ſede doctrinæ*; quaſi deſitura eſſet, niſi Auguſtæ Vindelicorum vigeret. Inanis hæc ſpes fuit Jeſuitæ cujusdam, qui in Epiſtolâ, ex urbe Româ Auguſtam perſcriptâ, cujus meminit Mylius, ſvadet, ut *unde initium erroris, inde principium reformationis oriatur: id quod Catholicis* (i. e. Pontificiis) *magnæ conſolationi, hæreticis verò* (i. e. Evangelicis) *terrori futurum eſſe, multosq́; principes ac civitates excitatum iri ad imitationem*, vanus Augur prædicit. Nos è contrario cum Davide profitemur ex Pſ. XLVII. 3. ſeq. *Non timebimus, dum turbabitur terra & transferentur montes in cor maris* (3) *tanquam à primis Confeſſoribus doctrinæ*. Eo enim tempore cives plerique Auguſtani, vel Papæ, vel Calvini erroribus erant infecti, ut iterum teſtatur Mylius: Sed *tanquam à loco ſolennis exhibitionis, prælectionis & acceptationis*; non aliter atque Symbolum Nicenum â Niceâ Bithyniæ urbe, Epheſinum ab Epheſo, Chalcedonenſe â Chalcedone &c. nomen acceperunt. Non tamen diſplicent, quæ D. Joh. Schmidt, in Diſp. I. de Aug. Conf. Th. 11. Argentinæ 1630 habitâ ominabatur, videlicet indicatum eſſe, Auguſtanam Confeſſionem *auguſtâ ſuâ ſanctitate aucturam Eccleſiæ vires, aucturam fidelium cœtum, aucturam ſincerum pietatis*

ſtudi-

ſtudium, aucturam ipſum beatorum cæli civium numerum. Iſtud prouti hactenus impletum eſt, ita ut impoſterum quoque, ad finem uſque ſeculi, impleatur, devotè precamur.

VI. Homonymiæ explicatio cavet, ne æquivocatio, errorum mater, cuiquam imponat: Sciendum proinde, quod Auguſtana Confesſio dicatur tripliciter (1) *propriè*, quatenus illam notat Confesſionem, quæ Auguſtæ, ut diximus, ſolenniter exhibita, prælecta & acceptata, tandemque etiam per Pacem religioſam in Imperio Romano-Germanico atque alibi pasſim, ut in ipsâ etiam Prusſiâ noſtrâ fuit approbata. (2) *impropriè*, quatenus illam notat Confesſionem, quæ Auguſtæ quidem exhibita, non tamen ſolenniter prælecta, neque ab Imperatore acceptata, aut unquam approbata fuit: Cujusmodi erat Confesſio Zwingliana quatuor Civitatum, Argentinenſis, Conſtantienſis, Memmingenſis & Lindavienſis, autore Martino Bucero compoſita & per Caſparem Hedionem, Doctorem Argentinenſem, oblata, ſed rejecta: quæ præſertim in Articulo de Cœnâ, â genuinâ Auguſtanâ Confesſione diſſentiebat, & nonnullos alios articulos, in gratiam Pontificiorum, aut planè omittebat, aut ſubobſcurè tractabat. In Articulo de Cœnâ diſſenſum ſuum, non tam quod loquerentur contra nos, quam quod nobiscum loqui nollent, teſtatum faciebant: Subdolè enim veram animi ſententiam occultabant, ne palam fieret, quod oralem manducationem impugnarent. Contra quam tamen jam publica ſcripta ediderant, refutata à Luthero in Tractatibus **wieder die himliſchen Propheten** 1525. **daß die Worte Chriſti noch feſte ſtehen.** 1527. **im Bekentniß vom Abendmahl** 1528. Articulum ipſum de Cœnâ ex Zwinglianâ iſthâc Confesſione exhibet Chytræus in Hiſt. A. C. p. 6 8. (3) *improprisſimè*, quatenus illam notat Confesſionem, quæ Auguſtam nunquam vidit, cujusmodi eſt *Confesſio*, ut vocatur,

variata, quam Philippus Melanchton propriâ autoritate, inſciis, certè non conſentientibus Imperii ſtatibus Evangelicis, in multis locis mutavit, nempe in Art. 2, 3, 4, 5, 6, 7 & 8, 9, 10, 11, 12, 13, 15, 16, 20. & in Abuſu 5; quæ omnia ſuo tempore pleniùs & accuratiùs perſequemur. Calviniani, qui ſe Socios Auguſtanæ Confesſionis, à Confesſione variatâ vocant, eo ipſo confitentur, ſe non eſſe ſocios Auguſtanæ Confeſſionis; quia Confesſio variata non eſt, neque unquam fuit Auguſtana. Negatâ autem Definitione, negatur etiam Definitum. Sed de his Gedani pluribus diſputatum fuit, inter D. Johannem Botſaccum & D. Georgium Pauli.

VII. Ad *Synonymiam* quod attinet. Auguſtana Confeſſio; cum adhuc inter manus conſcribentium, hæreret, vocabatur *Apologia*, â Philippo in literis ad Lutherum d. 10. Maji ſcriptis, & ab ipſo Luthero, in literis ad Electorem Saxonicum; ſed poſteà nomen Apologiæ in ſenſu ſpecialiori, tributum fuit *Defenſioni Auguſtanæ Confesſionis*, quæ refutationi Pontificiorum in Auguſtanis comitiis opponebatur. Alioqui ab ipſis Confeſſoribus nominatur *Summa doctrinæ apud nos*, nempe doctrinæ inter nos & Pontificios controverſæ: Sic enim explicatur in Epilogo Aug. Conf. per illa: *Hi ſunt præcipui articuli, qui videntur habere controverſiam.* p. 72 (45.)

VIII. A nomine progredimur ad rem ipſam, acturi de Confesſionis Auguſtanæ Cauſis, Adjunctis, & Eſſentiâ. Inter Cauſas quatuor, eminet Efficiens, quæ in ſummam & intermediam diſtingvitur.

IX. Cauſa ſumma & maximè principalis, Auguſtanæ Confesſionis æquè ac alterius *cujuscunq; boni*, eſt Deus trinunus. Jac. I. 17. Præ reliquis perſonis S. S. Trinitatis ſeſe exeruit Spiritus S. (1) Autores ſecundarios movendo. Luc. XI, 13. (2) dicenda & ſcribenda ſuppeditando: non quidem immediatâ

diatâ ſuggeſtione; ſed tamen mediante Scripturâ. Act. V, 32. (3) alacritatem & animi magnitudinem largiendo Act. IV. 29. (4) conſtanter in veritate firmando. Joh. XVI, 13. (5) gratiam in oculis Cæſaris aliorumque Principum & Statuum conciliando (6) Succeſſores contra diabolum ejusque inſtrumenta, ad hunc uſque diem, protegendo. Hæc adferuntur propter Pontificios, qui de Luthero ex incubo nato, per Satanam informato, aſſiſtentiâ Cacodæmonis, quem Maximilianus Imperator humeris ejus incumbentem viderit, confirmato & ſexcenta alia impiè comminiſcuntur. Quibus obvertimus illud Chriſti Matth. V, 11. 12. Refutavit autem impudentisſimas calumnias, præter multos alios, proliχiſſimè Johannes Müllerus *in Luthero defenſo*, itemque *in Defenſione Lutheri defenſi*.

X. Cauſam efficientem intermediam ſubdividimus in moventem & agentem. Movens ſeu impulſiva duplex eſt, *προηγουμένη* & *προκαταρκτική*. Illa movebat ab intra, nempe amor veritatis & ſtudium bene de Eccleſiâ, Pontificiis abuſibus nimium quantum deformatâ, merendi. Nec ipſe enim Papa inficiabatur, in plurimis emendatione opus eſſe; de quo legatur *Inſtructio Legati Pontificii* 1522. ad Noribergenſia Comitia miſſi, quæ extat apud Hortlederum *de cauſis belli Germanici*. L. 1. c. 1. p. 6. Hæc erat ex parte Imperatoris, citatio Statuum Imperii ad Comitia Auguſtana, 1530. d. 21. Januarii data, in quâ expreſsè ſignificabatur, de Religione actum iri. Ex parte autem Statuum Evangelicorum reſpondebat debita reverentia & ſubjectio. Utriusque mentio fit in Præf. Aug. Conf. p. 8. (6) his verbis: *Cum perinde, ut alii Electores & Principes & Status ad prædicta Comitia evocati ſimus, ut Cæſareo mandato obedienter obſequeremur, maturè venimus Auguſtam, & quod citra jactantiam dictum volumus, inter primos affuimus,*

XI. Causa agens se exerebat in totius operis directione, in Augustanæ Confessionis conscriptione, & in ejusdam solenni exhibitione. In directione totius operis strenuam navarunt operam Principes & Magistratus, qui certiores facti de Comitiis, religionis causâ habendis, (1) Ditionum suarum Theologis mandabant, ut breves fidei summas conscriberent (2) in ipsis comitiis, conventui Theologorum, ordine de singulis articulis sententias suas conferentium, intererant. (3) Confessioni propriis manibus subscribebant, & ut solenniter publicaretur, curabant.

XII Nomina eorum in libro vitæ scripta, ut in terris etiam, piâ memoriâ recolantur, in calce Aug. Conf. extant. p. 73. (46) Inter eos eminent (1) JOHANNES, Dux Saxoniæ, Elector. Hic cum periculum sibi & suis ex adversariorum odio atque irâ impendere videret, Theologos ad se vocatos ita alloquebatur: *Videtis, mei Domini, quo perductum sit religionis negotium. Quod si stat vobis sententia, tueri & rationem reddere eorum, quæ & docuistis hactenus & mutastis; benè: sin minùs, videte atque cavete, ne periculum creetis terris nobis subjectis.* Ad quæ cum respondissent Theologi, nolle se, ut Illustrissimus Princeps ipsorum causâ in discrimen veniret, permitteret saltem, ut ipsi coram Cæsareâ Majestate rationem redderent. Tum Elector, zelo ardens, perrexit: *Hoc avertat & prohibeat clementissimus Deus! Vosne vultis me ex vestro numero excludere? Minimè verò gentium: Namq; & ego unâ vobiscum Christum Dominum confitebor.* Idem Augustæ Vindelicorum protestabatur: *Nisi causa fidei in comitiis his diligenter ageretur, definiretur & componeretur, corruptelæ repurgarentur, abusus emendarentur ac tollerentur, se omnibus illis Protestationibus & Appellationibus, superiori anno in Comitiis Spirensibus factis, adhæsurum.* Cœlest. in Hist. A. C. T. 2. p. 189. & Rosinus *de vitâ Johannis*

Electo-

Electoris. Fortisſimum huncce Chriſti Athletam Andreas Fabricius, Harmon. Auguſt. Conf. in Epiſtolâ Dedicat. ad Duces Bavariæ, ſcribit, ante mortem, *hæreſin Lutheranam damnâſſe, Filioq; ſuo imperaſſe, ut religionem* (quam vocat) *Catholicam, in ſuis ditionibus, priſtinæ dignitati reſtitueret.* Quod putidisſimum mendacium, ut alia taceam, ipſe Bzovius ad annum 1532 refutavit, quando teſtatur: *Agonem Johannis Electoris diuturnum fuiſſe & valde durum, eundemq; ad tribunal ſummi Judicis euntem, horrendos edidiſſe rugitus, quos forſan negotium Lutheranum expreſſerit.* Hæc quamvis & ipſa falſa ſint, nihiloſecius cum narratione Fabricii, de Apoſtaſiâ Electoris, conciliari nequeunt. Quod Johannes Elector, in Confeſſione Auguſtanâ obdormiverit, Lutherus expreſsè ſcribit, & quidem in Reſponſione ad Georgium Ducem Saxoniæ, qui ſi res ſe habuiſſet aliter, procul dubio Lutherum mendacii arguiſſet. Vide die kleine Antwort auff Hertzog Georgen nächstes Buch / edit. anno XXXIII. T. 6. Jen. Germ. f 30. a. (2) GEORGIUS, Marchio Brandenburgenſis. Hic cum ab Imperatore ad Apoſtaſiam ſollicitaretur, conſtanti animo profitebatur: Malle ſe flexis coram Cæſareâ mageſtate genibus ſpiculatori cervicem feriendam ſtatim præbere, quam Deum & ſacroſanctum ipſius Evangelium abnegare, & falſam doctrinam recipere & approbare: Ad quæ Imperator placide reſpondit: *Chare Princeps, non de capite agitur.* (Lever Fürſt/nit Kopp ab/nit Kopp ab) (3) PHILIPPUS Landgrabius Haſſiæ. Is in Comitiis Auguſtanis ad Regem Ferdinandum dicebat: *Cæſareæ Majeſtati dominium conſcientiæ ipſius haudquaquam competere.* (Käyſ. Maj. hat über mein Gewiſſen nichts zugebieten). Cumque prior reliquis ſubitò Auguſtâ diſcederet, Theologis Politicisque ſuis ibi relictis, talem inſtructionem dabat, *ut etiamſi omnes cæteri de confesſione ſuâ cederent, ipſi tamen ne hilum quidem*

ſe

se in gratiam adversariorum dimoveri paterentur. Selneccerus in orat. de vitâ Lutheri. (4) JOHANNES FRIDERICUS Dux Saxoniæ, Johannis, Electoris prælaudati Filius, crucem colore velut aureo fulgentem, ex alvo maternâ secum attulit, de quâ Sacerdos qvidam senex accersitus vaticinabatur: *Hic puer crucem gestabit, toti orbi conspicuam.* Dictum, factum. Is enim in infelici prælio ad Mülbergam â Carolo V. captus inque diuturnâ captivitate variis pollicitationibus minisque tentatus, Electoratum amittere, qvàm Interimisticum cothurnum approbare maluit: quâ de causâ inter suos nomen *Constantis* promeruit. Taubmannus, quando illum cum vulnere, quod in Mülbergensi prælio acceperat depictum cernebat, ita cecinit:

Vulnus in hâc facie pro relligione receptum,
Plus decoris, Saxo, quam tua torques habet.

XIII. De conscriptione Augustanæ Confessionis, cura Theologis demandabatur atq; ab iis suscipiebatur. Consistebat autem, prouti nervosè distinxit Dn. D. Calovius Exeg. Aug. Conf. Proleg. cap. 3. §. 6. (1) in Confessionis delineatione Ubi primùm variæ formulæ, â singulis vel Theologis, vel Theologorum Collegiis, ad Principum ac Civitatum mandatum conscribebantur, quæ cum Augustæ Vindelicorum in Theologorum conventu reviderentur & examinarentur, placuit unanimi omnium suffragio, ut XVII. Articuli, quos jussu Electoris Saxonici, Lutherus Torgæ à 14. Maji intra paucos dies consignaverat, ὑποτυπώσεως instar essent, ad quam ipsa conformaretur Confessio (2) in delineatæ elaboratione. Ubi Philippo committebatur, ut Articulos Lutheri, & quæ alii Theologi annotaverant, in ordinem redigeret, planius explicaret & debitè concinnaret; adhibitis tamen in consilium aliis insuper Theologis, inprimis Joh. Brentio, Justo Jonâ, Erhardo Schnepfio, & Georgio Spalatino, ut Selneccerus refert *Orat.*

de

de Luthero. Ex quo patet, Melanchtonem præstitiſſe multa, ſed non omnia: ac in iis quæ præſtitit, nil ſuo nomine egiſſe; ſed omnia in alieno: neque ſolum, ſed cum aliis (3) in elaboratæ approbatione. Ubi Confesſio operâ Philippi concinnata â Theologis præſentibus examinabatur, & Luthero abſenti mittebatur, qui tandem unà cum illis totum ratihabebat. Nihil enim niſi conſcio & probante Luthero geſtum eſſe, patet ex Epiſtolâ Electoris Saxonici ad Lutherum, d. 11 Maji perſcriptâ, apud Cœleſtinum Hiſt. Aug. Conf. f. 40. b. Inter alia ibi legimus: *Poſtquam vos & alii noſtri Theologi Witebergæ, nobis clementer mandantibus & petentibus, articulos de religione noſtrâ controverſos, ſcripto brevi delineaſtis; non volumus vos celare, jam M. Philippum Melanchtonem, denuò eos hìc Auguſtæ revidiſſe, & in formam redegiſſe, quam vobis unà mittimus & clementer petimus, ut eosdem articulos accuratius revidere & expendere non gravemini. Et ſeu ita, ut ſcripti ſunt, vobis placebunt; ſeu addendum aliquid aut adimendum eſſe cogitabitis, ſcripto ſententiam veſtram annotare velitis.*

§. XIV. In ſolenni Auguſtanæ Confesſionis exhibitione, triplices occurrunt actus (1) antecedentes. Principes & Civitates 24 Junii feriâ 6. quam Veneris appellant, ipſo S. Johannis feſto, Confesſionem exhibituri coram Imperatore comparebant; ſed cum obtinere non poſſent, ut ſtatim in eorum præſentiâ Confesſio recitaretur, ideo nec exemplar ejus Imperatori, licet petenti, porrigere volebant (2) formales, ut ſunt Porrectio & Prælectio. Die 25 Junii, proximè feſtum S. Johannis ſequente, feriâ 7. ſive Sabbati, tandem Status imperii impetrant, ut Confesſio ſolenniter publicaretur. Adſunt ergo circa horam tertiam pomeridianam, unà cum Principibus & Civitatibus proteſtantibus, duo Electoris Saxoniæ Cancellarii, Georgius Pontanus & Chriſtianus Beie-

rus, quorum ille Latinum, hic Germanicum exemplar Aug. Conf. in manibus gerebat. Germanicum per bihorium clarè & distinctè â Christiano Beiero prælegebatur, hinc utrumq; exemplar, ipse Imperator ex Cancellariorum manibus accepit & Latinum sibi retinuit, Germanicum verò Archi-Cancellario Germaniæ, Electori Moguntino, porrexit (3) consequentes. Exhibitâ Aug. Confessione Pontanus sonorâ voce dixit: *Divinâ cooperante gratiâ ac Deo causam suam agente, hac Confessio etiam contra Inferorum portas prævalebit.* Ipsum verò Confessionis genuinum exemplar, in Archivum Imperii depositum fuit, ubi hodienum custoditur.

XV. Efficientem causam excipit Materia, cujus locum in Augustanâ Confessione sustinent literæ, syllabæ, voces, phrases &c. ex quibus textus integer constat. Cum autem Augustana Confessio multoties edita fuerit, & editiones partim in verbis nudis, partim etiam in sententiâ & rebus inter se discrepent, ideo placet cautelas D. Joh. Bened. Carpzovii ex ejus Isagoge in libros Symbolicos p. m. 122. seq. compendiosè adducere & in nonnullis magis illustrare. Sunt autem sequentes: (1) Quod genuinum exemplar Augustanæ Confessionis sit, judicandum est ex collatione cum ipso Prototypo, quod in Archivo Imperiali fideliter custoditur. (2) Cum illo Prototypo exactè, quoad omnia verba, imo syllabas, convenit exemplar Germanicum, quod Anno 1580. Libro Concordiæ fuit insertum. Vid. in Libro Concordiæ Germanico p. 16. Præfat. (* 6) Damit sich durch unserer Wiedersacher / usque ad ea: eine neue Confession machen solten. (3) Similiter exemplar Latinum in Libro Concordiæ Latino convenit cum Prototypo, quod in Comitiis Augustanis, Imperator sibi retinuit, cujus Apographa aliquot in Archivis Principum Evangelicorum custodiuntur. Vid. Præf. in Libro Concord. Lat. p. 6. (b. 1.) (4) Exemplaria genuina

Lati-

Latinum & Germanicum, in verbis modisque loquendi, non per omnia conveniunt; in fidei autem dogmatibus nulla vel minima dissonantia inter utrumque occurrit. (5) Reliqua exemplaria, quæ ab anno 1530 ad annum 1580 excusa sunt, tantò accuratiora esse dignoscuntur, quantò propius ad exemplar in Libro Concordiæ exhibitum & consequenter ad Prototypum accedunt. (6) Exemplari, quod anno 1530. sine nomine loci & Typographi prodiit, parum ab initio statim tributum fuit. (7) Exemplar quod anno 1531 in 4to Witebergæ prodiit, pro puro habitum fuit, quoad rem; sed non quoad omnia verba. Unde cum ei â Protestantibus in Conventu Numburgensi anno 1661 die 20. Januarii subscriberetur, idque Ferdinando exhiberetur, in subscriptione sequens clausula adjuncta est: *Status non aliter subscribere exemplari huic, quam prout & in quantum cum Instrumento* (i. e. Prototypo) *conveniat.* (8) Exemplar Latinum, quod Melanchton inscio Luthero & invitis Statibus anno 1540 Witebergæ edidit, quoad ipsum sensum in multis mutatum & corruptum est. Idemque sentiendum de exemplari, quod in Corpore Philippico Lipsiæ anno 1578. edito habetur. (9) Exemplar Augustanæ Confessionis variatæ Latinum, magis depravatum fuit, quàm Germanicum. Unde si Reformati ostendere volunt, exiguam esse differentiam inter Augustanam Confessionem variatam & invariatam, necesse est ut Latina exemplaria inter se conferant, non (prouti in Marchiâ fecerunt) tantùm Germanica.

XVI. Sequitur inter Causas Forma, quo nomine denotamus Augustanæ Confessionis sensum, de quô primariò ex Scripturâ S. secundariò autem ex perpetuo consensu Theologorum, qui Aug. Conf. indubitatò & constanter adhæserunt, imprimis ex scriptis Lutheri, Apologiâ Aug. Conf., Articulsi Smalcaldicis & Formulâ Concordiæ, judicandum est. Idcircò

ſequentia Poriſmata obſerventur. (1) *Quàm latè in unoquoque Articulo Aug. Conf. nos Scriptura S. ducit, tam latè articulus ille intelligendus eſt.* Axioma hoc â B. D. Calovio proponitur Exeg. A. C. Proleg. c. 3. §. 8. (2) *Parum refert, ſive dogma aliquod in Aug. Conf. explicitè & quoad verba, ſive implicitè & quoad ſenſum contineatur.* Nihil igitur Pontificii & Calviniani obtinent, quando ſcribunt, nova dogmata â nobis proponi, e. gr. de Antichriſto, de Omnipræſentiâ carnis Chriſti &c. Quod enim ipſa etiam Aug. Conf. Papam implicitè pro Antichriſto habeat, ad oculum oſtendit Dorſcheus, in peculiari Diſſertatione, quæ annectitur Tractatui ejus, *de Singularibus & mirandis documentis Providentiæ Divinæ, circa Aug. Conf.* Similiter & omnipræſentiam carnis Chriſti in Aug. Conf. adſtrui, demonſtrant Theologi Saxonici, *in Apologiâ* des Chriſtlichen *Concordien*-Buchs, c. 9. f. 169. ſqq. Addatur Vertheidigung des Aug-Apffels cap. 3. p. 312. cap. 5. p. 354. cap. 6. p. 389. (3) *Per errorum, poſt Auguſtanæ Confesſionis oblationem natorum, refutationem & veritatis contra Adverſarios defenſionem, non mutatur Auguſtana Confesſio; ſed illuſtratur.* Bene Petavius T. 2. Theol. Dogm. L. 7. c. 19. p. 774. *Non eſt vetitum ullo Eccleſiæ decreto, ad Fidei profesſionem aliquid addere; ſed eatenus duntaxat, ſi profesſio nova cudatur, h. e. â veteri disſidens eiq; contraria.*

XVII. Ex Cauſis reſtat Finis A.C. diſtingvendus in *ultimum* & *ſubordinatum*. Finis ultimus *abſolutè talis*, eſt gloria Dei; *ſecundum quid talis*, eſt ſalus æterna animarum Auguſtanæ Confesſioni adhærentium. Finis ſubordinatus eſt multiplex (1) Fidei rationem reddere, juxta monitum 1. Petr. III. 15. Ideo vocatur *Summa doctrinæ:* ſcilicet non doctrinæ omnis; ſed ejus, quæ inter nos & Pontificios tum temporis, quo Confesſio exhibebatur, maximè controverſa erat. (2) Cœtum orthodoxum ab heterodoxo diſtingvere. Ideò habe-

habetur pro *Symbolo*, quo nomine aliquoties in Form. Concord. inſignitur. Cedit quidem Oecumenicis Symbolis antiquitate, & uſûs amplitudine; nequaquam autem veritate: Æque enim ac illa cum Scripturâ S. convenit. (3) Calumniatores confundere. Ideo priùs dicebatur *Apologia*, quàm nomine hoc peculiare ſcriptum pro Aug. Conf. elaboratum, denotabatur. De calumniis Pontificiorum vide Lutheri *præf. in Articulos Smalcaldicos*, quæ extat in Libro Concordiæ p. 473 (298.) Addatur in ipsâ Aug. Conf. *Art. 20. p. 23.* (16.) & *Concluſio poſt artic. 21. p. 29.* (20.)

XVIII. Adjuncta Auguſtanæ Confesſionis præcipua ſunt, Integritas, Certitudo, Accuratio, Sinceritas, Perſpicuitas, Soliditas, Autoritas, Celebritas & Amabilitas.

XIX. Integra dicitur Auguſtana Confesſio, quia adhuc perſtat, expers variationis. Diſtingvimus enim inter conatum & eventum: Tentavit eam depravare Philippus; ſed Principes Theologique Evangelici reſtiterunt, ut nihil effecerit, de quo legatur Calov. *Exeg. A. C. in Proleg.* c. 6. Hutterus in Locis, Proleg. c. 1. ſeq. Colloqu. Altenb. Edit. Jenenſ. f. 463. ſeq. Quod autem variata Confesſio propriè dici nequeat Auguſtana, monuimus in evolutione Homonymiæ. Reliqua pro nobis ſolidisſimè tractavit D. Valent. Alberti, in der Wiederlegung eines Päpſtiſchen Buches / ſo auff Befehl Leopoldi von Kollonitſch/Biſchoffs zur Neuſtadt herausgegeben / und *Auguſtana & Antiauguſtana Confesſio* genandt ward; Ita enim Titulus ſe habet. Addatur Vertheidigung des Aug-Apffels cap. 2. p. 296.

XX. Certa dicitur Auguſtana Confeſſio, quia quæ talis ſit, indubitatò ſcitur: de quo merentur evolvi, quæ contra Jeſuitarum machinationes â Saxonicis Theologis edita ſunt, in der Vertheidigung des Aug-Apffels. cap. 8. p. 424. ſeq.

XXI. Accurata dicitur Augustana Confessio, quia debita diligentia in ejus conscriptione adhibita fuit. Falsum enim est, quòd in diversorio præcipitanter, non expensis rectè articulis, aut (quibus articuli proponebantur) verbis, in chartam conjecta, atque sic Imperatori oblata fuerit. Integris certè quatuor mensibus ei elaborandæ & expoliendæ, celeberrimi eo tempore Theologi operam impenderunt Vide **Vertheidigung des Aug-Apffels** p. 224. proximè post Aug. Conf.

XXII. Sincera dicitur Aug. Conf. qvia in eâ nihil ex metu dissimulatum; sed quicqvid necessarium erat, apertè prolatum fuit. Unius Melanchtonis timiditas impedire non potuit, quò minus tot Theologi & Politici præsentes, causam Dei intrepidè agerent. Accedebant animosæ & reliquos animantes epistolæ Lutheri, quæ legantur in Chytræi *Histor. A. C. p. 135. seqq.* In unâ earum p. 139. eqvidem scribit Lutherus: *Pro meâ personâ plus satis cessum est, in illâ Apologiâ:* sed non loqvitur de dogmatibus, verùm de phrasibus, quibus in refutandis adversariorum erroribus utebatur Melanchton: Hæ enim molliores erant, qvàm alioqui in scriptis Lutheri adhibentur.

XXIII. Perspicua dicitur Aug. Conf. quia nec obscuritate, nec ambiguitate laborat, secus atque Reformati eam accusant. Nam & thesis ibi & antithesis verbis claris & intellectu facilibus proponitur; nisi quis præconceptâ opinione fascinatus ad eam legendam accedat, ut Synergistis in articulo de Libero Arbitrio accidit.

XXIV. Solida dicitur Aug. Conf. quia contrariis Scripturæ testimoniis infringi neqvit: quod ipsi adversarii, in Comitiis Augustanis, â Principibus suis interrogati, fatebantur. Unde Gvilielmus Bavariæ Dux ad Eccium ita respondentem, ajebat: *Ergo, quantum audio, Lutherani sedem habent in Scripturis sanctis, & nos extra eas* (**So höre ich wol/die Lutherischen sitzen**

sitzen in der Schrifft/ und wir neben der Schrifft). Tentata qvidem est Confutatio & die 3. Augusti in publico consessu lecta; sed eandem ex diffidentiâ causæ, Pontificii nostris, licet vehementer petentibus, tradere recusabant, nisi sub durissimâ illâ conditione, *ut jurarent, se nec qvicqvam responsuros*: in quod nostri consentire recusabant, contenti iis, quæ Theologi ex prælectione perceperant. *Vid. præf. Apologiæ in Libro Concord.* p. 75. (47)

XXV. Autoritas adscribitur Augustanæ Confessioni: quia in Ecclesiis nostris pro norma habetur: non tamen pro normâ independente, qualis sola Scriptura est; sed pro dependente; quæ non gignit fidem, sed genitam conservat, & propagat: quæque non πρώτως & per se meretur assensum; sed δευτέρως & propter aliud, nempe propter consensum cum Scripturâ S. Vide D. Jo. Schmidt Argent. Diss. de Aug. Conf. Thes. 19. p. 29.

XXVI. Celebris dicitur Aug. Conf. quia in totius cultioris orbis notitiam pervenit: si non hominum singulorum; saltem populorum. Simulac enim Imperator solenniter eam acceptâsset, in varias linguas translata, ad exteros Reges, Principes & Respubl. mittebatur; ut taceamus, quæ posteà ad hæc usque tempora acciderunt.

XXVII. Amabilis dicitur Aug. Conf. quia multorum hominum, ipsorumque etiam adversariorum animos, in amorem sui pertraxit, de quo legatur Præf. Apologiæ in Libro Concotdiæ p. 77. (49) Testimonia autem historica petantur ex Gerhardi Conf. Cathol. L. 1. P. 1. c. 8. Quanti Augustanam Confessionem Sigismundus Augustus Poloniæ Rex fecerit, patet ex privilegio Religionis, quod anno 1570 d. 9. Julii Mevensibus in Borussiâ concessit: *Significamus*, inquit, *tenore præsentium, quorum interest universis & singulis, expositum esse nobis gravi in querelâ, nomine Famatorum Præcoss. totiusq; Communitatis Civitatis nostræ Mevensis, multum*

tum illis molestiarum exhiberi, in negotio religionis, propter puram Christi & Apostolorum doctrinam ac Sacramenta, quibus in Ecclesiâ suâ juxta Aug. Conf. sine omni hæreseos labe, piè fruuntur. Proinde promittimus, ex gratiâ & benignitate nostrâ Regiâ, Civitati nostræ prædictæ liberam prædicationem & Ministerium Evangelii, ac verum & integrum Sacramentorum, Baptismatis & Cœnæ Dominicæ, usum, secundum institutionem Christi.——Concedimus insuper potestatem, ad sacrosanctum Ministerium viros doctos, in Christi & Apostolorum doctrinâ sinceros, omni labe hæreseos carentes, liberè vocandi, adhibendi, vocatosq; retinendi &c.

XXVIII. Essentia Augustanæ Confessionis exprimitur in Definitione & Divisione.

XXIX. Definitio ex hactenus dictis emergit talis: Augustana Confessio est liber Symbolicus Ecclesiæ, de primariis fidei capitibus & Pontificiorum abusibus agens, ex verbo Dei, communi Protestantium consensu scriptus & Carolo V. in Comitiis Augustanis, anno 1530. solenniter oblatus, ab eodemque receptus, ut fidei ratio redderetur, Orthodoxi ab Heterodoxis distingverentur, & calumniatores confunderentur.

XXX. Ad Divisionem quod attinet, si Præfatio & Epilogus amputentur, ipsa Augustana Confessio dividitur in duas partes: Prior exponit Fidem, continens Articulos XXI. Posterior perstringit Pontificiorum abusus, continens Articulos VII.

In tractatione nostrâ ita procedemus, ut in singulis Articulis ordine tria proponantur,

I. EXPLICATIO, quæ exhibet (1) Collationem Aug. Conf, invariatæ cum variatâ (2) Analysin textus (3) Brevissimas notas ad loca, quæ iisdem præ cæteris indigere videbuntur (4) Apologiæ succinctam enucleationem.

II. DE-

II. DEMONSTRATIO, quæ exhibet Controversias, pertractatas juxta (1) θεσιν, (2) ἔκθεσιν, (3) βεβαίωσιν, (4) ἀντίθεσιν.

III. VINDICATIO, quæ exhibet criminationes & calumnias (1) in ipsam Augustanam Confessionem (2) in Evangelicos, sub respectu qualicunque ad Augustanam Confessionem: Singulæ autem succinctè repelluntur.

Pars Prior AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

ARTICULUS I.

DE DEO.

I. EXPLICATIO.

In hoc articulo nihil â Melanchtone mutatum est.

Agitur autem de DEO

I. θεθικῶς, & quidem

1. generatim, cum profitemur, nos inhærere Nicenæ Synodo, cujus Symbolum extat p. 2. (21) Hic observandum (1) quod doceamus, quæ Nicena Synodus docuit; sed non *propterea*, quia Nicena Synodus docuit, verùm quia Nicenæ Synodi doctrina cum Scripturâ convenit. Vid. Apol. p. 79. (50) (2) Nicena Synodus, non est fidei generandæ principium; quamvis fuerit fidei ad posteros propagandæ medium (3) Causa allegationis non est, quod Concilia credamus infallibilia, aut quod solâ traditione nitamur; sed ut schismatis & novitatis calumnias â nobis amoliamur.

a b

C

2. spe-

a b

2. ſpeciatim, per Confeſsionem doctrinæ, de Dei

α eſſentiâ, quod una ſit eſſentia, quæ *appellatur & eſt Deus.* His verbis Deus verus â Diis λεγομένοις diſcernitur 1. Cor. VIII. 5. Ille appellatur, & eſt: hi appellantur, ſed non ſunt.

β attributis, quod Deus ſit *æternus, incorporeus* (ſeu ſubſtantia ſpiritualis) *impartibilis*, (propter ſimplicitatem ſuam) *immensâ potentiâ, ſapientiâ, bonitate.*

γ Operibus, quod Deus ſit *Creator & Conſervator omnium rerum, viſibilium & inviſibilium.*

δ Perſonis. Hæ

(1) enumerantur, quod ſint *Pater, Filius & Spiritus S.*

(2) deſcribuntur, quod ſint *ejusdem eſſentiæ & potentiæ, & coæternæ.*

(3) ab ambiguitate, quæ in vocabulo Perſonæ latere poſſet, liberantur: *Et nomine Perſonæ—ſubſiſtit.*

II. Ἀντιθετικῶς. Ubi damnantur

1. generatim, *omnes hæreſes, contra hunc articulum exortæ.*

2. ſpeciatim illi, qui negant

α Eſſentiæ Unitatem, ut *Manichæi & Valentiniani, qui duo* (prima, coæterna) *principia ponebant.*

β Perſonarũ pluralitatem, qui Filium & Sp. S. fingebant

(1) ἑτερούσιον, ut *Ariani, Eunomiani, Mahometiſtæ.*

(2) ἀνυπόστατον, ut *Samoſateniani veteres & neoterici* (â Michaële Serveto orti) *qui cum tantùm—in rebus creatum.*

Apologia p. 79. (50) proponit

I. Sen-

{ I. Sententiam Pontificiorum de primo articulo, quod eundem probarint. *Primum articulum — & Spiritus Sanctus.*
II. Sententiam nostram,

{ 1. de hoc articulo: quod semper ita docuerimus & docturi simus, quia *habet certa & firma testimonia in Scripturis sanctis*, tanquam unico fidei nostræ principio.
2. de Adversariis: quod *aliter sentientes extra Ecclesiam Christi & Idololatras esse & Deum contumeliâ afficere censeamus.*

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *DEUS est.*

Ἔκθεσις. Hæc Thesis in A. C. non ponitur, sed præsupponitur, juxta Canonem Logicorum: *Ab est tertii adjecti, ad est secundi adjecti, valet consequentia.* Qui igitur statuunt, Deum esse unum, æternum &c. iidem quoque statuunt, Deum esse.

βεβαίωσις. Probatur

1. ex libro Naturæ, per Theologiam insitam Rom. II. 15. & acquisitam Rom. I 19. seq. Plura videantur in libris Pneumaticis. Ex iisdem huc spectant argumenta (1) Dantur res quæ movent & moventur, itemq; quæ moventur & non movent. Ergo dari debet, quod movet & non movetur: Hoc verò Deus est, nisi in subordinatione moventium & motorum, progressum in infinitum statuere velimus. (2) Subordinatio causarum secundarum non tendit infinitum. Ergò subsistit in causâ primâ, quæ est Deus. Aut ita: Mundi partes sunt â causâ, quod experientia & sensus docent. Ergò totus mundus ex partibus illis constans est â causâ; non autem â causâ particulari, quia hæc est mundi pars: pars verò nec sui, nec totius causa est. Ergò â causâ universali, quæ est Deus (3) Deum esse patet, ex significationibus futurorum contin-

 genti-

gentium, quæ intellectus finitus prævidere nequit. Huc Deus gentes ablegat Es. XLI. 23. & Cicero concludit: *Si est divinatio; sunt Dii.* (4) Pavores conscientiæ in impiis, qui sensum divinitatis extingvere laborant, probant, esse Deum (5) Addimus argumentum svasorium Ciceronis, allegante Iano Cœcilio Frey in *Mente*, Axiom. 23. p. 33. *Omnis homo debet credere esse Deum, sive Deus sit, sive non sit. Nam si Deus non est & tu credas esse Deum, quid mali tibi eveniet? Si verò est Deus & tu non credas eum esse, infallibiliter te puniet.*

2. ex libro Scripturæ. Inde innumera testimonia pro existentiâ Dei allegari possent; cum nullus versiculus, imo nulla vocula in Scripturâ occurrat, quæ non ad minimum per id, quod θεόπνευστος est, de Dei existentiâ testetur. 2. Tim. III. 16. Sufficiat autem attulisse judicium Spiritus S. de iis, qui existentiam Dei negant, ex Ps. XIV. 1. & LIII. 1. *Stultus dicit in corde suo, non est Deus.* Ex quo elicimus (1) dari Atheum non modò practicum, qui ore vel opere existentiam Dei negat; sed & theoreticum, qui Deum inficiatur בְּלִבּוֹ *in corde suo.* Non obstat, quòd Theologia naturalis insita omnibus hominibus competere traditur, Nam ut hoc verum est, de hominibus in statu ordinario spectatis; ita aliter censendum, de hominibus propter contemtum vel abusum luminis naturalis, justo Dei judicio, occæcatis, & in statum extraordinarium redactis, qui extinctis notitiæ connatæ scintillis, Diabolo ipso redduntur inferiores. (2) Negationem Dei non solummodo peccatum esse, sed & voluntariam insaniam. Homo enim talis vocatur נָבָל *Stultus*, *Fatuus*, sive etiam *Nebulo* & *Flagitiosus*.

Αντίθεσις est Atheorum, quos inter excelluit ex recentioribus apud Turcas Muhamet Effendi, qui illo imprimis argumento existentiam Dei impugnabat, quòd Deus in ipsum, tanquam hostem suum nullâ adhuc pœnâ animadvertisset,

teste

teſte oculato Ricautio Anglo, de Satu Imperii Ottoman. L. 1. c. 14. Ex Italis Cæſar Lucilius Vaninus, cujus extrema, quomodò Tholoſæ exuſtus ſit, deſcripſit Gramondus Hiſtor. Galliæ. L. 3.p.m.209. ſeq. Apud Germanos Matthias Knutzenius, Holſatus, in Academiâ Jenenſi Studioſus, qui cum Deum negaret, ſtultisſimo tamen conatu Conſcientiariorum (der Gewiſſener) novam ſcholam moliebatur, refutatus â D. Johanne Muſæo, in peculiari tractatu. Plura petantur ex Theophili Spizelii, Johannis Mülleri Hamburgenſis, aliorumque ſcriptis de Atheiſmo, nec non ex *Relationibus innocentibus*, celeberrimi Dn. D. Valentini Erneſti Lœſcheri, cui pro utilisſimâ hujuſce operis editione, immortales gratiæ debentur.

Theſis II *Deus eſt unus in eſſentiâ, ſive naturâ.*

Ἔκθεσις 1. Natura Deo in ſacris adſcribitur 2 Petri I. 4. Eſſentiæ autem vocabulum in abſtracto Scriptura non habet: Concretum tamen legitur. Exod. III. 14. Ap. I. 8.

2. Deus unus eſt, non ſolùm propter conſenſum voluntatis, inter tres perſonas; ſed vel maximè etiam propter rationem entitatis.

3. Unitas Dei non eſt generica, nec ſpecifica; ſed ſummè ſingularis.

4. Singularitas Dei tantùm excludit universalitatem eſſentiæ; nequaquam verò prædicationis. Nam Deus prædicatur de Patre, Filio & Spiritu S. non tamen ut de diverſis eſſentiis; ſed ut de diverſis perſonis, quarum quælibet habet unam illam & totam eſſentiam.

5 Unitas Dei non eſt quantitativa; ſed eminens & tranſcendentalis.

βεβαίωσις. Probatur

1. ex Eſ. XLV. 5. 6 7. Ubi Deus (1) ut Individuum ſe ſiſtit, per pronomen *EGO*, quod ter repetitur (2) ſibi nomen pro-

prium יהוה quod ſingularitatem eſſentiæ infert, itidem ter adſcribit, (3) ut omni exceptioni viam præcluderet, poſtquam ſe Dominum dixerat, diſertè adjicit אין עוד ***non amplius***, vel ***non adhuc*** ſcilicet ***datur*** alius: id quod brevi poſt hiſce explicatur זולתי אין אלהים ***Præter me non DEus*** v. 5. quod denuò repetitur v. 6. (4) ſibi actiones certas vendicat, nempe ***cinctionem Eſaiæ*** v. 5. ***formationem lucis, creationem tenebrarum*** &c. v. 7 Actiones autem ſunt ſingularis eſſentiæ (5) hæc tanquam ſcitu neceſſaria, ***ortui ſolis & occidenti*** commendat v. 6.

2. ex 1. Cor. VIII. 4. 5. 6. ubi (1) expreſsè legimus: ***Nullus Deus alius, niſi unus*** v. 4. (2) cæteri ***multi Dii***, qui vel finguntur, vel propter officium ſic appellantur, ut Exod. XXI. 6. non niſi λεγόμενοι Θεὸι ***nominales Dii***, ſeu ut Philoſophico termino exprimamus, ***Dii ſecundum dici***, non ***ſecundum eſſe***, declarantur v. 5. (3) tanquam peculiaris fidei articulus, quo Chriſtiani â gentilibus diſcernuntur, doctrina de unitate Dei inculcatur: ***Nobis unus Deus Pater, â quo omnia & nos in illo, & unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum.*** v. 6. In quibus verbis JEſus Chriſtus â Deitate non excluditur; ſed potius eadem Deitas ipſi, quæ Patri tribuitur: Senſus enim eſt: Unum eſſe Deum, ſcilicet Patrem & unum illum JEſum. Dices: Opponi Patrem ***ut Deum, â quo omnia, JEſu ut Domino, per quem ſunt omnia.*** Reſp. negando: Oppoſitorum enim eſt incompatibilitas: at eadem quæ JEſu hic adſcribuntur, alibi Pater ſibi adſcribi patitur. Nam & Pater appellatur ***Dominus.*** Matth. XI. 25. & ***per*** eum ***omnia eſſe*** perhibentur. Hebr. II. 10.

3. Dantur & alia Scripturæ dicta, in quibus vel aſſeritur poſitivè, quod unus tantùm ſit Deus, Deut. VI. 4. Marc XII. 29. 32. Rom. III. 30. Gal. III. 20. 1., Tim. II. 5 vel remotivè, quod non plures ſint Dii. Deut. IV. 35. XXXII. 39. Eſ. XLIV. 6.

4. Ex

4. Ex ratione ſic concludimus (1) Deus eſt naturæ infinitæ: At repugnat plura dari infinita; quia ſi plura eſſent, unum terminaretur ab alio & conſequenter finitum foret. (2) Si plures Dii ſunt, iidem eſſentialiter inter ſe diſtingvuntur atque ita unus habebit, quod alter non habet: Hoc ipſo autem everteretur Dei abſoluta perfectio.

Αντίθεσις eſt (1) Gentilium in Indiâ, Sinâ, Tartariâ magnâ, Japoniâ, Terris ſuppolaribus, Americâ â Chriſtianis nondum ſubactâ &c. qui plures Deos colunt. Vid. Voſſius de Idololatriâ & Alexander Roſs **von unterſchiedlichem Gottes-dienſt der Welt.** Ex computatione Brerewodi, in Scrutinio Relig. c. 5. p. 58. Chriſtiani poſſident terræ habitatæ partem circiter ſextam, Muhamedani quintam, Idololatræ duas tertias.

2. Baſilidianorum â Baſilide & Valentinianorum â Valentino Ægyptio ſic dictorum. Hi duo ſumma rerum omnium principia finxerunt, *βύθον* & *σιγὴν* *Profundum & Silentium*, ex quibus deinceps XXX. Æonas, ut novos Deos deduxerunt. Prodierunt ex hâc ſcholâ Secundiniani, Ptolemiani, Heracleonitæ, Marcitæ, Colarbaſiani, Floriniani &c. qui omnes â communi, quem fovebant, errore, Æoniſtæ vocari ſolent.

3. Cerdonianorum, â Cerdone Syro nomen gerentium, qui itidem duo ſumma rerum omnium principia ſibi invicem adverſantia, commentus eſt, alterum *bonum* & alterum *malum*. Propagarunt hæc deliria Marcionitæ, Manichæi & (niſi, quod veriſimile eſt, per calumniam hujus æquè ac aliorum errorum incuſantur) Albingenſes, qui ſeculo XIII. exorti ſunt

4. Tritheitarum, qui tres Spiritus infinitos eſſentialiter differentes ſtatuebant.

5. Pontificiorum (non quidem in theſi, ſed tamen in hypotheſi) quando Sanctis, imprimis Mariæ ea adſcribunt, quæ ſoli Deo competunt. Ut de Mariâ aliquid adferamus, docent, Baptiſmum in ejus nomine adminiſtratum eſſe verum baptiſmum:

ptiſmum: In calce librorum, fatentur, eos elaboratos eſſe in majorem Dei & B Virginis gloriam: Salazar Mariam complementum SS. Trinitatis vocat: Vega ſuper Apocal. c. 12. Sect. 2. n. 9. Mariæ tribuit nomen Jehovæ, ſcribens: *Tetragrammaton eſt nomen ſacerrimæ Virginis*: Ibidem addit: *Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine tuo flectatur omne genus cæleſtium, terreſtrium & inferorum: nomen tantæ virtutis, ut ad ejus invocationem cælum rideat, infernus conturbetur.* In pſalterio Mariæ â Bonaventurâ elaborato, eadem verbis totidem â *Dominâ* petuntur, quæ David *â Domino* petiit; qui liber â Sixto IV & Innocentio VIII Pontificibus approbatus, antorque illius canonizatus eſt. Albertus *Biblia Mariæ* conſcripſit, in quibus, ut titulus habet, *omnia ferè, quæ in ſacris Bibliis continentur, beatiſſimæ Deiparenti Mariæ pulchrè & breviter adaptantur*; quod opus *aureum ac Marianis cultoribus pergratum* vocatur. Et ne quid deſideretur, non alii duntaxat minorum gentium ſcriptores, ſed & ipſe Leo X. in literis Papalibus ad Recanatenſes, apud Bembum L. 8. Ep. 17 expreſsè Mariam *Deam* vocat. De religioſo verèque divino Sanctorum cultu, legatur Joachimi Urſini liber, cujus titulus eſt: *Jeſuitici templi ſtupenda*.

Theſis III. *Deo attributa eſſentialia, quæ cùm inter ſe, tum â ſubjecto ſuo, ratione rationatâ diſtingvuntur, verè & propriè competunt.*

ἔκθεσις 1. Attributa Dei aut ſunt perſonalia, quæ in divinis, non quidem ut diverſæ res, ſed tamen realiter diſtingvuntur. v. gr. generare & generari, ſpirare & ſpirari: aut eſſentialia, quæ ſe habent ut conceptus ſecundi, eſſentiam divinam intrinſecè, ſed inadæquatè, denominantes; de quibus impræſentiarum agitur.

2. Attributa hæc eſſentialia, â parte rei ſunt ipſa Dei eſſentia:

ſentia: nihil enim eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus: at quà noſtrum concipiendi modum, differunt â Dei eſſentiâ, quæ ſe per attributa intellectui humano aliter atque aliter conſiderandam exhibet.

3. Cum igitur ut diſtincta concipimus, quæ in Deo unum idemque ſunt, multiplicamus res in intellectu noſtro; non autem in ſubjecto, circa quod intellectus verſatur. Nam à diſtinctione conceptuum de re, ad diſtinctionem rerum ipſarum N. V. C. Sic in Sole idem eſt Lux & Calor, etiamſi diverſimodè concipiantur à Phyſico.

4. Alia quæſtio eſt, an attributa ſint nomina? & alia, an ſint nuda nomina? Priorem affirmamus; poſteriorem negamus.

5. Quædam attributa, e. g. juſtitia & miſericordia ſunt contrariæ ſignificationis: non ſub reſpectu ad ſubjectum, nempe Deum; ſed ſub reſpectu ad objectum, nempè homines, erga quos Deus ſe diverſimodè gerit; propemodum ac Sol ſimul contrarias actiones edit, liquefaciendo ceram & indurando lutum; ut nihilominus utraque potentia eodem tempore Solem verè denominet.

6. Modus denominandi Deum, qui à ſingulis ejusdem attributis petitur, imperfectus quidem eſt; neutiquam tamen improprius, ſeu falſus. Imperfectio autem indè oritur, quia intellectus noſter cumulum tot perfectionum in Deo, non poteſt ſimul concipere; ſed cogitur ſucçeſſivè unam poſt aliam luſtrare, quo fit ut circa unum occupatus attributum, interim omittat alterum, nec unquam uno actu omnia, quæ de Deo revelata ſunt, perfectè exhauriat.

7. Quodlibet attributum in ſenſu identico eſt ipſa eſſentia: ſed in ſenſu formali, intellectui ſiſtitur ut diverſum ab eſſentiâ & ab alio attributo, videlicet ſecundum noſtrum concipiendi modum. Licet enim res eadem per omnia at-

tributa significetur, voces tamen illæ non se habent ut Synonyma Grammatica. Synonyma enim talia non modò eandem rem significant; sed etiam juxta eandem rationem. Attributa verò rem eandem, sed sub diversis rationibus exhibent, quia diversi in intellectu nostro conceptus gignuntur.

8. Atque hâc ratione inter attributa agnoscimus distinctionem ordinis, qui observatur in demonstrando, v. gr. quando æternitatem deducimus ex infinitate; quamvis inficiemur distinctionem rei, quæ observatur in essendo: sic enim æternitas & infinitas simul, imo idem sunt, nec ulla locum habet prioritas vel posteritas.

9. Forma prædicandi hic est paronymica, seu concretiva; ita tamen ut non de paronymo vulgari, sed eminenti loquamur; unde & prædicatio ipsa rectiùs extraessentialis dicitur, quam accidentalis. Cum autem attributa quædam de Deo in abstracto efferuntur e. g. Joh. XIV. 6. *Christus est veritas & vita*: 1. Joh. IV. 8. *Deus est charitas*: tum locum habet Metonymia, atque ita prædicatio fit tropica, quæ nunc ad nos non spectat, de formâ prædicandi propriâ tantùm sollicitos.

10. Quando attributa hæc dicuntur essentialia, respicitur ad subjectum, unde resultant: quando autem dicuntur prædicari extraessentialiter, respicitur ad modum enuntiandi; quia de Deo non prædicantur ut ipsa ejus essentia, sed ut aliquid de essentiâ.

11. Attributa Deo ante mentis nostræ opetationem insunt; sed ante mentis nostræ operationem, actu nec â Deo, nec inter se distingvuntur. Idcircò cum de qualitate hujusce distinctionis quæritur, respondemus, eam non esse realem, sed rationis: nec tamen rationis ratiocinantis; sed ratiocinatæ.

βεβαίωσις. Probamus ab experientiâ. Ubi enim rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis? Evolvatur Psalmus CXLV. quem Rabbini tanti faciunt, ut ter quotidie reci-

tanti

tanti certò vitam æternam promittant. In illo totus quodammodò exercitus attributorum divinorum exhibetur. Agitur enim (1) de Immenſitate, ſub nomine magnitudinis v. 3. (2) de Bonitate v. 7. 9. (3) de Æternitate v. 13. (4) de Omniſcientiâ v. 18, 19. (5) de Omnipotentiâ v. 4. 12. ad quam reſpicitur mentione factâ admirandorum Dei operum. v. 5. 6. 9. (6) de Juſtitiâ v. 7. 17. 20. (7) de Miſericordiâ, v. 8, 9. 14, 15, 16. (8) de Omnipræſentiâ v. 18, 19. (9) de Majeſtate & gloriâ, v. 1, 2. 21. *&c.*

Ἀντίθεσις eſt 1. Ex Reformatis, Chriſtophori Masſonii, ſive ut vero eum nomine compellemus, Chriſtiani Becmanni: qui idiomata ſeu attributa, Deo non niſi impropriè tribui ſtatuit, eo ſcilicet modo, quo organa corporis ei adſcribuntur. Quæ hoc fine ab eo diſputantur, ut idiomatum divinorum communicationem tantò ſecurius impugnet: *Non entis enim nullæ ſunt affectiones.* Conf. Calov. Syſt. P. 2. p: 239. Easdem tibias ex Novatoribus hodiernis inflans D. Thomaſius, ad M. Alberti Chriſtiani Rotthii Qu. 2. reſpondet n. 4. *Quicquid prædicatur de Deo, prædicatur impropriè. Neq; hæc aſſertio ſolùm procedit in prædicatis à corpore deſumtis, ſed & à Spiritu. Unde quemadmodum Deus habet manus & oculos, impropriè; ita impropriè virtuoſus, juſtus, verus &c. eſt: ita impropriè intelligit & vult.*

2. Scholaſticorum illorum, qui ideo Nominales dicuntur, quod ut univerſalia in Philoſophicis, ita pariter attributa in Deo, nuda nomina eſſe contendunt. Inter Nominales & Reales, acerrima olim gerebantur bella, ut ſæpe â verbis ad verbera deſcenderetur, quod Heidelbergæ, ubi contigua Collegia, ſeu ut tunc vocabantur, Burſas habebant, factum eſt; quò Aventini L. 6. Annal. Bojorum. p. m. 624. memorabilia verba ſpectant, ſcribentis: *Hiſce temporibus fuiſſe reperio Rucelinum Britannum, Magiſtrum Petri Abelardi, novi Lycæi conditorem.*

ditorem, qui primus ſcientiam vocum ſive dictionum inſtituit, novam Philoſophandi viam invenit. Eo namque autore duo Ariſtotelicorum Peripateticorum genera eſſe cœperunt, unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod ſcientiam rerum ſibi vendicat, quamobrem Reales vocantur: alterum novum, quod eam diſtrahit, Nominales ideo nuncupati, quòd avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur eſſe adſertores. In hiſce duobus generibus disſidium, & bellum civile eſt: illius Thomas Aquinas Italus; & Joannes Dunſo Scotus: Hujus Wilhelmus Occomenſis Anglus (cujus ſepulchrum marmoreum apud nos in Bojariâ Monachii in templo Franciſcanorum monſtratur) Marſilius Haidelbergenſis Academiæ, Johannes Buridanus, Vienenſis Gymnaſii inſtitutor, Gregorius Ariminenſis Viennæ humatus, anteſignani ſunt &c.

3. Gilberti Porretani, Pictavienſium Epiſcopi, qui attributa, â Deo per modum accidentium, diſtingvi tradebat. Hujus doctrinæ ab Eugenio Pontifice damnabatur in concilio Rhemenſi.

Theſis IV. *DEUS eſt æternus.*

ἔκθεσις. 1. Æternitas Hebræis עולם, quæ vox in utrâque lingvâ ambiguitate laborat: Nam latisſimè tempus quodcunque diuturnum; ſtrictiùs ævum; ſtrictisſimè durationem ſimpliciter indefectibilem ſignificat, quæ videlicet nec initium habuerit, nec finem habitura ſit, adeoque, ut cum Scholaſticis loquamur, *indefectibilis ſit â parte ante & â parte poſt.*

2. Hâc duratione Deus & opera ejus interna gaudent: Opera verò externa, quoniam â Deo quidem, ſed tamen extra Deum ſunt, tempus admittunt. Sic creatio tempore prior fuit redemtione.

3. Deus coëxiſtit tempori; ſed non exiſtit in tempore: quia æternitas omnia tempora abſorbet. Rectè igitur Auguſtinus

ſtinus de Verâ Religione c. 49. *Æternitas tantummodò eſt: nec fuit, quaſi jam non ſit, nec erit, quaſi adhuc non ſit.*

4. Quando autem Deo tempus adſcribitur, id non fit propriè; verùm impropriè & per συγκατάβασιν: Modique tales loquendi tantùm affirmativè, nunquam verò negativè intelligendi ſunt, juxta illud Hieronymi: *Deus fuit, hoc eſt: nunquam defuit: Deus eſt, hoc eſt, ſemper eſt: Deus erit, hoc eſt, nunquam deerit.*

βεβαίωσις. Probatur 1. ex Pſ. CII. 26, 27, 28. Quia Deus (1) indicatur fuiſſe ante cœlum & terram v. 26. (לְפָנִים) *In facie*, i. e. cum ipſe jam adeſſet, *terram fundavit* &c. Ante hæc verò fuit mera æternitas. Prov. VIII. 23. 27 (2) dicitur creaſſe cœlum & terram v. 26. E. & tempus, quippe quod menſuratur per motum ſiderum cœleſtium. (3) extra omnem motum *immobilis permanere* aſſeritur, h. e. ſine ſucceſſione prioris & poſterioris, præteriti & futuri v. 26. 28. אַתָּה הוּא *Tu ipſe, & anni tui non conſumentur* (4) denegatur ei principium v. 26. & finis v. 28. quæ ſunt requiſita æternitatis (5) in eo opponitur creaturis mundanis, quod hæ inceperint eſſe & interituræ ſint, v. 26, 27, quæ eſt deſcriptio temporis. Si igitur creaturæ mundanæ ſunt in tempore, ſequitur Creatorem eis ſub hoc reſpectu oppoſitum, eſſe æternum: Oppoſitorum enim ſunt oppoſita prædicata.

2 ex Apoc. IV 8. 9. Quia (1) Dei duratio eſt continua ſimulque tota, utpote omnes temporum differentias abſorbens, juxta deſcriptionem æternitatis Ariſtotelicam: ſeu ut Boëtius de Conſolatione L. 5. c. 6. inquit: *Deus eſt interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Ideo enim deſcribitur ὁ ἦν ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui erat, exiſtens & qui venturus eſt* v. 8. (2) diſertis verbis vivere traditur εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων *in æternitates æternitatum*, ſeu ab æterno in æternum v. 9. quod reſpondet illi Hebræorũ מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם Pſ. XC. 2.

3. ex

3. ex descriptione Dei, quando vocatur Deus seculi Gen. XXI. 33. Es. XL. 28.

4. ex aliis Scripturæ locis. Psalm. XC. 3. Es. XLIV. 6. 1. Tim. I. 17.

Ἀντίθεσις. est 1. Gentilium, qui Diis suis omnibus, ne summo quidem Jove excepto, initium adscribebant; quâ de causâ ab Arnobio, Athenagorâ aliisque falsè exagitabantur. Ridicula certè sunt illa Ovidii L. 2. Fast.

Ante Jovem genitum terras habitâsse feruntur
Arcades, & Lunâ gens prior illa fuit.

2. Hæreticorum veterum e. g. Manichæorum, qui Deo bono aliud principium coæternum, sed malum, adjungebant: Item Hermogenianorum & Seleucianorum, qui materiam aliquam Deo coæternam fingebant, ex quo Materiarii ab Orthodoxis dicti sunt. Horum sputum nostro tempore Petersenia lingit, cujus verba ex nugis muliebribus super Apocalypsin Observat. Rubric. 27. p. 443. adducuntur in Supplem. Synops. arr. 4. Th. unic.

4. Vorstii, qui negat æternitatem Dei esse omnino infinitam & totam simul præsentem, statuitque dari in eâ successionem præsentis, præteriti & futuri; quo ipso virtualiter impugnat Dei æternitatem.

Thesis V. *Deus est Spiritus & consequenter incorporeus.*

Ἔκθεσις. 1. Vocabulum Spiritus in sensu Physico etiam ad aërem aliaque subtiliora corpora extenditur; in sensu autem Pnevmatico, qui solus hujus loci est, omni omnino corpori opponitur

2. Eadem vox, quando de Deo usurpatur aut οὐσιωδῶς seu essentialiter, aut ὑποστατικῶς seu personaliter accipi solet. Posteriori modo, quatenus in ipso nomine ad æternam ineffabilemque spirationem respicitur, soli tertiæ Personæ SS. Trinitatis

nitatis competit, quæ ideo *Spiraculum Omnipotentis* vocatur. Job. XXXIII. 4. & *Spiritus labiorum Dei.* Es. XI. 4. Priori autem modo quælibet Persona, respectu essentiæ spiritualis, rectè dicitur Spiritus, ut tamen non sint tres Spiritus; sed tres Personæ, de quibus prædicatur una numero essentia, quæ est Spiritus. Atque ita expresse divina natura Filii vocatur *Spiritus*, in oppositione ad carnem, seu humanam naturam. 1. Petr. III. 18. Rom. I. 4.

3. Quando autem Deo in Scripturâ corpus & membra corporea tribuuntur, tum *quæ dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, intelligenda sunt θεοπρεπῶς* v. g. ut tropicè *oculi* significent scientiam. Job. XIV 3. *aures* facilitatem suscipiendi preces. Ps. XXXIV. 16. *nares* & *odoratus* beneplacitum. Gen. VIII. 21. *os* & *loquela* revelationem voluntatis ejus Num. XII. 8. *vultus* & *facies* manifestationem per opera &c. Sic Deo etiam *alæ* adscribuntur. Ps. XVII. 8. ad indicandam protectionem, quam suis præstat, non aliter ac gallina pullis.

4. Picturæ in templis nostris non exprimunt Dei essentiam; sed apparitiones: Enimverò nec in corpore sibi proprio apparuit; sed in assumto. Unde distingvimus inter Dei naturam & revelationis οἰκονομίαν.

βεβαίωσις Probatur 1. ex Joh. IV. 24. *Deus est Spiritus*: Græcè πνεῦμα ὁ Θεός: ubi subjectum propositionis est Θεός, quod patet ex adjuncto articulo ὁ: Prædicatum verò est πνεῦμα, quod totus contextus indicat: Nam Christus ostensurus, *Deum in spiritu*, hoc est spirituali ratione, *esse adorandum* v. 23. tali medio termino utitur, quia Deus ipse est Spiritus & consequenter corporalia non moratur, nisi quatenus prosunt ad spiritualia. Illatio hæc nullius momenti foret, si Deus esset corpus, quamvis subtilissimum tenuissimumque.

2. ex loco parallelo, 2. Cor. III. 17.

3. per consequentiam. Quia idololatriæ accusantur, qui simi-

litudinem creaturæ Deo tribuunt Rom. I. 23. Pſ. CVI. 20. Jerem. II. 11.

Ἀντίθεσις eſt 1. Tertulliani, qui in libro adverſus Praxeam Deum dixit *corporeum:* quem tamen Auguſtinus excuſat, quod impropriè locutus per Corpus intellexerit Subſtantiâ, quo ſenſu idem ſcriptor etiam Angelis & Animabus corpus attribuit.

2. Audianorum, ab Audio Meſopotamienſi ſic dictorum, qui alioqui â doctrinâ Antropomorphitæ vocabantur, quod Deo corpus humanum & corporis membra figuramq; affingerent.

3. Muhamedanorum quorundam, Deo eſſentiam corpoream animamque in ſenſu proprio adſcribentium: Sic enim de Arabibus Sephatiis narrat Abul Farajius, quod *in adſtruendo auditu, viſu & loquelâ Dei eousque progresſi ſint, ut corporeitatem aſſererent, & quæ in Alcorano de ſesſione in throno, creatione manu peractâ extant, ſecundum literam acciperent, dicti propterea Al Moshabhehi i. e. Asſimilatores.*

4 Vorſtii, ex cujus Hypotheſibus deducitur, quod Deum ſtatuerit *corporeum, viſibilem, longum, latum & profundum, certoq; loco affixum.* &c. Vid. Gerh. Exeg. Loci de Deo §. 114.

Theſis VI. *DEUS eſt naturæ ſimplicis adeoque impartibilis.*

ἔκθεσις 1. Naturæ ſimplici opponitur compoſita: Simplex enim deſcribitur, cui repugnat compoſitio realis.

2. Ex quo patet, Simplicitati non adverſari diſtinctionem; ſed tantùm compoſitionem.

3. Diſtinguimus verò inter compoſitionem realem & rationis. Poſteriorem in Deum cadere concedimus e. g. ex naturâ & ſuppoſito inſeparabili, ex ſubjecto & attributo eminenti, ex conceptu contrahibili & contrahente: Priorem verò omnibus modis Deo denegamus, qualis eſt (1) ex actu & potentiâ, (2) ex naturâ & ſuppoſito ſeparabili, (3) ex ſubjecto & accidente, (4) ex accidente & accidente, (5) ex partibus, ſeu eſſentialibus, ſeu integralibus.

4. Cum

Respon. MICH. FRID. Fischer / Mariæb. Bor.

4. Cum Deus dicitur coli, invocari, contemni, &c. ejusmodi prædicata quoniam non interna, ſed prorſus externa ſunt, ideò nullam compoſitionem cauſantur. Nam compoſitio ſupponit unionem eorum, ex quibus compoſitum conſtat.

5. Locus vel motus localis, Deo in Scripturis impropriè adſcribitur, ut ſignificetur peculiare opus, per quod ſe Deus eo in loco manifeſtavit.

6. In Myſterio S.S. Trinitatis proprietates perſonales eſſentiam nec dividunt, nec multiplicant; quamvis perſonas diſtingvant. Nam eſſentia divina tota eſt in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu S. Proindè nulla hic eſt compoſitio: quia impoſſibile eſt, totum eſſe in aliquo eorum, ex quibus componitur; quemadmodum Divinitatem diximus eſſe totam in ſingulis Perſonis.

βεβαίωσις Probatur 1. ex nominibus Dei Exod. III. 14. ſeq. ubi appellatur יְהֹוָה â Rad. הָיָה *Fuit* & אֶהְיֶה â Rad. הָיָה ejusdem ſignificationis. Utroque nomine Deus indicat, ſe eſſe perfectè & abſolutè eſſentiam, â nullo, nequè per aliud, ſed â ſe ipſo & per ſe ipſum exiſtentem, ut quicquid in Deo eſt, vel eſſe dicitur, nihil aliud ſit, quam ipſa eſſentia, non aliquid eſſentiæ, aut aliquid in eſſentiâ.

2. ex Spiritualitate Dei, utpote ex quâ Simplicitas, quemadmodum ex Simplicitate Impartibilitas fluit.

3. Ex aliis attributis Dei, nempe Perfectione, Independentiâ & Immutabilitate omnimodâ. Ubi enim compoſitio, ibi mutabilitas quædam, per illa & in illa ex quibus componitur. Compoſitum quoque dependet â partibus componentibus, nec abſolutè perfectum eſt.

4. Ex ratione. Si Deus eſt compoſitus, ab alio priori compoſitus ſit, neceſſe eſt: Nihil enim ſe ipſum componit. At Deus priorem non habet. Eſ. XLIII. 10.

Ἀντίθεσις. Est præter eos, quorum in præcedenti Thesi mentionem fecimus 1. Manichæorum, qui substantiam Dei frustratim in omnes creaturas diffusam esse finxerunt.

2. Arminianorum in Examine Censuræ. c. 2. qui *de simplici Dei naturâ ne jota quidem in Scripturâ esse* scribunt, adeoq; eam ex Theologiâ eliminatam cupiunt.

3. Zanchii L. 2. de tribus Elohim p. 7. qui tres personas statuit vocari posse *essentiales partes Dei.*

4. Vorstii, qui axiomata illa falsitatis accusavit: *In Deum non cadere compositionem: Nullum accidens esse in Deo: Quicquid in DEO est, esse ipsum DEum* &c.

Thesis VII. *DEUS est immensus.*

Ἔκθεσις 1 In Aug. Conf. Immensitas essentiæ, Deo non adscribitur expressè, sed tamen per consequentiam. Nam quia Deus asseritur esse immensus in potentiâ, sapientiâ & bonitate, præsupponitur esse immensus in essentiâ.

2. Immensitas autem hæc in eo consistit, quod ubietas essentiæ divinæ interminabilis est; ita ut Deus non tantum sit in Ubi quod datur, sed etiam in Ubi quod cogitari potest. Posterius hoc Ubi â Scholasticis *Spatium imaginarium* vocatur, sed in controversiis de Deo minùs accuratè. Qui enim Ubietatem Dei per spatium concipit, idem ille Deum ut terminatum concipit; cum spatium sit terminus rei.

3. Ubietas Dei non est circumscriptiva, qualis competit corporibus; nec definitiva, qualis attribuitur Angelis; sed repletiva, implens omnia, continens omnia, excedens omnia.

4. Non tamen Ubietas ista dicitur repletiva in sensu physico, per essentiæ extensionem, aut per commixtionem, aut per sui multiplicationem; sed in sensu hyperphysico, per loci exclusionem Jer. XXIII. 24.

5. Deus in cœlô est. Ps. CXXIII. 1. sed non in solo cœlo.

Habita-

Habitare ibi traditur Pf. II. 4. non tamen propriè loquendo & propter inclusionem; sed impropriè & propter excellentiorem manifestationem.

6. Similiter Deus legitur ascendere & descendere. Gen. XI. 7. non essentiâ; sed operatione; non mutatione loci; sed declaratione justitiæ, vel misericordiæ.

7. Pro Immensitatis synonymo habetur Omnipræsentia; sed minus rectè: Nam Immensitas est attributum absolutum; Omnipræsentia respectivum: cum Deus omnipræsens dici nequeat, nisi sub respectu ad ea quibus præsens est: Immensus autem est, tametsi nihil præter ipsum adsit.

βεβαίωσις. Probamus 1. ex 1. Reg. VIII. 27. Ubi Immensitas Dei adstruitur (1) negativè: *Num verè Deus habitabit super terram?* Interrogatio hæc non est dubitantis; sed admirantis & rem de quâ quæstio est, negantis. Non autem negatur præsentia Dei super terris; sed duntaxat habitatio propriè sic dicta (יֵשֵׁב à Rad. יָשַׁב *Sedit, Mansit; Habitavit*) quippe quæ localem circumscriptionem infert. (2) positivè: *Ecce cœli & cœli cœlorum non continent te.* שְׁמֵי הַשָּׁמַיִם sunt supremi cœli, uti *vanitas vanitatum* est maxima vanitas, Eccl. I. 2. *servus servorum* est servus abjectissimus. Gen. IX. 25. *canticum canticorum* est canticum excellentissimum.

2. ex aliis Scripturæ dictis. Job. XI. 8. 9. Jer. XXIII. 23. 24. Act. VII. 49. XVII. 27. 28.

Αντίθεσις est 1. Socinianorum, Remonstrantium, Anabaptistarum, Weigelianorum & Vorstii, qui simpliciter negant, Deum nobis præsentem esse substantialiter & naturâ suâ.

2. Ex Reformatis Calvini, Marnixii, Danæi &c. qui loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur replere cœlum & terram, vel creaturis adesse, de præsentiâ virtutis & potentiæ exponunt. Vide Calov. Systtem. P. 2. p. 383. Menzerus Exeg. A. C. p. 35. §. 2.

Thesis VIII. *Deus est immensæ potentiæ, sive quod idem est, Omnipotens.*

ἔκθεσις 1. Omnipotentia sic dicitur â potentiâ activâ; non passivâ, cum quâ nihil nobis nunc est commercii.

2. Immensa autem seu infinita vocatur Dei potentia dupliciter: cum extensivè, respectu effectuum: tum intensivè, respectu efficaciæ ac virtutis in agendo. Nam Deus non modò efficere valet quæ effecit; sed etiam quæ non effecit: imò nec tantùm quæ vult; verùm insuper quæ non vult, dummodò contradictionem non implicent.

3. Interim potentia illa, quæ in se una est, ratione objectorum distingvitur in absolutam, quâ Deus simpliciter omnia potest; & ordinatam, quâ ea potest, quæ se velle manifestavit.

4. Absolutæ potentiæ objectum non sunt actiones Dei ad intra; sed tantùm ad extra. Unde frustrà Sociniani omnipotentiam Filii Dei ex eo fundamento impugnant, quod non possit generare alium Filium: Nam generatio est actio Dei ad intra.

5. Quæ contradictionem implicant, etsi quoad modum loquendi, videantur notare potentiam; quoad rem ipsam tamen potiùs indicant defectum potentiæ. Unde Augustinus scribit L. 1. de Symb. c. 1. *Deus ideo est omnipotens, quia mala facere non potest: & si posset facere, non esset omnipotens.*

6. Hæc igitur ab omnipotentiâ excipiuntur: non propter DEI impotentiam; sed propter sui repugnantiam. Unde magis piè dicimus, talia fieri non posse, quàm Deum talia facere non posse e. g. se ipsum negare 2. Tim. II. 13. peccare, mori, factum reddere infectum, &c. Huc pertinent illa Chrysostomi Homil. 14. in Joh. *Deus omnia potest, sed ita ut Deus permaneat.*

7. Ex dictis patet, quod Omnipotentia ab Omniscientiâ supere-

ſuperetur quoad numerum objectorum: quia quæ contradictionem involvunt, ſunt Objectum Omniſcientiæ, nec tamen Omnipotentiæ: Enimverò non ſuperatur, quoad proportionem objectorum: Nam uti Omniſcientia ſe extendit ad omnia ſcibilia; ſic Omnipotentia ſe extendit ad omnia poſſibilia. Quæ autem contradictionem involvunt, posſibilitatis ratione deſtituuntur.

8 Diſtingvimus etiam inter imposſibilia naturæ & naturâ. Hæc ab Omnipotentiâ excipiuntur; non illa.

βεβαίωσις. Probamus, 1. ex Luc. I. 37. Quia *apud Deum, nullum verbum eſt imposſibile.* Ubi obſerva (1) quod Angelus Gabriel, ut mandatarius Dei, nil locutus ſit, niſi quod â Deo mittente ei mandatum fuerat. Deus autem mentiri nequit. Hebr. VI. 18. (2) quod per *Verbum*, juxta Hebraicum idioma intelligatur *Res*, ſeu omne quod Entis rationem habet, adeoque contradictionem non involvit. Conf. Jacob. II. 2. (3) quod actum fuerit de partu virgines, per naturam imposſibili & rationis judicio repugnante. Unde Angelus innuit, quod imposſibile eſt apud homines, non eſſe imposſibile apud Deum.

2. Ex aliis Scripturæ dictis, Matth. XIX. 26. Luc. XIIX. 27. Eph III. 20. Gen. XIIX. 14. Jer. XXXII. 17. 27. Zach. IIX 6

Αντίθεσις eſt 1 Ex veteribus Abælardi, qui teſte Bernhardo negabat, *Deum poſſe aliquid facere, præter illa quæ facit.*

2. Socinianorum, qui potentiam Dei ſimpliciter immenſam eſſe negant; ſed eandem, in Catecheſi Racovienſi, ita deſcribunt, *quod Deus omnia posſit, quæ vult.*

3. Reformatorum, qui negant Deum poſſe, quæ rationis ſibi relictæ judicio repugnant. Unde eſt illud Petri Martyris, Bullingeri, Muſculi, &c. *Deum omni ſuâ potentiâ efficere non poſſe, ut Christi corpus ſimul & uno eodemq; tempore in pluribus locis eſſentialiter præſens ſit.*

Thesis IX. *Deus est immensæ sapientiæ, sive, ut uno vocabulo exprimamus, Omniscius.*

ἔκθεσις. 1. Sapientiæ vocabulum aliquando generaliùs censetur vocabulo scientiæ, quatenus Philosophi sapientiam distingvunt in primam secundamque, & secundæ sapientiæ nomine scientiam notant; aliquando angustius, quatenus nonnulli sapientiam in consiliis, decretis & effectibus sese exerere, opinantur. Augustana autem Confessio pro synonymis grammaticis habet, æquè ac Dan. II. 20 & Rom. XI. 33. fit.

2. Scientia Dei distingvitur in specialem & generalem. Illa versatur circa solos Electos: Hæc ad omnia se extendit, quæ ullo modo cognosci possunt, id est, ad Deum ipsum Matth. XI. 27. 1. Cor. II. 11. & alia quæ non sunt Deus, ad entia & non entia, ad possibilia & impossibilia, ad singularia & universalia, ad necessaria & contingentia, ad præsentia, præterita & futura, imo etiam ad futuribilia, id est, ad ea, quæ nunquam futura sunt, futura autem essent, si conditio interposita impleretur, e. gr. 1. Sam. XXIII. 12. Matth. XI. 21.

3. Horum, quæ diximus, alia Scientiæ Dei obversantur positivè, secundum id quod sunt; alia negativè, secundum id, quod non sunt. v. gr. Deus non format Ens rationis, quamvis ab homine factum aut faciendum cognoscat: videlicet non quod sit; sed quod non sit.

4. Mala moralia & mali apud Deum solummodò cadunt sub scientiam theoreticam, sive apprehensionis; cui opponitur scientia, ut vocari solet, practica sive beneplaciti & approbationis, quæ semper jungitur voluntati, & â quâ excipiuntur quædam Matth. VII. 23.

5. Quod ad futura contingentia attinet, eorum ut non est determinata veritas apud homines; ita tamen est apud Deum, à quo præsciuntur. Potest enim effectus in se esse contingens

propter indifferentiam causæ, â qua fluere debet; quamvis ejusdem prænotio sit certa & infallibilis penes eum, qui scit, causam reapse aliquando operaturam esse.

6. Præscientia ista licet infallibilis sit â parte Dei, nullam tamen affert rebus contingentibus necessitatem: eò quod non circa rem duntaxat; sed & circa modum rei versatur: ita ut contingens cognoscat tanquam contingens, possibile tanquam possibile; futurum tanquam futurum, impossibile tanquam impossibile &c.

7. Distingvendum quoque inter has enuntiationes: Præscientia affert contingentibus necessitatem: & contingentia respectu præscientiæ sunt necessaria. Priorem rejicimus, quæ indicat, rem necessario fieri, quia Deus præscivit. Posteriorem admittimus, quæ indicat, Deum necessariò rem præscivisse, quia sic fit.

8. Observandum insuper, quod scientia Dei sit intuitiva. Gen. I. 31. Hebr. IV. 31, non discursiva. Hæc enim, ignotum ex noto colligit, adeoque Deo indigna est, tametsi ei ἀνθρωποπαθῶς adscribatur. Genes. XXII. 12.

9. Similiter Scientia Dei non est successiva; sed simultanea. Nam simul Deus cognovit Sodomam heri peccantem, hodie pœnas igne cœlesti luentem, cras novâ facie se viatoribus repræsentantem &c. quæ cum ab homine cognoscuntur, necesse est, intellectum successivè occupari.

10. Neque scientia Dei est habitualis, ut species intelligibiles præsupponat & ab habitu ad actum procedat; sed merè actualis.

11. Quando Deus cognoscit præterita aut futura; non tamen propterea vel ipse, vel scientia ejus, in tali temporis fluxu constituitur. Hinc distingvimus inter scientiam præteriti aut futuri, & inter existentiam scientis scientiævè in præterito vel futuro. Atqui & Homo in præsenti esse potest, cum

rem

rem præteritam futuramque cognoſcit: quantò veriſimilius eſt, id competere DEO, qui *vocat* (τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα) *non exiſtentia, ut exiſtentia.* Rom. IV. 17.

12. Deus ab æterno, præter ſe ipſum, etiam alia extra ſe cognovit: verùm hæc non juxta eſſe reale & entitativum; cum alioqui fuiſſent, antequam fuiſſent: ſed juxta eſſe ideale & objectivum, quatenus â parte Dei illa etiam præſentia ſunt, quæ â parte rei ut futura ſe habent.

13. Pro diverſitate objectorum ſcientia Dei, in ſe una & ſimplicisſima, diſpeſcitur in neceſſariam, liberam & mediam. Scientia neceſſaria ſive naturalis eſt, quæ ita præcedit decretum voluntatis, ut hoc nullo modo præſupponat; unde etiam ſcientia antecedens & indefinita dicitur. E. gr. cum Deus ſeipſum & res posſibiles, nec tamen futuras cognoſcit. Scientia libera eſt, quæ ſequitur decretum voluntatis, atque hoc adeo præſupponit: unde etiam Scientia conſequens & definita dicitur. E. gr. cum Deus alia extra ſe, quæ præſentia, vel certò futura ſunt, cognoſcit. Scientia media eſt, quæ ſecundum ſe decretum voluntatis præcedit, & nihilominus ratione objecti idem iſtud decretum conditionatè præſupponit. e. gr. cum Deus futuribilia cognoſcit.

14. Unde patet, ſcientiam mediam non appellari ita, ſub reſpectu ad apprehenſionem divinam, quaſi Deus per eam exploraret ignota; quo ſenſu rectè exploditur ab Hülſemanno, Breviar. Extenſ. c. 4. §. 8. ſed tantùm ſub reſpectu ad rem cognoſcendam.

βεβαίωσις Probamus 1. ex Pſalm. CXXXIX. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 16. 23. 24. ubi Omniſcientiæ objectum ſatis clarè exponitur, nimirum quod ſe extendat (1) non tantùm ad neceſſaria; ſed etiam ad contingentia, ut ſunt *ſedere, ſurgere, cogitare* v. 2. *ambulare, accumbere* v. 3. *loqui* v. 4. (2) non tantùm ad præſentia; ſed etiam ad futura: quia Deus intelligit cogita-

cogitationes מֵרָחוֹק *è longinquo*, id eſt, priuſquam ab homine concipiantur. v. 2. itemque verba, priuſquam â linguâ proferantur. Hebraicè: *Non ſermo in lingvâ meâ, ecce, Domine tu noſti* v. 4. nec non *hominem, priusquam* in utero *formetur*, illiusque futuros *vitæ dies* v. 16. (3) non tantùm ad bona; ſed etiam ad mala, ut eſt דֶּרֶךְ עֹצֶב *via doloris*, nimirum, quæ dolorem affert conſcientiis. Lutherus reddidit: **Böſe Wege.** v. 24. (4) non tantùm ad ea, quæ ſunt; ſed etiam ad ea, quæ non ſunt. David enim Deum inveſtigare & probare jubet id, quod non erat v. 23, 24. Hebraicè: *Proba me & vide*, אִם־דֶּרֶךְ עֹצֶב־בִּי *ſi via doloris in me*: quaſi dicat: invenies eam non adeſſe, ut Job. XXVII. 6. (5) non tantùm ad manifeſta; ſed etiam ad occulta, ut ſunt cogitationes cordis. Hebraicè: *Inveſtiga me Deus & ſcito cor meum* v. 24. Inde Deus καρδιογνώϛης & quidem Solus eſſe dicitur 1. Regum VIII. 39. (6) ad ipſa quoque futuribilia. Nam Deus per ſcientiam *retrò & antè obſidet* (צַרְתָּנִי à Rad. צור obſedit) *hominem, & ponit ſuper eum volam ſuam* v. 5. Senſus eſt: Deum poſt factum & ante factum ſcire, quid agatur, & ſæpiùs impedire, ne fiat, quod alioqui cum damno hominis fieret. (7) imo ad ea, quæ hominum ſcientiam fugiunt. Hebraicè: *Mirabilis ſcientia præ me, excelſa eſt* לֹא־אוּכַל לָהּ *non potero ei*. Lutherus: **Solches Erkendtniß iſt mir zu wunderlich und zu hoch / ich kans nicht begreiffen** v. 6.

2. Ex aliis Scripturæ locis Job. XXXIV. 21. 22. Proverb. XV. 3. Sirac. XXIII. 28. ſeq. XLII. 18. ſeq.

Ἀντίθεσις eſt 1. Gentilium, imprimis Ciceronis, qui tàm in Deo, quàm in hominibus, futurorum notitiam inficiabatur.

2. Ex Muhamedanis Averrhois & Avicennæ, quorum uterq; negavit, Deum cognoſcere ſingularia: Ille quidem ideò, quod infinita cognoſci nequeant: Hic autem, quod ſic divina ſcientia â rebus mutabilibus dependeret.

3. Socinianorum, qui negant, Deum peccata, imò quæcunque futura contingentia præſcire, antequam fiant.

4. Vorſtii, qui inficiabatur, Deum ſimpliciter omnia ſcire. Aſſerebat etiam, ſcientiam Dei â potentiâ tranſire ad actum & quandoque fieri per diſcurſum.

Theſis X. *DEVS eſt omnibonus, ſive ut Auguſtana Confesſio loquitur, immenſæ bonitatis.*

ἔκθεσις. 1. Bonitas Dei non eſt accidentalis; ſed eminens.

2. Competit autem ei cum ὀσιωδῶς ſive entitativè, quando bonus dicitur in eſſendo; tum ἐνεργητικῶς ſive activè, quando bonus dicitur in volendo & operando.

3. Alii Deum vel ſimpliciter, vel reſpectivè bonum dici, rectè ſcribunt Simpliciter bonus, imò ipſa bonitas fuit ab æterno: Reſpectivè ſe bonum declarat in creaturis, maximè quibus ſe in Eccleſiâ communicat.

4. Creaturis præter bonitatem moralem bonitas eſſentialis adſcribitut: non tamen per eſſentiam & independenter, uti ſolus Deus eſt bonus Matth. XIX. 17. ſed per participationem & dependenter, quatenus cætera dicuntur bona in ordine ad Deum, ceu cauſam bonitatis dependentis producentem, conſervantem, finalem & exemplarem; ita ut quicquid bonum eſt, id tale ſit â Deo, per Deum, propter Deum & ſecundum Deum.

5. Bonitas in volendo & operando ſpeciali nomine dicitur ſanctitas: cui adverſantur mala culpæ; non pœnæ. Amos III. 6

6. Deus quidem, ut cauſa univerſaliſſima, ad omnia, quæ fiunt, influit, atque adeo etiam ad mala culpæ, ſive peccata: ſed tantùm quà materiale, prouti ſunt actiones; non etiam quà formale, prouti ſunt actiones *moraliter malæ*: prorſus quemadmodum Cytharædus juxta leges artis canens, in δυσφωνία, ex fidium qualitate ortâ, producit cytharæ ſonum; non verò vitium ſoni.

7. Ve-

7. Verum quidem eſt, quod creatura ſine concurſu Dei nihil agere queat; at propterea non ſequitur, quòd creatura concurſu Dei adjuta, neceſſariò benè agat: quia per bonitatem & malitiam jam ſpecificatur ac determinatur actio, ut bona vel mala dicatur; id quod à causâ ſecundâ & particulari eſt; non â causâ primâ & univerſali.

8. Deus permittendo mala culpæ, ſivè peccata, ſtrictè loquendo nec velle ea ſtatuendus eſt, nec nolle; ſed non velle. Permittit autem propter bonum, quod inde elicitur, ad minimum, propter declarandam miſericordiam, aut juſtitiam.

βεβαίωσις. Probatur 1. Generaliter & quidem (1) Poſitivè, quod Deus ſit bonus, ex Pſalm. XXV. 8. *Bonus & rectus eſt Dominus*: ubi טוֹב indicat bonitatem entitativam, ut Geneſ. I. 31 יָשָׁר autem bonitatem activam ſeu ſanctitatem: inde יְשָׁרִים *ſancti*, ſive *juſti* Pſalm. CXII. 2. (2) Negativè, quod nulla in eum cadat malitia Pſalm. XCI. 16. *Rectus Dominus, & non malitia in eo*

2. Specialiter (1) Quod ſit bonus in eſſendo: quia ab eo eſt bonitas eſſentialis creaturarum. Geneſ. I. 31. Quicquid verò perfectionis eſt in creaturis, eſt etiam in creatore. (2) Quod ſit bonus in operando. Deut. XXXII. 4. Pſalm. XXV. 10. CXVII. 2. Jerem. XXXIII. 11. Spectant huc loca de Sanctitate Dei Levit. XIX. 2. 1. Sam. II. 2. Eſa. VI. 3. ſeq.

Αντίθεσις eſt 1. Gentilium, qui Diis ſuis deteſtanda facinora adſcribebant, quo nomine apud Apologeticorum Scriptores in primævâ Eccleſiâ vapulant.

2. Hæreticorum veterum, ut Simonianorum, Valentinianorum, Florianorum, Marcionitarum, Seleucianorum, Manichæorum, qui malum à Deo, ut à causâ deduxerunt.

3. Reformatorum, qui Deum pro auctore vel causâ peccati venditant, vel verbis expresſis ut Bucerus, Martyr. &c. vel per hypotheſes ſuas, quales ſunt, voluntatem creaturarum à Deo præ-

determinari ad omnes actus, tam malos quàm bonos: Deum ea quæ præſcit, etiam velle: Deum ex abſoluto decretò quosdam deſtinare ad exitium, imo etiam ad cauſam exitii: nihil evenire, niſi quod Deus velit. &c.

4. Syncretiſtarum, qui Deum cauſam per accidens peccati eſſe ſtatuunt, quam phraſin Calixtus pro licitâ habuit; Dreierus autem pro utili & neceſſariâ, ſine quâ commodè Scriptura explicari nequeat.

Theſis XI. *DEVS & quidem ſolus, eſt Creator omnium rerum.*

ἔκθεσις. 1. Creatio impropriè loquendo notat generationem Pſal. CII. 19. renovationem Pſal. LI. 12. pœnarum immiſſionem Eſ. XLI. 20. cujuslibet rei in meliorem ſtatum mutationem &c. Propriè autem loquendo ſignificat productionem rei ex nihilo, vel negativo, vel privativo.

2. Productio iſta eſt opus Dei trinunius, Patris, Filii & Spiritus S. quæ tres perſonæ influebant virtute unâ, indiviſâ & infinitâ.

3. Propter unitatem virtutis, quælibet perſona erat cauſa principalis; nulla inſtrumentalis.

4. Propter indiviſionem virtutis, quælibet perſona erat cauſa totalis; nulla partialis. Creatio communis erat tribus perſonis: ſed non ut cauſis ſociis; verùm ut cauſæ uni indiviſa virtute influenti.

5. Propter infinitudinem, nulla inter perſonas locum invenit diſparitas: datur ibi ordo in agendo; ſed non potentiæ inæqualitas.

6. Quod plures perſonæ concurrebant ad idem opus, non fiebat, propter ſingularum perſonarum inſufficientiam; verùm partim propter identitatem eſſentiæ divinæ, in omnibus perſonis: partim propter naturam huius actionis; quia eſt opus ad extra, adeoq; toti Trinitati commune.

7. Cum

7. Cum in Scripturâ opus aliquod Creationis uni vel alteri Personæ Trinitatis adscribitur, id non exclusivè intelligendum est; sed inclusivè: non de reliquarum personarum remotione; sed de singulari unius personæ appropriatione.

8. Creavit autem Deus omnia, quæ extra divinitatis essentiam sunt: ut proinde Filius & Spiritus S. excipiantur, utpote, qui cum Patre eandem divinitatis essentiam constituunt.

9. In agentibus necessariis, creatum potest coëxistere causæ e. gr. lux soli, calor igni &c. non autem in agentibus liberis, quemadmodum se habet Deus ad creationem. Impossibile igitur est, creaturam esse Deo coæternam: Quia creatura suum esse habet â creatione: Creatio autem ponit initium; quod æternitas negat.

10. Ante Creationem Deus non fuit otiosus; sed egit, quæ voluit. Horum quædam nobis revelata sunt Eph. I. 4. 2. Tim. I. 9. quo etiam refertur decretum creationis. Reliqua autem Deus reticuit, quæ religioso silentio venerari decet. Proverb. XXV. 2. Rom. XI. 33. 34.

βεβαίωσις Probamus 1. ex Esa. XLIV. 24 I. *Deum esse Creatorem*, quia (1) describitur ut Plasmator hominum: *Sic dicit* יֹצֶרְךָ, *Plasmator tuus ex utero.* Hebraicum יָצַר significat *Finxit* & propriè figulorum est. Quando autem de homine usurpatur, juxta R. Kimchium notat formationem membrorum. (2) Ei attribuitur extensio cœli & expansio terræ.

II. *Deum esse Creatorem omnium rerum*, quia (1) fecit omnia: *Ego Dominus faciens omnia.* Nihil hic excipi, patet ex collatione Joh. I. 3. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso nihil factum est, quod factum est.* Ubi τὸ omnia ita explicatur, ut nihil eorum, quæ facta sunt, non comprehendat. (2) Ab eo est *extensio cæli & expansio terræ.* Cœlum autem & terram intelligi cum contentis, evincitur ex loco parallelo Nehem. IX. 6. *Tu fecisti cælum, cælos cælorum, & omnem exercitum*

eorum, terram & universa, quæ super eâ. Hisce igitur duobus, *cœlô & terrâ*, juxta stylum Spiritus S. denotantur simpliciter omnia, quæ facta sunt. Conf. Genes. II. 1. 2.

III. *Deum solum esse Creatorem*; quia (1) *fecit omnia*: si autem Deus fecit omnia, sequitur nihil factum esse ab alio, in oppositione ad Deum: Quod enim ab alio factum esset, à Deo factum non esset. (2) expresse alios ab opere Creationis excludit. *Ego Dominus extendens cœlos* לְבַדִּי *solus ego*, expandens terram מֵאִתִּי *à mecum*, id est, à me ipso. Lutherus ad sensum respiciens emphaticè reddidit: **Der die Erde weit machet / ohne Gehülffen.**

2. Ex aliis Scripturæ dictis Genes. I. p. t. Job. IX. 7. seq. Es. XL. 26. Actor. XVII. 24. 1. Cor. IIX 6. Col. I 16.

Ἀντίθεσις est eorum, 1. qui negant, Deum esse Creatorem, ut Simon Magus & sequaces, imprimis Manichæi, qui cum duo principia comminiscerentur, bonum & malum; mundi creationem à malo principio deducebant. Hodie Sociniani huc referendi sunt: Nam cum Filium & Spiritum S. ab opere creationis excludant, per consequentiam convincuntur negare, Deum esse Creatorem: quia non solum Patrem, sed & Filium ac Spiritum S. esse Deum, Orthodoxi contra eos invictis argumentis demonstrarunt.

2. Qui negant, omnia à Deo creata esse; in quâ opinione hærent, qui materiam DEO coæternam crediderunt, cum Hermogene. Hos prisca Ecclesia Materiarios vocavit, quorum hypothesin Sociniani excusant. Verba Peterseniæ **über die Offenbahrung** Rubric. 27. p. 341. Materiariis consentientia, adduximus in Supplemento Synops. Articul. IX. quæst unicâ.

3. Qui negant, Deum solum omnia creasse; quippe cui socios adjungunt. Sic olim Archontici, ultima Valentinianorum proles & ex recentioribus Weigelius, **im goldenen Griffe** p. 7.

p. 7. ubi ab Angelis astra & elementa profecta esse; somniat.

Thesis XII. *DEUS per providentiam est conservator omnium rerum.*

ἔκθεσις. Providentia Græcis πρόνοια dicitur. Vox hæc licet quà sonum in libris Canonicis non occurrat: extat enim solummodò Sapient. XIV 3. sufficit tamen, quod ibidem quà sensum reperiatur, videlicet sub aliis nominibus E. gr. *Visionis*, Genes. XXII. 8. *Ordinationis*, Psal. CXIX. 91. *Dominii*, Actor. XVII. 24. *Curæ*, 1. Petr. V. 7.

2. In explicandâ naturâ providentiæ, magis ad vocis usum, quàm ad nudum etymon attendimus. Ex usu igitur vox Providentiæ Deo applicata, bifariam accipitur, latè quidem ut πρόγνωσιν sive præscientiam, πρόθεσιν sive decretum, & διοίκησιν sive ordinationem complectatur: Strictè autem loquendo sola διοικήσει sive ordinatione absolvitur.

3. Hæc διοίκησις sive Ordinatio tribus modis se exerit, nempe per Conservationem, Concursum cum causis secundis & Gubernationem. Cum autem Augustana Confessio posteriores duos actus prætereat, nos similiter de primo solùm agemus.

4. Conservatio illa non tantùm consistit in permissione aliquâ Dei, dum sinit creaturas vivere & esse, ita ut hoc ipsum, quod non intereant, indulgentiæ ejus debeant; verùm etiam in actuali sustentatione, per quam Deus in esse creaturarum penetrat, non solùm influxu generali, sed etiam speciali, imo singulari: neque solùm mediatè, per potentiam causis secundis impressam, vel relictam; sed etiam immediatè, suâmet operatione.

5. Ex quo patet, conservationem non esse actum merè negativum; sed verè positivum, & quidem profectum à Deo, non modò immediatione virtutis; verùm quoque immediatione

tione ſuppoſiti præſente, cujus præſentiæ fundamentum eſt Immenſitas.

6. In modo conſervationis aliqua diverſitas occurrit, inter corruptibilia & incorruptibilia. Incorruptibiles enim creaturæ E.gr. Angeli, non niſi in individuis conſervantur, quorum eſſe, prouti in creatione iis conceſſum eſt, perpetuò â Deo prorogatur. Corruptibiles autem creaturæ conſervantur in ſpeciebus quoad eſſentiam, & in individuis quoad exiſtentiam. Eſſentia enim per generationem in novis individuis propagatur, etiamſi vetera intereant.

7. Dividitur etiam conſervatio in ordinariam, cum Deus mediis conſvetis utitur, & in extraordinariam, cum Deus ſine mediis conſvetis agit, cujus exemplum habemus Deut. IX. 9.

8. Objectum Conſervationis & conſequenter Providentiæ ſunt res omnes, ne minimis quidem exceptis. Nam, quæ contemta & indigna videntur in oculis hominum, non propterea etiam talia ſunt in oculis Dei. Unde de Providentiâ non ex noſtro ſenſu judicandum eſt; ſed ex Scripturæ teſtimonio.

9. Etſi autem Deus, ut expoſuimus, verſetur circa omnia; non tamen verſatur circa omnia æqualiter, verùm obſervatis gradibus. Ita magis curat Eccleſiam, quàm reliqua: magis hominem, quàm bruta. Atque idcirco aſſertum Apoſtoli de *bobus, quaſi Deo haud curæ eſſent*, non abſolutè; ſed comparatè intelligendum eſt, 1. Cor. IX. 9.

βεβαίωσις. Probamus 1. ex Matth. X. 29. 30. 1. Quod detur Provipentia: Quia Deus creaturarum curam gerit. Nam ſcopus Chriſti eſt, animis ſuorum metum eximere: quod ut aſſequeretur, hic æquè ac in Pſalmo CXXI. 3. 4. argumentum â curâ Dei depromit. Providentia autem à Damaſceno definitur, quod ſit Dei *in ea, quæ ſunt, cura.*

2. Quod Providentia ſe ad res omnes extendat. Quia (1) ne minima quidem ab eâ excipiuntur v. gr. *paſſeres* & *capilli*, licet duo

duo passeres *asse minuto veneant*, id est, nonagesimâ parte sicli; capillis autem nihil abjectius sit, adeo ut in Græcorum Latinorumque adagio res nihili dicatur *ἀξία τριχὸς pilo digna* (β) Deus res in singulari curat: Nam cum de duobus passeribus sermo esset, additur (καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν ὀ πεσεῖται) *& nec unus ex ipsis cadit in terram, sine voluntate vestri Patris.* Pro eo non minùs notanter Lucas XII.6. cum Christus de quinque passeribus locutus esset, habet: καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον, *& nec unus ex ipsis est oblivioni expositus.* De capillis autem dicitur, quod numerati sint; quâ phrasi ἀνθρωποπαθῶς accuratissima cura describitur. (3) Quod Deus per Providentiam res conservet. Quia (α) facit, ne passer cadat super terram. Unde concludimus: Sine cujus curâ passer caderet in terram, ejus cura conservat passerem, ne cadat. (β) Capillos numerasse traditur. Numeramus autem, quæ conservare volumus; uti ex adverso non numeramus, quæ abjicimus aut contemnimus Sir. XLII.7. Jam à passeribus & capillis ad res cæteras, præsertim majoris momenti, tanquam à minori ad majus, validum ducitur argumentum.

2. Ex aliis Scripturæ dictis, quæ pariter docent (1) quod detur Providentia. Psalm. CIV. p. t. Job. XXXIIX. XXXIX, XL. p. t. Eph. I. 11. (2) Quod providentia se ad omnes res, etiam viles, extendat. Psalm. CXLVII. 9. Matth VI. 26. 28. seq. Psalm. LVI. 9. (3) Quod Deus per Providentiam res conservet. Hebr. I. 3. Actor XVII. 25. 28.

3. Ex ratione. Homo μικρόκοσμος regitur à mente. Ergò totus mundus non est sine rectore. Quis autem alius esset rector, nisi qui anteà fuit conditor?

Ἀντίθεσις est eorum, 1. qui negant Providentiam, ut Athei & Epicurei, quorum impiæ voces recitantur Psalm. X. 13. LXXIII. 11. Job. XXII, 13. 14.

2. qui Providentiæ objectum nimis restringunt, inficiantes,

G Deum

Deum curare omnia. Ita Sadducæi docebant, *DEum extra ſublunarium curam poſitum eſſe*, teſte Joſepho Lib. II. de bello Judaico cap. 7. Maimonides ſimiliter inter omnes res ſublunares ſolum hominem Deo curæ eſſe, exiſtimavit. Ex recentioribus Petrus Molinæus, Conradus Vorſtius & Arminiani dubitarunt, utrum Deus omnia, præſertim vilia & abjecta, in particulari curet.

Theſis XIII. *In Divinitate tres ſunt Perſonæ ὁμοούσιοι, ſive unius ejusdemq́; eſſentiæ, & tamen realiter diſtinctæ, nempè Pater, Filius & Spiritus S.*

Ἔκθεσις. 1. Superiùs, Deum eſſe unum, profeſſi ſumus; non in ſingularitate unius numero perſonæ, ſed in trinitate unius numero ſubſtantiæ. Cavendum ergo, ne à creaturis, quibus competit unitas eſſentiæ ſpecifica, vel generica, argumentum ducatur ad Deum, cui competit unitas eſſentiæ numerica.

2. Vox Perſonæ aut abſtractivè, aut concretivè ſumitur. In priori ſignificatione, quatenus *perſonalitas* dici conſvevit, notat ſimplicem modum per ſe & incommunicabiliter ſubſiſtendi; isque modus ſubſtantiæ ſingulari, completæ & intelligenti vendicatur. In poſteriori autem ſignificatione Perſona præter modum illum, ſimul eſſentiam ita modificatam ſignificat. Cautè igitur diſpiciendum, quomodò in Sophiſmatibus Antrinitariorum vocabulum Perſonæ adhibeatur.

3. Propter Adverſarios obſervandum (1) quod quælibet perſona fundamenti loco requirat eſſentiam; nec tamen multiplicatis perſonis neceſſariò multiplicetur eſſentia. Nam ut perſona quævis habet eſſentiam; ita tamen in divinis non perſona quævis habet eſſentiam, ab eſſentiâ alterius perſonæ diſtinctam. (2) quod à perſonis finitis ad infinitas, non procedat argumentum. In finitis enim quælibet perſona habet totam eſſentiam totaliter & excluſivè; ita ut eam non habeat

alia

alia persona: in divinis autem quælibet persona habet totam essentiam, sed non totaliter & exclusivè; cum eandem totam essentiam quoque habeat alia persona. (3) quod persona inferat incommunicabilitatem κατὰ μέθεξιν sive per prædicationem, aut multiplicationem superioris ad inferiora; non autem κατὰ συνδίασιν, sive per unionem; Sic enim secunda Persona Divinitatis se humanitati communicavit. (4) quod essentia non sit quartum in Deitate; quandoquidem tres illæ personæ & conjunctim & divisim sunt eadem numero essentia. (5) quod à tribus personis, Deum rectè dicamus trinum; non triplicem: eò quod, posteriori voce pluralitas essentiæ invehi videatur: Quo respectu Lutherus nec Germanicum nomen Dreyfaltigkeit satis commodum esse censebat.

4. Pro Personâ Græci dicunt ὑπόστασιν: quæ vox similiter ambiguitate laborat; â quâ si liberetur, lis inter Orientales & Occidentales, post Concilium Sardicense nata, facilè componetur: Cum enim hi negarent in Trinitate esse tres hypostases, quod ab illis affirmabatur, utrique tamen rectè sentiebant: quia ab his hypostasis sumebatur concretivè; quo sensu verum erat, in Trinitate non dari tres hypostases, id est, essentias modificatas: Illi è contrariò accipiebant abstractivè, quo sensu pariter verum erat, in Trinitate dari tres hypostases, id est, modos per se & incommunicabiliter subsistendi, in eâdem essentiâ singulari, completâ & intelligenti.

5. Cum distinctionis in Thesi fiat mentio, sciendum, aliam esse quæstionem, quomodò Personæ distingvantur ab essentiâ? & aliam rursus, quomodò distingvantur à se invicem? Ad priorem mallemus remotivè respondere, dicendo, qualis non sit illa distinctio, ob sublimitatem mysterii hujus. Adversariis tamen etiam positivè nostram mentem explicare conabimur, ita concludentes. (1.) Dari aliquam distinctionem inter essentiam & personas: Quia essentia est commu-

 nicabilis,

nicabilis, & persona incommunicabilis: Essentiæ adscribitur unitas, & personis trinitas: Persona notat τρόπον ὑπάρξεως, sive modum existentiæ; Essentia verò notat fundamentum illius modi. (2) Distinctionem inter essentiam & personas non esse realem: Quia obstat Dei simplicitas, & personarum ὁμοȣσία, imo & periculum, ne Quaternitas in Deitatem inveheretur. (3) Distinctionem inter essentiam & personas esse rationis ratiocinatæ: quia secundum nos talis est, sed cum fundamento in re. Nam, ut rectè inquit Scharpius in Cursu Theologico p. 107, *Essentia significat id, quod personæ sunt absolutè & naturâ suâ: Persona verò significat id, quod sunt relativè, secundum modum existendi.*

6. Ad posteriorem quæstionem pariter respondemus per certas conclusiones. (1) Personas à se invicem non distingvi tantùm verbaliter: Quia distinctio in re fundamentum habet. Proprietas enim Patris, non est proprietas Filii &c. (2) Personas à se invicem non distingvi ratione: Quia illa distinctio ante operationem & citra operationem intellectus in Deo est. (3) Personas â se invicem non distingvi essentialiter: Quia trium personarum una est essentia. (4) Personas â se invicem distingvi realiter: Quia reverà alia est persona Patris, alia Filii & alia Spiritus S.

7. Notanda etiam sunt quædam alia, nimirum (1) quod personæ distingvantur proprietatibus; non relationibus. Nam proprietates tres sunt, pro numero personarum, videlicet ἀγεννησία, γέννησις καὶ ἐκπόρευσις: Relationes autem sunt quatuor, nempe Generatio activa, Generatio passiva, Spiratio activa & Spiratio passiva; nec tamen propterea sunt quatuor personæ. (2) quod distinctio Personarum â se invicem, non quæratur sub respectu ad essentiam: Namque essentia unius personæ est ipsissima essentia alterius personæ; sed sub respectu ad characteres hypostaticos, ubi una persona non est alia perso-

persona. Unde oritur axioma: *Persona in Divinitate sunt IDEM; sed non EÆDEM:* seu ut alii efferunt: *In Deo datur ἄλλος καὶ ἄλλος (alius atq́ alius;) non ἄλλο καὶ ἄλλο (aliud atque aliud.)* (3) Quod, tametsi personæ distingvantur realiter; non tamen differant ut distinctæ res. Distinctio enim realis dicitur ab habitudine extremorum ad se invicem; at distinctio rerum, ab ipsis extremis, sive subjectis. Hinc entia rationis, E. gr. Chymera & Cerberus realiter differre statuuntur; non autem ut distinctæ res.

8. Personæ in Divinitate non solùm sunt ὁμοιούσιοι, sive similis essentiæ; quem terminum in primitivâ Ecclesiâ Ariani libenter substituissent: sed & ὁμοούσιοι sive ejusdem essentiæ. Quod verò Lutherus ὁμοουσίαν non crediderit, fœdissima est Pontificiorum calumnia: Nam de voce loquitur, non de re ipsâ, inquiens: *Quod si oderit anima mea nomen ὁμούσιος, & nolim eo uti, non ero hæreticus; modò rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est.*

9. Cum Personæ sint ὁμοούσιοι, sive ejusdem essentiæ, sequitur, etiam esse ὁμοτίμους sive ejusdem majestatis & ὁμαιωνίους sive ejusdem æternitatis. Hinc quando Pater dicitur prima persona, Filius secunda, & Spiritus S. tertia, solius ordinis diversitas indicatur; non dignitatis, vel etiam durationis.

10. Principii nomen aut notat generaliter id, â quo aliud procedit quocunque modo; aut specialiter id, â quo aliud sumit initium existentiæ, cum anteà non fuerit. Priori sensu Pater statui potest principium reliquarum personarum; non posteriori *Causam* verò, cave vocites, propter multiplicem termini imperfectionem; quamvis Græci olim per ampliationem vocis violentam, Principium & Causam promiscuè dixerint.

11. Filius & Spiritus S. non desinit esse αὐτόθεος ratione essentiæ; etiamsi ille â Patre, hic â Patre & Filio sit ratione personalitatis.

12. Quamvis in hoc mysterio multa non capiat ratio, sufficit tamen, quod ea suggerat revelatio. 2. Cor. X. 5.

βεβαίωσις. Probamus I. *In Divinitate tres esse Personas, Patrem, Filium & Spiritum S.* 1. ex Esa. VI. 1. 2. 3. unde deducimus tale argumentum: Quot personis cultum religiosum exhibuerunt Seraphim, tot sunt Personæ in Divinitate: Atqui tribus, nempe Patri, Filio & Spiritui S. Ergo. Minorem confirmamus (1) ex inductione. De Patre nullum est dubium. Ad Filium locus ille applicatur Joh. XII. 41. ubi legimus, Judæos non credidisse in Christum, quemadmodum diu ante Esaias prædixerat, *cum videret ejus gloriam:* referuntur autem verba Esaiæ cap VI. 9. quæ historiam hujus revelationis proximè seqvuntur. Similiter Spiritus S. idem illud dixisse fertur, quod Esaias Jehovæ in throno sedenti adscribit Actor. XXIIX. 25. 26. (2) Ex trinâ τȣ̃ *SANCTUS* in uno eodemque paragrapho repetitione; quod prædicatum præter Patrem & Spiritum, qui personaliter *Sanctus* audit, etiam Filio tribuitur Dan. IX. 24. (3) Ex parallelorum locorum collatione: *Quia gloria, cujus plena est terra*, Patri juxta Adversarios competens, alibi tribuitur Christo Es. LX. 1. Dan. VII. 14. 1. Cor. II. 8. & Spiritui S. 1. Petr. IV. 14.

2. Ex Matth. XXIIX. 19. unde deducimus tale argumentum: In quot personarum nomine baptizamur, tot sunt personæ in Divinitate. Atqui in trium. Ergo. Hic supponimus, idem esse, *in nomine* ac *in nomen* alterius baptizari; cum Scriptura promiscuè illis modis loquendi utatur. Conf. Act X. 48. & XIX. 4. Addatur 1. Cor. I. 13. Quo præmisso, confirmamus Majorem: Quia in nomine alicujus baptizari infert (1) quòd ille sit auctor Baptismi. Sacramentorum verò auctor non potest esse nisi Deus; cum sint media, per quæ gratia divina hominibus offertur. (2) quod per eum consequamur regenerationem & salutem. Conf. Tit. III. 5. Actor. II.

38.

38. Id quod denuò â nullo alio, nisi â Deo proficisci potest. (3) quòd ille invocandus sit super baptizandum. Nam in nomine alterius quippiam agere, est invocato illius nomine agere. 1. Sam. XVII 45, XX. 42. 2. Sam. VI. 18 (4) quod in ejus fœdus recipiamur 1. Petr. III. 21. (5) quod eum religiosè colere teneamur, juxta illud Basilii Epist. 78. *Ut baptizamur, ita adoramus: ut adoramus, ita credimus: videlicet in unum verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum S.*

3. Ex testimoniis aliis V. T. Sic Genes. I. 1. 2. 3. in historiâ creationis legimus de Deo, Verbo & Spiritu, tanquam causa efficiente creationis. Idem Psal. XXXIII. 6. fit. Apud Esaiam verò XLIIX. 12. 13. 16. Filius ut *Creator terræ*, itemq; ut *primus & novissimus* mittitur à Deo (sc. Patre) & (quâ naturam humanam) etiam à Spiritu ejus.

4. Ex Testimoniis aliis N. T. 1. Joh. V. 7. 2. Cor. XIII. 13. Gal. IV. 6.

II. *Tres Personas in Divinitate esse ὁμοουσίους sive ejusdem essentiæ.* 1. Ex thesi II, quia Deus non nisi unus est. Si igitur cum Patre etiam Filius & Spiritus S. est Deus, sequitur, tres personas esse unum Deum, & consequenter unius ejusdemque essentiæ.

2. Ex Es. VI. 1. 2. 3. 19. Quia, cui una eademque majestas competit divina, is unius ejusdemque cum Patre essentiæ est. Es. XLII. 8. Atqui Filio & Spiritui S. Ergo. Minor constat, quia Filio & Spiritui S. cum Patre adscribitur (1) idem nomen *Jehova* v. 1. (2) eadem *sessio super solium ex-excelsum & elevatum*, per quod Principatus super creaturas indicatur v. 1. (3) idem ministerium angelicum v. 2. (4) eadem sanctitas v. 3. (5) eadem gloria replens terram. v. 3.

III. *Tres personas in Divinitate realiter distingvi.* 1. ex Joh. XIV. 16. Ubi Filius pollicetur, se rogaturum Patrem, ut mittat *alium* paracletum. Differt ergo realiter Filius, *qui rogat,*

gat, à Patre, qui rogatur, & à Spiritu S. tanquam *alio*, id est, diverso *Paracleto*. Addatur Joh. V. 32.

2. Ex origine æternâ: quia Filius esse suum à Patre habet: Spiritus autem S. à Patre & Filio. Uti ergo realiter distingvuntur accipere essentiam & dare essentiam; Ita etiam realiter distingvuntur accipiens & dans.

Ἀντίθεσις est Antitrinitariorum 1. Noëtianorum & Sabellianorum, qui unam tantùm personam in divinis admittebant, cujus tria sint nomina: Ex qua hypothesi fluebat, Patrem esse passum; quippe qui à Filio non realiter distingvatur. Hinc Patripassiani dicti sunt. Receperunt eundem errorem Samosateniani, sive Paulianistæ, â Paulo Samosatis in Syriâ oriundo, ita appellati.

2. Tritheitarum, qui ut Sabellii hæresin vitarent, tres Deos essentialiter distinctos comminiscebantur.

3. Arianorum, qui solum Patrem esse summum Deum statuebant: Ex quibus pullularunt Aëtiani, Eunomiani, Eudoxiani, Eusebiani, Duliani, Theophroniani, Macedoniani sive Semiariani, Photiniani &c. in dogmatibus de Filio & Spiritu S. mirè & inconstanter variantes.

4. Judæorum, qui à dogmate de Trinitate ita aversi sunt, ut non nemo eorum, apud D. Müllerum in Judaïsmo Lib. II. c. 1. professus sit: *Si Christianus fieri debeat, se ad Photinianam propendere religionem, quæ ut unam essentiam, ita pariter unam personam in divinis credat ac Judaismo maximè vicina sit.*

5. Muhamedanorum, quorum palmarium dogma est unitas personæ in Deitate. Unde Christiani ab illis *Associantes* vocantur, quod in eâdem essentiâ Patri duas alias Personas associent. Vide Hackspan. *de Fide & Legibus Muhamedis.*

6. Socinianorum, qui Photini veteris vestigia premunt, atque *Unitarios* se nominant, in vasto illo opere, quod Fausti

&

& Lælii Socinianorum, itemque Crellii, Schlichtingii & Wolzogenii ſcripta conjunctim exhibet. Ex adverſo nos iidem *Trinitarios*, & quod Claudiopoli in Tranſylvaniâ fiebat, Germanicè die Dreyfaltigkeitler / per contemtum, dicunt.

7. Mennoniſtarum, præcipuè eorum, qui ſe ipſos Puritanos (Klarckens) vocant, vulgò Feinſtoff / in quos apprimè quadrat illud: *Socinianum eſſe ſubtilem Mennoniſtam, & Mennoniſtam eſſe craſſum Socinianum*. Reliqui, qui ſe Mœrentes (Bekümmerte) appellant, vulgò Dreck-Wagens / vel ut alii, qui diverſam vocis originem venantur, ſcribere malunt Treck-Wagens / imprimis quando urgentur, propiùs ad nos accedunt; in verbis tamen, priusquam ſe explicent, Sabellianis videntur viciniores.

8. Arminianorum, qui ὁμοουσίαν trium perſonarum in dubium vocant.

9. Quackerorum, ex quibus pleroſque fovere Sabellianismum, adductis eorum verbis, demonſtravimus in Quackeriſmo Confutato Artic. III. Hypotheſ. n. 7. p. 341. ſeq.

10. Pietiſtarum, quorum Patriarcha iis etiam, qui in Eccleſiâ Evangelicâ nati & doctrinâ Evangelicâ ex Catechiſmo noſtro imbuti ſunt, ſi in Confesſione de Deo â Perſonæ vocabulo abhorreant, ut ab eo abſtineant, indulget. Loca adduximus in Wigandianis de Trinitate n. 1. p. 25.

11. Hyperpietiſtarum, nempe Thomaſii, Arnoldi & Dippelii, quorum horrendæ hypotheſes de Myſterio hocce ibidem adducuntur n. 2. ſeq. â pag. 25. uſque ad pag. 32.

Theſis XIV. *Myſterium S. S. Trinitatis, uti in N. T. ad ſalutem creditu neceſſarium eſt, ita etiam in V. T. creditu neceſſarium fuit.*

ἔκθεσις. 1. Non ſufficit Fides, quam ſic vocant, implicita;

ut quis dicat, se credere quod Ecclesia credit, quamvis quid credat Ecclesia, ipse ignoret: sed opus est Fide explicitâ, quæ notitiam, assensum & fiduciam includit, juxta Symbolum Athanasii: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in Unitate veneremur.*

2. Notitia igitur S. S. Trinitatis non tantùm ad bene esse fidelium utriusque Testamenti requiritur; sed etiam ad esse simpliciter: ita ut non solùm negatio hujus articuli, verùm etiam ignoratio utrinque damnet.

3. Maior equidem in expositione hujus mysterii lux est N. T. quam V. comparatè: at propterea non licet omnem lucem denegare V. T. absolutè. Nam magis & minus non variant speciem.

4. In V. T. & indeterminatè pluralitas & determinatè Trinitas Personarum in eâdem divinâ essentiâ nobis repræsentatur: Si non formaliter, quoad terminos, quibus hodie in explicando isto mysterio utimur; tamen materialiter, quoad rem ipsam, terminis ejusmodi significatam.

5. Etsi nunquam in V. T. personarum conjunctim sumtarum, unà cum characteribus hypostaticis, mentio fiat κατὰ ῥητὸν; sufficit eadem ibi proponi κατὰ διάνοιαν.

6. Accedit, quod quæ hodie minus clara videntur, absentibus Prophetis; eadem olim fuerint clarissima, præsentibus Prophetis, â quibus viva voce mysterium illud luculentius explicabatur.

7. Modernorum verò Judæorum cœcitas, non testatur de locorum V. T. inexplicabili difficultate; sed de iræ divinæ super gentem illam gravitate: cum ex justo Dei judicio venundentur falsitati, qui credere nolunt veritati. Es. VI. 9. 10.

βεβαίωσις: Probamus I. Mysterium S. S. Trinitatis in N. T. creditu necessarium esse, ex Matth. XXIIX. 19. (1) quia in S. S. Trini-

Trinitatem baptizamur. *Uti autem baptizamur, ita & credimus*, juxta regulam Basilii, in præcedenti controversiâ allegatam. (2) quia mandato de Baptismo præmittitur mandatum de doctrinâ, ut indicetur, in cujus nomine homines baptizandi sunt, de eo etiam informandos esse. (3) quia doctrina illa, juxta voluntatem Dei, non uni duntaxat vel alteri, sed omnibus gentibus impertienda est (μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη): ex quo necessitas ejus rectè colligitur.

2. Idem mysterium in V. T. creditu necessarium fuisse, ex Actor. XV. 11. Quia eadem via salutis est in V. & N. T. Vindicias hujus Dicti à Socinianorum corruptelis suppeditavimus in Exercit. de Concil. Hierosolym. cap. 18. n. 6. & 9.

Ἀντίθεσις est præter Antitrinitarios, qui Filii & Spiritus S. Deitatem expressè oppugnant 1. Arminianorum, quibus Athanasius vapulat, quod in initio symboli omnibus iis salutem denegaverit, qui Trinitatem non credunt. Hinc Arminiani Socinianis dextram fraternitatis denegare non audent.

2. Syncretistarum, qui negant hoc mysterium in V.T. tam clarè revelatum esse, ut ab omnibus cognosci potuerit, aut debuerit.

Thesis XV. *Qui S.S. Trinitatem non credit, idololatra & extra Ecclesiam Christi est.*

Ἔκθεσις. 1. Εἴδωλον apud Græcos notat formam rei, non solummodò externam; sed & internam ac in animo conceptam: id quod Stephanus in Lexico suo, exemplis ex Homero & Plutarcho depromtis, ostendit.

2. Inde Idololatria nomen trahit, quæ bifariam committi potest, aut si colatur pro Deo quod Deus non est, aut si verus Deus aliter, quàm coli vult, colatur.

3. Missâ posteriori idololatriæ specie, de priori nunc tantùm agemus: ubi de objecto cultus non judicandum est ex

generali professione colentis: e. gr. si dicat, se colere verum Deum; sed ex speciali descriptione ejus, quod colitur.

4 Neque etiam acquiescendum est descriptioni undecunq; desumtæ; sed ex ipsâ essentiâ Dei, prouti se in verbo suo revelavit, petitæ. Non igitur sufficit, si Judæus aut Turca dicat, se colere Deum, mundi creatorem: descriptio enim hæc non ab essentiâ, sed ab opere Dei accersitur.

5. Etsi Creator mundi sit verus Deus; non tamen necessariò is est Creator mundi, qui pro tali venditatur e. gr. quando Judæus aut Turca pro Creatore eum agnoscit, qui non est trinus in personis unius essentiæ: Ita enim se Creator mundi revelavit. Psalm. XXXIII. 6.

6. Si Patres Idololatriæ vocabulo strictiùs usi sunt, propterea latior acceptio non desinit esse propria. Nam significatio propria non opponitur significationi strictæ; sed impropriæ: imo propria significatio subdividitur in latam & strictam.

7. Concedamus, eos qui Trinitatem non credunt, esse intra Ecclesiam generalissimè sic dictam, quatenus quemcunq; cœtum notat, ut Actor. XIX. 39. Nihilosecius negare liceat, eos esse intra Ecclesiam specialiter sic dictam, quæ vocatur Ecclesia Christi.

8. Ut quis sit membrum Ecclesiæ Christi, non sufficit, si credat quædam, quæ de Christo revelata sunt; sed requiritur, ut credat omnia, imprimis autem Deitatem ejus, in quem credendum est.

βεβαίωσις. Probamus, eum qui Trinitatem non credit 1. esse extra Ecclesiam Christi. Nam (1) Christo amorem competentem denegat, proptereàque maledictionem Apostolicam incurrit. 1. Cor. XVI. 22. (2) Propter honorem Filio denegatum, nec Patrem debito honore afficit. Joh. V. 23.

2. esse Idololatram. Nam pro Deo eum habet, qui Deus non est, contra voluntatem veri Dei. Es. XLII. 8. XLIIX.

11.

11. Gal. IV. 8. Verus Deus est Pater, Filius & Spiritus S. pro quo cum colitur, qui Pater Filius & Spiritus S. non est, colitur qui Deus non est, atque sic *ponitur idolum in corde.* Ezech. XIV. 7.

Ἀντίθεσις est 1. Antitrinitariorum, qui se Christianos esse jactitant, & libris suis speciosum Christi nomen præfigunt, e. gr. cum Osterodus videri vult scripsisse *Institutiones Religionis Christianæ;* Robert. Barclajus *Theologiam verè Christianam.* &c.

2. Arminianorum, de quibus in præcedenti quæstione dictum est.

3. Syncretistarum, ex quibus D. Zeidlerus, in Colleg. Controversiarum MS. Sect. 2. thesin octavam his verbis concepit: *Judæi hodierni & Muhamedani non sunt idololatræ propriè sic dicti.*

III. VINDICATIO.

Accusamur

1. Quod cum Arianis colludamus. Nulla enim frequentior calumnia est, quâ nostri, præsertim in Poloniâ, premuntur. Hanc etiam Hackius Jesuita, *Scrutinio* suo inseruit *Præfat. ad Lectorem* & *in ipso libro p. 19. 106. 107. 110. 126. 194.* Respondetur. Pro nobis loqvuntur Augustana Confessio, in hoc articulo p. 11. (9) ipsique Adversarii, qui nihil quod in eodem articulo carperent, invenerunt p. 23. (50) Cui volupe est, adhibere poterit, quæ scripsimus in *Examine Scrutinii iterati Thes. 3. & in Castigatione trutinæ ad N. 3, p. 37.*

2. Quod articuli hujus minimè controversi præmissione, Auditorum animos occupare & benevolentiam conciliare subdolè quæsiverimus. Respondetur. Jesuitæ. quorum hoc telum est, ex ingenio suo æstimant alios. Causas certè habuerunt Confessores nostri multiplices, propter quas ab hoc articulo operas suas ordirentur. Stimulavit enim eos (1) Pietas, ut cum ipsi gentiles monuerint, *à Jove principium* fieri debere,

nec ipſi in initio ſtatim ejus obliviſcerentur, *à quo omnis donatio bona* & conſequenter etiam conſtantia in tuendâ veritate, deſcendit Jacob. I. 17. (2) Adverſariorum malitia, qui jam tum non Arianiſmi duntaxat, ſed planè Atheiſmi noſtros peragere reos, moliebantur. Quo de ſuperiùs, cum de causâ finali Auguſtanæ Confeſsionis ageremus, â nobis aliquid dictum eſt. (3) Metus futurorum, quem non inanem fuiſſe, ex præcedenti obſervatione diſpaleſcit: Si enim Adverſarii poſt Confeſsionem nos calumniantur; quid non feciſſent, ſi noſtri ex bonæ cauſæ fiduciâ hunc Confeſsionis articulum planè omiſiſſent.

3. Quod irreverenter loquamur de Antiquitate & Conciliis, vetuſtisque Eccleſiæ Patribus. Reſpondetur. Aliud patet ex Auguſtanâ Confeſsione, in cujus primo ſtatim Articulo, Decretum Nicenæ Synodi allegatur. Quàm autem minùs decenter Pontificii piam antiquitatem tractent, docuit Jacobus Laurentius, *de Reverentiâ Eccleſiæ Romanæ erga ſanctos Patres ſubdolâ.*

4. Quod â primo Articulo Auguſtanæ Confeſsionis recedamus, in Formulâ Concordiæ. Ibi enim ſtatuitur unus omnipotens, unus omniſcius, unus omnipræſens: Hìc autem duo omnipotentes Eccleſiæ obtrudi videntur, nempe & eſſentia divina & propter communicationem divinorum idiomatum, humana in Chriſto natura &c. Reſpondetur: Nulla inde emergit contradictio. Unus quippe eſt manetque omnipotens, unus omniſcius, unus omnipræſens, per naturam; quamvis humanitati in Chriſto omniſcientia, omnipotentia, omnipræſentia, pariter attribuatur, propter unionis gratiam. Plura videantur in D. Alberti gründlicher Wiederlegung *Auguſtanæ & Antiauguſtanæ Confeſsionis, cap. 3. ad quæſtion. 2. p. 101.*

ARTI-

ARTICULUS II.

DE PECCATO ORIGINIS.

I. EXPLICATIO.

In hoc articulo, si primam exceperis lineam, nihil ferè, quod non mutaret, Melanchton reliquit; sensum tamen orthodoxum retinuit, nisi quod in Antithesi duas illas voculas: *ET ALIOS:* dolosè omisit, ne Calviniani, qui quod peccatum originis verè peccatum esse parùm sincere crederent, liberos fidelium â nativitate sanctos deprædicabant, simul damnari viderentur.

Cæterùm in Conf. Aug. invar. de Peccato Originis agitur p. 12: (9. 10.)

Θεθικῶς. Proponitur enim ejus

I. Existentia, explicato

1. principio seu fonte, qui est *lapsus Adæ*. Rom V. 15.
2. subjecto, ut sunt omnes homines, *secundum naturam*, hoc est, ex concubitu maris & fœminæ, *prognati;* quo ipso excipitur Christus. Luc. I. 34. 35.
3. modo propagandi, nempe per carnalem nativitatem. Psal. LI. 7. Joh. III. 6.

II. Essentia, mentione factâ

1. Generis, quod sit *Peccatũ*, & quidem non nomine solùm, sed etiam *verè*, seu propriè & strictè loquendo.
2. Differentiæ, quod ea consistat
   1. in privatione rectitudinis concreatæ, ita ut homo nascatur *sine Dei metu, sine fiduciâ erga Deũ*.
   2. In positione vitiosi habitus, qui vocatur *Concupiscentia*, & in Germanico exemplari, die inwendige böse Neigung.

a b

III.

a b

III. Pœna, quæ

1. ponitur, nimirum *quod æternam mortem afferat.*

2. limitatur, videlicet *nisi quis renascatur.* &c.

II. Ἀντιθετικῶς. Ubi damnantur *Pelagiani & alii*, qui quantum naturæ hominis adscribunt, tantum gratiæ Dei adimunt.

IN APOLOGIA p. 79. (23.)

1. Respondetur Exceptionibus Adversariorum, quarum petitur

Ima ex Augustanâ Confessione, de definitione Peccati Originalis, quod in eâ *actualia peccata, qualia sunt, sine metu Dei & fide esse, confuderimus cum originali.* Respondetur: Per τὸ *esse sine metu & fide*, non intelligi defectum ipsius motùs, tanquam actûs; sed defectum potentiæ, sive doni, ex quo resultant hi motus, tanquam actus. Quamvis & ipsi actus tales ad Peccatum Originale referri queant, non tamen ut ejus formale, per quod constituitur; sed ut ejus effectus & signum, per quod cognoscitur. *Secundum Articulum——naturæ inclinationem* p. 23. sequ. (50. 51.)

IIda ex scriptis Lutheri, de reliquiis peccati Originalis, quod videlicet hoc perperam statuatur *remanere post Baptismum.* Respondetur, distingvendo inter materiale & inter reatum istius peccati; Lutherum non de hoc intelligi; sed de illo, atque ita nihl dicere, nisi quod ante eum ab Augustino & in Jure Canonico fuerit dictum. *Hic flagellant Adversarii——innocentem opprimant.* p. 91. 92. (56. 57.)

a

II. Im-

a

2\. Immiſcentur multa alia, ad illuſtrandam materiam præſentem facientia, | Respon. CONRADUS Käſeberg/ Gedan.

1\. pro nobis,

1\. quod neceſſaria ſit accurata cognitio Peccati Originis. *Eſt autem neceſſaria – de Deo* p. 90. (56.) *Quanquam Scholaſtici utrumq́; – ſententias propoſuerunt* p. 95. 96. (58. 59.)

2\. Quod Concupiſcentia in definitione Peccati Originalis meritò exprimatur, nec Peccatum Originale pro merâ privatione habendum ſit. *Sed poſteâ oſtendimus – cum primâ tabulâ Decalogi* p. 81 – 85. (51. 52. 53.) Id quod probatur auctoritate veterum: *Neq́; novi quicquam diximus -- de defectu loquentes.* p. 85 – 90. (53. 56.)

2 contra Adverſarios,

1\. quod impiè aſſerant, Peccatum Originale non *eſſe vitium ſive corruptionem in naturâ; ſed tantùm ſervitutem ſive conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adamo ſuſtineant, ſine proprio vitio, propter alienam culpam* p. 82. 83. (51. 52.)

2\. quod de *fomite peccati* ineptè diſputent & circa ludicra hærentes, *graviora naturæ vitia non commemorent.* p. 82. fin. ſeq. (52.)

3\. quod per hypotheſes ſuas, *juſtitiam originalem* in locum peccati ſubſtituant p. 83. (52.)

4\. quod Concupiſcentiam malè *adiaphoris* accenſeant, & pro pœnâ duntaxat, non autem pro peccato habeant. *At diſputant concupiſcentiam – Patrum ſententiam propoſuerunt.* p. 91 -- 96. (57. 58. 59)

5\. quod *Philoſophiam* gentilem *cum doctrinâ Chriſtianâ commiſceant* p. 84. (53). Inde enim hauriri

pronuntiata eorum (1) nos propter passiones nec laudari nec vituperari. (2) nihil esse peccatum, nisi voluntarium. (3) naturam non esse malam. p. 94 seq. (58 seq.)
6. quod ignorent, quid sit Justitia originalis & Imago Dei p. 84. seq. (53 54.)
7. quod se ipsos non intelligant, & pugnantia loquantur. p. 83. (52.)
8. quod pueriliter cavillentur. *Hæc arbitramur-diximus esse recitandam* p. 96. 97. (59.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Peccatum Originale duo complectitur, nempe carentiam justitiæ originalis, & concupiscentiam seu vitiosum habitum, ac consequenter non merè privativum, sed etiam positivum est.*

Ἔκθεσις 1. Bonaventura subtiliter, simulque verè scribit: Peccatum esse triplex, quoddam in quo Persona corrumpit naturam, quale est primum Adami: quoddam in quo natura corrumpit personam, quale est originale nostrum: quoddam in quo persona corrumpit se ipsam, quale est actuale. Præcessit nimirum malus actus in Adamo; sequebatur malus habitus in naturâ; atque inde proveniunt malæ actiones in personâ. Hæc quidem, tametsi in verbis â Theologiâ nostrâ discrepent; quoad rem tamen, cum eâ conveniunt.

2. Nos Peccatum distingvimus in originale & actuale: atque illud iterum in Originale originans, cujusmodi est actus primus Protoplastorum, Diabolo obsequentium; & Originale originatum, de quo nunc & in sequentibus agetur. Quando autem Melanchton originale peccatum vocat actuale: id in oppositione ad meram privationem sic dixit; nequaquam verò in oppositione ad habitum connatum.

3. Nomen Originalis Peccati in Scripturâ non occurrit,

quà

quà vocis ſonum; fundatur tamen ibi quà ſenſum. Uſus eo eſt Auguſtinus contra Pelagium, in diſputationibus: Quod verò ad etymon attinet, non dicitur ita ratione creationis, quaſi cum origine mnndi, vel ſaltem humanæ naturæ cœpiſſet. Eccleſ. VII. 30; ſed partim ratione ſubjecti, quia nunc cum origine hominis originem capit; partim ratione effectuum, quia actualibus peccatis originem præbet.

4. Peccatum hoc originale concedimus eſſe privationem veram; negamus verò eſſe privationem meram: quia præter carentiam juſtitiæ, ſimul etiam concupiſcentiam involvit.

5. Concupiſcentia autem duplex eſt, naturalis & acceſſoria. Illa notat potentiam naturalem appetendi aliquid, & per ſe bona eſt, inque ſtatu integritatis locum habuiſſet: Hæc utpote ex lapſu Protoplaſtorum orta, ſemper mala eſt; ſumiturque vel pro habitu, vel pro actibus ex habitu illo pullulantibus. Unde à Jacobo I. 14 in δελεάζουσαν ſive *illicientem* & ἐξέλκουσαν ſive *abſtrahentem* diſpeſcitur. In poſteriori ſenſu eſt peccatum actuale; in priori autem originale, ita ut ſuo comprehendat ambitu, quicquid in locum Juſtitiæ originalis ſuccedit, ſi hominem à Lege Dei quomodocunq; abducat v. gr. ſtultitiam intellectus, perverſitatem voluntatis, repugnantiam omninm virium, averſionem à bono, propenſionem ad malum *&c.*

6. Privatio igitur illa, quam Peccatum Originale infert, non eſt ſimplex, quæ notet nudam carentiam, prouti ſe habent tenebræ; ſed habitualis, quæ conjuncta ſit cum oppoſita qualitate. Prouti enim morbus corporis non tantùm eſt carentia ſanitatis, ſed ſimul poſitio indebitæ diſpoſitionis; ita vitium hoc animæ, non tantùm eſt carentia bonitatis, ſed ſimul poſitio malitiæ.

7. Habitus mali, tam connati, quàm acquiſiti, habitibus bonis non opponuntur duntaxat privativè; verùm & contrariè: Oppoſitio autem contraria eſt inter duas qualitates.

8. Interim circa ipſas qualitates vitioſas, diſtingvimus inter rem & defectum rei. Defectus rei, de quo nunc potisſimum quæſtio eſt, in ſe, ſive abſtractivè, nunquam eſt poſitivus; ſed concretivè, ſeu cum ſubjecto, cui jungitur, rectè poſitivus dicitur; quia ſubjecto verè competit, ita ut apertisſimè erret, qui id pro nihilo habeat, â quo ſubjectum verè denominatur v. gr. ſi quis dicatur adulter, ebrioſus, fur, Dei oſor & contemtor.

9. Quandoqvidem verò τὸ Poſitivum in creatum & increatum diſpeſcitur; obſervandum, quod τὸ creatum ſumatur in ſenſu ſtrictiori, videlicet ut ſub oppoſito, nimirum increato, non ſolùm contineatur id, quod eſt à ſe e. gr. Deus; verùm etiam id, quod eſt ab alio, citra creationem ſtrictè ſic dictam, nimirum & generatum & arte factum & introductum, cujusmodi eſt Peccatum. Rom. V. 12.

10. Quousque, uti ad reliqua mala, ſic etiam ad Peccatum Originale, Deus ſalvâ ſuâ ſanctitate concurrat, explicatum eſt in Artic. præcedent. Theſ. X. n. 5. 6. 7. p. 42.

βεβαίωσις. Probamus

1. *quod Peccatum Originale, præter carentiam juſtitiæ, etiam complectatur Concupiſcentiam*, ex Rom. VII. 7. ubi Apoſtolus Peccatum Originale deſcribit, mentione factâ *Concupiſcentiæ*, & quidem ejus concupiſcentiæ, quam niſi ex Lege Dei, non intelligimus eſſe peccatum. Plura argumenta ſuppeditantur in ipsâ Apologiâ p. 81. uſque ad 93. (51 uſque ad 58.)

2. *Quod Peccatum Originale, præter privationem, connotet aliquid poſitivi* (1) Ex poſitione præcedenti: Quia complectitur Concupiſcentiam, quam aliquid poſitivi eſſe, nemo ſanus negabit. (2) Ex Rom. VII. 7. 21. 23. ubi Apoſtolus Peccato Originali adſcribit (א) Poſitiva nomina. Vocat enim *Concupiſcentiam* v. 7. *& Legem membrorum, vel peccatorum in membris* v. 23. quaſi dicat, edictum ſive imperium, cui difficulter

cnlter resistitur. (ב) Positiva attributa, ut sunt (α) *probiberi à lege Dei* v. 7. (β) *adjacere homini, volenti facere bonum* v. 21. (γ) *esse diversum ab alio:* Dicitur enim (ἕτερος νόμος) *ALIA lex* v. 23. (δ) *repugnare Legi mentis*, id est, firmo proposito fidelis animæ, de obedientiâ Deo præstandâ. v. 23. ubi in Textu Originali occurrit ἀντιστρατεύειν vox militaris (ε) *captivare reluctantem*. v. 23.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, qui negant Concupiscentiam esse peccatum & consequenter salvâ suâ hypothesi, nec pro parte Peccati Originalis habere queunt. Ex iisdem Bellarminus Lib. V. de Amissione Gratiæ cap. 15. in Rubricâ scribit: *Refellitur eorum Catholicorum sententia, qui Peccatum Originale in quadam positivâ qualitate constituunt.* Ex quo patet, etiam in Papatu aliquos facere nobiscum: Allegatum enim reperimus Driedonem, Gregorium Ariminensem, Henricum &c.

2. Syncretistarum, ut Calixti in Epitome & Dreieri in der Erörterung p. 208. seq. imprimis p. 214. ubi approbat eorum sententiam, qui statuerunt, Peccatum esse prorsus NIHIL (sie hätte kein Wesen/und wäre für sich selbst nichts.) Ad quod falsè, prouti meretur, responsum est à D. Calovio ad Aug. Confessionem Artic. 2. c. 6.

3. Hadriani Beverlandi, qui per hypothesin, quod Peccatum Originale sit actus Protoplastorum Venereus, quem in Paradiso exercuerint, totam hanc doctrinam ludibrio exposuit. Liber anno 1678. sub hoc titulo prodiit: *Peccatum Originale κατ' ἐξοχὴν sic nuncupatum, philologicè προβληματικῶς elucubratum, à Themidos Alumno* 8vo. Proscriptus verò prohibitusque est â Statibus fœderati Belgii. Eidem Leonhardus Reissenius anno 1680 opposuit *Justam detestationem sceleratissimi libelli A. B. de Peccato Originali*, Gorinchemii 8vo. Post annos XV. Beverlandus sententiam pristinam (utinam seriò!) retractavit, edito Oxonii scripto: *De Fornicatione cavendâ*,

vendâ, sive Adhortationem ad Castitatem; quod in Belgio recudebatur 1698. 12mo.

Thesis II. *Peccatum Originale verè & propriè sic dictum Peccatum est.*

ἔκθεσις. 1. De quidditate Peccati Originalis dupliciter quæritur, tum absolutè, quid sit in se; tum respectivè, quid sit meritoriè. Priori modo nunc consideratur; posteriori in sequentibus.

2. Non negamus, Peccatum Originale meritoriè esse pœnam; sed negamus exclusivè ita esse pœnam, ut non simul culpa dici queat.

3 Pœna & culpa, utut formaliter, entitativè & in abstracto differant, nihilominus interdum materialiter, subjectivè & in concreto conveniunt. Conf Rom. I. 28. 2. Thess. II. 11.

4. Ita tamen ut non eodem, sed diverso respectu aliquid simul & pœna & culpa dicatur: pœna quidem ratione passionis; culpa autem ratione actionis, sive inhæsionis: ubi locum habet Prosperi versiculus: *Actio displicuit, passio grata fuit.*

5. Porrò observandum, pœnam quæ culpa est, esse à Deo; sed non quatenus culpa est. Sive ut aliis verbis rem exprimamus: Id quod culpa dicitur, non est à Deo ratione causæ & in actu signato; sed ratione usus sive applicationis & in actu exercito, quando Deus justissimus pro tribunali decernit, ut *per quod quis peccat, per idem plectatur & idem.*

6. Ejusmodi pœna nunc per actum reflexum redundat in peccatorem ipsum; nunc per actum directum, redundat in alium. Posterioris generis erat rebellio Absolonis, per quam puniebatur David; prioris autem generis est peccatum originis, per quod puniebantur ipsi Protoplasti & nunc omnes eorum posteri.

7. Fomes peccati (scilicet actualis) potest esse peccatum (scilicet originale.)

8. Neque

8. Neque id quod morbus dicitur, propterea peccatum esse negatur. Intelligimus enim morbum moralem & quidem non morbum levem, sed ut Medicorum more loquamur, ***morbum totius substantiæ.***

9. Prohibetur autem Peccatum Originale in ultimo Decalogi præcepto: non tam individuo; quàm speciei: neque eo fine ne fiat; sed ne insit.

10. Idcirco de Concupiscentiâ in Decalogo bis agitur, ad indicandum, distinctas Concupiscentiæ esse species: Id quod tum in V. tum in N. T. nobis ob oculos ponitur. Ibi enim in repetitione Decalogi Deut. V. 21. חָמַד ***desideravit***, actuali concupiscentiæ exprimendæ inservit: sed אִוָּה ***concupivit***, de pravis affectibus usurpatur, etiamsi consensus non accedat; præsertim in Hithpaël, quando significat se ipsum ad concupiscendum incitavit; quæ verbi forma nunc adhibetur, & originalem pravitatem pulchrè depingit. Hic autem Jacobus Apostolus I. 14. distingvit inter Concupiscentiam ἐξέλκουσαν, sive ***abstrahentem***, ut sunt motus actuales; & δελεάζουσαν, sive ***illicientem***, quæ est origo illorum motuum, nobis connata. Similiter Paulus, haud obscurè declarat, aliam esse concupiscentiam, & aliam rursus, quæ concupiscentiæ præstatur, obedientiam Rom. VI. 12. Obedientia autem concupiscentiæ originali non solùm extra hominem per dicta & facta; sed etiam intra hominem per cogitata, quibus ille cum delectatione quadam inhæret præstari potest.

βεβαίωσις. Probatur 1. ex Psal. LI. 7. ***Ecce in iniquitate formatus sum & in peccato concepit me mater mea.*** Unde concludimus: A quo David denominatur ***iniqvus*** & ***peccator***, illud est verè & propriè sic dictum peccatum. Atqui à Peccato Originis. Ergò. Observetur ad Majorem (1) quod David hæc verba in ipso pœnitentiæ actu protulerit, cum veniam à Deo peteret: Venia autem est veri & propriè sic dicti peccati.

(2) quod

(2) quod peccatum, cujus nunc mentio fit, conjungatur cum actualibus peccatis v. 5. 6. ita ut David non minus ab illo, quàm ab his mundari desideret. v. 9. (3) quod Psaltes bis, variatis vocibus, de eâdem impuritate suâ queratur, primò *Iniquitatem*, deinde *Peccatum* dicens, ne quis de proprietate sermonis dubitaret. (4) quod particula *Ecce* præmittatur, quæ dicentis affectum indicat, nimirum quod seriò & graviter, id de quo loquitur, deploret. Minorem probamus, quia David fatetur, se, *cum formaretur*, fuisse *iniqvum*, & *cum conciperetur*, *peccatorem*, videlicet jam in massâ illâ, ex quâ fieri incipiebat. Quo respiciens Ambrosius in Apol. Davidis c. 2. inquit: *Maculam prius fuisse in Davide, quàm vitam.* Ne quis scrupulus relinquatur, notandum (α) quod חוֹלָלְתִּי *formatus sum*, jam non exprimat activam generationem, sed passivam, ut Job. XV. 7. (β) quod יֶחֱמַתְנִי *concepit me*, sive ut propriè sonat, *calefecit me*, non genialem congressum, vel matris pruritum significet; sed illam caloris communicationem, quâ embryo in primis suis initiis fruitur. (γ) quod præfixum ב cum nomine substantivo stet pro adjectivo, ut *formari in iniquitate*, idem sit, quàm *formari iniqvum* & *concipi in peccato* idem quàm *concipi peccatorem* (δ) quod ex scopo Davidis in toto Psalmo pateat, ipsum non de matris, sed de suâ impuritate loqui. Nam cujus veniam consequi laborat, de illo agit: Atqui proprii, non alieni, peccati veniam &c. Ergo.

2. ex Rom. VII. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces.* Quibus in verbis præsupponimus, non de actuali concupiscentiâ agi; sed de originali. Illam enim peccatum esse, ne quidem saniores Gentiles ignorarunt, utpote quam Plato in Gorgiâ, *inexplebile malum* vocat. Hanc verò aut ignorabant, aut si quid de eâ audirent, inficiabantur, imo irridebant. Paulus

igitur

igitur concupiſcentiam iſtam (1) expreſsè Peccatum vocat, (2) ne quis diſtinctione inter peccatum propriè & impropriè dictum elaberetur, contra legem eſſe dictitat: quæ ipſa peccati propriè ſic dicti definitio eſt 1, Joh. III. 4 (3) ſe ipſum, quod anteà Peccatum eſſe neſciverit, refutat.

3. ex Rom. V. 12. 14. Mors pervaſit in omnes, etiam qui non peccant actualiter. Ergò peccatum originale eſt veri nominis peccatum: quia mors eſt *ſtipendium ejusmodi peccati*; quod veri nominis tale eſt Rom. VI. 23.

4. Infantes baptizantur in remisſionem peccati originalis: Ergò peccatum originale eſt veri nominis peccatum; alioqui enim remisſione non indigeret.

5. Concupiſcentia originalis *poſtquam concepit, parit peccatum* propriè dictum Jac. I. 15. Ergo ipſa eſt peccatum propriè dictum. Qualis enim filia, talis mater.

Ἀντίθεσις eſt 1. Pelagianorum, qui originale peccatum non peccatum proprie ſic dictum, ſed duntaxat fomitem eſſe, nec poſteritati, verùm primis tantùm parentibus nocuiſſe, proindeque parvulos à parentibus nullum peccatum, niſi imitatione, trahere, docuerunt.

2. Anabaptiſtarum, qui in Colloquio Franckenthalenſi & alibi, peccatum originis ſimpliciter rejicientes, clamabant: *eſſe figmentum Auguſtini, ſimile Mathematicorum hypotheſibus, de eccentricis & epicyclis.*

3. Socinianorum, qui in Catecheſi Racovienſi c. 10. ſcribunt: *Peccatum originis nullum prorſus eſt, nec è Scripturâ id doceri poteſt.*

4. Arminianorum, ſive Remonſtrantium, qui in Apologiâ ſuâ ſimiliter negant, Peccatum Originale eſſe peccatum propriè ſic dictum.

5. Reformatorum, è quibus alii directè nobis adverſantur, ut Zwinglius, qui, cum in Epiſtolâ ad Urbanum Regium,

antehac negasset, Peccatum Originale esse peccatum propriè sic dictum; posteà in Colloquio Marpurgensi Art. 4. sententiam mutasse visus est: sed mox ad vomitum rediit, in Confessione suâ anno 1530. scribens: *Velimus, nolimus, admittere cogimur, Peccatum Originale, ut est in filiis Adæ, non propriè peccatum esse.* Alii indirectè se orthodoxiæ opponunt, per hypothesin illam, quod infantes fidelium sancti nascantur.

6. Pontificiorum, è quibus equidem nonnulli de injuriâ conqueruntur, cum sibi antithesin hac in parte attribui animadvertunt; sed res in aprico est, propter hypotheses, quas fovent. de quibus vid. Apol. Aug. Conf. p. 81. sqq. 93. sq. (51. 52. 58.) Add. D. Menzer. in Exeg. A. C. p. 52.

7. Syncretistarum, quorum primipilus D. Georgius Calixtus sentit (1) naturalia post lapsum mansisse integra: quo admisso, Peccatum Originale rejiciat necesse est, utpote quod naturæ corruptionem infert. (2) ante lapsum habuisse locum rebellionem appetitus sensitivi adversus intellectualem, quæ tamen non fuerit peccatum: Unde sequitur; eandem neque nunc esse peccatum; cum eadem ipsius utrobique ratio sit. (3) Peccatum Originale nihil aliud esse, quàm reatum pœnæ: Sic enim scribit Disput. de Peccato Originali Th. 5. & 6. Ex quo fluit, non esse culpam & peccatum propriè sic dictum.

Thesis III. *Peccatum Originale meretur mortem, non solùm temporalem, verùm & æternam, & quicquid mortis nomine in Scripturâ venit.*

ἔκθεσις. 1. Non quæritur, de Peccato Originali originante primorum parentum, qui plenâ voluntate mandatum Dei violaverant; sed de originato, quo posteri eorum, à primo conceptionis momento, polluuntur.

2. Peccatum hocce (quod etiam in præcedenti Thesi monuimus) pœna quidem est; sed non pœna mera; verùm simul

&

& culpa: ut adeo nihil obſtet, quo minùs mereatur ulterioram pœnam.

3. Mortis nomine in ſacris omnes pœnæ denotantur, Geneſ. II. 17. non ſolùm diſſolutio animæ & corporis, quæ in ſtrictisſimâ vocis acceptione Mors dicitur 2. Sam. XIV. 14. Hebr. IX. 27. ſed & damnatio æterna, quam Spiritus S. *mortem ſecundam* vocat Apoc. II. 11. XX. 14. imo quæcunq; calamitates & miſeriæ, Exod. X. 17. 1. Cor. XV. 31.

4. Gen. II. 17. intelligi mortem temporalem, concedimus; ſed eandem intelligi excluſivè, negamus. Neque ex locis, in quibus agitur de morte corporis, quam homines ſontibus poſſunt & debent infligere. Exod. XXI. 15. 16. Lev. XX. 2. 9. 1. Sam. XIV. 39. ſequitur, non niſi de tali morte agi, in loco, ubi Deus ipſe pœnam minatur, qui mortem, etiam animæ, impiis irrogat. Matth. X. 28.

5. Interim diſtingvimus inter damnationis meritum & actum. Nam ut Peccatum Originale ex ſe & ſuâ naturâ ſemper eſt damnabile; ita tamen, interveniente Chriſti gratiâ, non ſemper hominem damnat. Ipſe Adamus, etſi peccando mortem æternam ſit promeritus, non tamen videtur eam eſſe perpeſſus: cum Doctorum primitivæ Eccleſiæ, (ſi Tatianum Hæreticum excipias) communis ſententia ſit, Protoplaſtos fide in Protevangelium fuiſſe ſalvatos. Conf. Auguſtin. Tom. 2. Epiſt. 92.

6. Quod ad liberos ſine Baptiſmo, ut regenerationis Sacramento, decedentes, attinet; illi vel à fidelibus Parentibus nati ſunt; vel ab infidelibus. Omnes propter Peccatum Originale damnabiles ſunt; ſed non omnes damnantur.

7. De fidelium parentum liberis præſtò ſunt promisſiones Gen. XVII. 7. 1. Cor. VII. 14. Non obſtat defectus Sacramenti: nam ut Baptiſmus eſt medium ſalutis ordinarium;

ita Deus ſine medio agere poteſt: quippe qui per Sacramenta operatur; ſed in operando Sacramentis non alligatur.

8. Hinc in Eccleſiis noſtris docemus, necesſitatem Baptiſmi non eſſe abſolutam; verùm conditionatam: ut contemtus ejus damnet; non nuda privatio.

9. Etiamſi igitur infantes fidelium, ſine Baptiſmo decedentes, non ſint Chriſtiani per nativitatem; fiunt tamen Chriſtiani poſt nativitatem. Via autem, per quam in Eccleſiam introducantur, Chriſtoque per fidem inſerantur, ſingularis & ſoli Deo nota eſt; cum ſine culpâ ſuâ impediantur, quò minùs viam communem & in verbo revelatam terere queant.

10. Quod ad liberos infidelium, ſine Baptiſmo mortuos, attinet, hos promiſcuè nec ſalvos, nec damnatos audemus pronuntiare, deficiente Scripturæ teſtimonio, ipſoque Apoſtolo judicium de illis, qui extra Eccleſiam ſunt, ſuſpendente 1. Cor. V. 12. 13.

11. Multa Deus ex juſtitiâ poteſt facere, quæ ex miſericordiâ non vult facere. Ita igitur de juſtitiâ pronunciandum eſt, ne miſericordiæ obliviſcamur. Num. XIV, 18. Rom. XI, 32.

βεβαίωσις. Probatur 1. ex Rom. V, 16. 17. *Judicium quidem ex uno, in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt, per unum JEſum Chriſtum.* Ubi urgemus (1) quod *ex uno nempè Adami delicto*, dicatur *judicium venire in condemnationem*, & quidem uti in antecedentibus ſequentibusq; verſiculis explicatur, *in omnes homines* ℣. 18. *etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ* ℣. 14. (2) quod ex unius delicto tradatur *mors regnaſſe* & quidem illa mors, quæ vitæ æternæ, per Chriſtum partæ, opponitur ℣. 21. Qualis igitur eſt vita, quam accipimus,

talis

talis eſt mors quam meruimus. (3) quod Judicium cum Gratiâ conferatur, ita ut gratia aboleat, quod judicium dictabat. Abolet autem gratia æternam mortem: ergo & judicium dictabat æternam mortem v. 15. 16. Spectat huc illud Bernhardi Meditat. c. 2. *Secundum exteriorem hominem de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quàm natum.* Si verò (quod præſtitum eſt) evicimus, Peccatum Originale mereri æternam mortem, jam ſimul evictum eſt, idem illud mereri alias leviores pœnas, quæ mortis nomine veniunt: Nam â majori & graviori ad minus & levius, valet conſequentia.

2. ex aliis ſcripturæ locis Eph. II. 3. Joh. III. 5.

Αντίθεσις eſt præter cæteros, qui peccatum originale vel planè negant, vel non niſi impropriè peccatum eſſe admittunt, in ſpecie 1. Pontificiorum, qui cum infantes fidelium, ſine Baptiſmo decedentes, non audeant ſalvatos pronuntiare; ideo tamen, quod Peccatum originale non credunt ſufficientem damnationis cauſam eſſe, eosdem in certum limbum relegant, ubi à viſione Dei beatificâ remoti, pœnæ ſolius damni, non verò etiam ſenſûs exponantur.

2. Remonſtrantium, qui in Declarat. Sentent. ob ſolum Peccatum Originis neminem damnari aſſerunt.

Theſis IV. *Omnes homines, ſecundum naturam propagati, peccato originali inficiuntur, ita ut ne Mariam quidem Deiparam excipere liceat.*

Ἔκθεσις. 1. Subjectum Peccati Originalis aut eſt denominationis, aut inhæſionis. Illud in præſenti, hoc in ſequenti Controverſiâ expendemus.

2. Denominationis igitur ſubjectum ſunt homines, ſed ſub reſtrictione. Diſtingvimus enim inter hominem ſecundum naturam & ſupra naturam propagatum. De illo agitur

in Thesi; hic verò excipitur. Alii distingvunt, inter hominem modo ordinario ex commistione maris & fœminæ, & modo extraordinario ex inumbratione Spiritus S. natum. Res verò eodem recidit.

3. Exceptione isthac patet ad Christum respici, qui tametsi fuerit verus homo; non tamen fuit merus homo, sed Θεάνθρωπος. Unde sic defendenda est peccati universalitas, ne lædatur Domini ac Salvatoris sanctitas.

4. Alia igitur quæstio est: An Christus secundum carnem fuerit in Adamo, tanquam principio generis humani? quam affirmamus Act. XVII. 26. Et alia: an fuerit in Adamo tanquam peccatore? quam negamus. Nam in Adamo ut peccatore non fuerunt, nisi qui propter massæ, ex quâ formantur, propagatam corruptionem, similes parentibus nascuntur; cum Christus propter massæ, ex quâ formabatur, præviam purificationem, dissimilis matri in lucem prodierit. Purificatio enim hæc consistebat in peccati originalis plenariâ expulsione atque subjecti in primævam integritatem, qualis Adami ante lapsum fuerat, restitutione.

5. Massa autem hæc, è quâ corpus Christi formabatur, sanctificata est in supposito, nempe in Mariâ; quamvis interim eo modo non sanctificaretur ipsum suppositum, nempe Maria.

6. Mariam rectè sanctissimam beatissimamque prædicari agnoscimus & fatemur: non tamen propter omnimodam à peccato immunitatem; verùm propter eminentem donorum, quibus præ aliis omnibus fulgebat, dignitatem Luc. I. 45. 48.

7. Quod à Maria voluit nasci Dominus, haudquaquam erat meritum Matris; sed beneficium Filii, hujusdemque Patris & Spiritus S. Vid. Luc. I. 30.

8. Non negamus, Deum præter Christum, aliis etiam hominibus privilegium immunitatis à peccato originali concedere

dere potuisse: At ex Scripturâ probari nequit, eum voluisse. Contrarium potiùs elicitur ex Rom. III. 19.

9. Qui igitur inter homines sancti prædicantur, non gaudent hoc titulo absolutè, propter inhærentis sanctitatis plenitudinem; sed comparatè & respectivè, tum quatenus comparantur cum pejoribus; tum à sanctitate Christi, ipsis per fiducialem apprehensionem imputatâ. Actor. IX. 13. 32. XXVI. 10. Rom. XII. 13.

10. Jeremias & Johannes, priusquam in lucem prodirent, sanctificati fuisse leguntur: sed per destinationem ad certum officium Jer. I. 5. Luc. I. 15. 16. non per præservationem à Peccato Originali.

11. Sic & fidelium liberi vocantur sancti 1. Cor. VII. 14. i. e. juxta Tertulliani expositionem, *sanctitati destinati*: sive ut clariùs efferamus, non â sanctitate originis & propter jus in re, videlicet in fœdere Dei; sed â sanctitate ordinis, & propter jus ad rem, videlicet ad fœdus Dei, quia præ infidelibus, propiores sunt Ecclesiæ.

12. Hinc Deus promittens, se Deum seminis Abrahæ futurum esse, non absolutè loquitur, verùm conditionatè; si posteri mediante Sacramento Circumcisionis sibi gratiam fœderalem applicarent. Gen. XVII. 7. 10. Idem fit in N. T. Joh. III. 5.

13. Similiter quando infantes appellantur innocentes, Ps. CVI. 38. id non simpliciter intelligendum est; sed comparatè, ut pro innocentibus habeantur, qui minùs nocentes sunt, in comparatione ad adultos, præsertim ad parentes eorum, de quorum sceleribus ibi agitur.

14. Fuit Adam & in illo fuimus omnes: Periit Adam, & in illo periimus omnes. Etsi enim posteri in Protoplastis non extiterint realiter & quà actualem essentiam; fuerunt tamen in illis seminaliter & quà veram repræsentationem.

15. Atque

15. Atque hoc non tantùm moraliter, uti Princeps civitatem repræſentat, quando ob reſignationem voluntatis, à ſingulis civibus factam, tota civitas velle cenſetur, quod Imperans vult; ſed etiam naturaliter, propter incluſionem effectus in ſuis cauſis, prouti Pater nobilitatem familiæ conſecutus, omnes poſteros, licet nondum natos, ſimul complectitur.

16. Diſtingvendum verò inter primum actum vitioſum & inter actus vitioſos reliquos, à Protoplaſtis profectos. Hos committebant pro ſe tantùm; illum verò pro ſe & poſteris: cum ut ſtirps totius generis humani pro ſe & poſteris dona accepiſſent, eademque iterùm pro ſe & poſteris amitterent.

17. Ex quo patet, perperam ad ſingulare hoc peccatum transferri, quod de communibus peccatis intelligitur. Ezech. XIIX. 20. Deut. XXVI. 6.

18. Non quidem negamus, primum peccatum Protoplaſtorum fuiſſe perſonale; ſed negamus, fuiſſe tantùm perſonale: quandoquidem Adamus peccans non modò ut individuum; verùm ſimul, ut ſpeciei humanæ principium conſiderabatur.

19. Idcirco peccatum Adami ad totam ſpeciem humanam pertinet, nec in poſteris cenſetur alienum, ſed proprium; quemadmodum natura humana & mors ab Adamo in nos derivata, cuilibet propria eſt.

20. Hoc ſenſu Anshelmus inquit: *Peccatum quod in Adamo fuit perſonale, in nobis eſt naturale: non quod ſit ab eſſentiâ naturæ; ſed quia corruptio cum naturâ aſſumitur.*

Κατάθεσις. Probatur I. *Generaliter, omnes homines, ſecundum naturam propagatos, peccato originali infectos eſſe:*

1. ex Gen. VI. 5. IIX. 21. *Vidit Deus, quod multa malitia hominis in terrâ, & omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodò eſſet malum, omni die.* Item: *Figmentum cordis homi-*

hominis malum à pueritiâ ejus. Ubi observandum (1) quod Spiritus S. loquatur de *homine* indefinitè, sine exceptione ullâ. (2) quod tamen restringatur ad hominem *in terrâ, sive super eâ* viventem. Nam mortuus, animâ ejus in cœlum susceptâ, justificatus est à peccato. Rom VI. 7. (3) quod Homo *multa* accusetur *malitia*, nempe & originalis & actualis. Dabantur verò tum temporis, cum Diluvium immitteretur, homines non pauci, quorum sola actualis malitia non erat multa, videlicet infantes recens nati. (4) quod *omne figmentum cogitationum*, describatur ut *tantummodò malum*. Hebraicum יֵצֶר descendit à יָצַר *finxit* sive *formavit*: quo ipso immediatè actus indicatur, ita tamen ut mediatè etiam ad peccatum originale, tanquam ad radicem ejusmodi actus respiciatur: Intelliguntur autem hæc in regenitis, non secundum primitias novitatis; sed secundum reliquias vetustatis: alioqui de illis legimus, quod *non cogitent malum* 1 Cor. XIII. 5. (5) quod multa malitia & figmentum malum esse statuatur, *omni die*. Si omni die, utique & diebus primæ infantiæ, imo priusquam infantes in lucem prodeant; qui proptereà æquè ac adulti, aquis diluvii perimebantur: Supplicium verò prærequirit culpam. Spectat huc additamentum illud מִנְּעֻרָיו *à pueritiâ suâ.* Nam נַעַר etiam infantem, adhuc à matre rubentem, significat Jud. XIII. 7. Exod. II. 6.

2. ex Rom. V. 12 *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Addatur locus parallelus 1. Cor. XV. 22.

3. Ex locis, in quibus exceptio à Peccato Originali, ad Christum solum restringitur, tanquam ad unicum Sacerdotem peccata nostra expiantem. 2. Cor. V. 21. Hebr VII. 16. In oppositione ad Christum, reliqui sine exceptione omnes, peccatoribus annumerantur Rom. III. 10. XI. 32. Gal. III. 22. Job. XIV. 4. XV. 14. Imprimis conferantur inter se. Rom. V. 15. & Eph. II. 3.

II. *Specialiter, ipsam quoque Mariam Deiparam, peccato originali infectam fuisse.*

1. Quia secundum naturam propagata est. Unde ad eam non minus, atque ad alios homines rectè applicatur illud Christi. Joh. III. 6.

2. Quia actualiter peccavit Luc. II. 43. Joh. II. 3. 4. Luc. IIX. 20. 21. Agnoscunt hoc nobiscum Augustinus Qu. 73. in V. & N. T. Chrysostomus Homil. 12. in Matth. & in Psalm. 13. Theophylactus in c. 2. Lucæ, & ex Pontificiis, Salmero Tract. 43. Tom. 5. Ab actuali autem peccato, præsupponitur originale, ut illius fons ac scaturigo.

3. Quia mortua est. Mors verò *stipendium peccati* vocatur Rom. VI. 23. usque adeo, ut ne Christus quidem mori potuisset, nisi peccatis alienis onustus fuisset.

4. Quia Christum pro *Salvatore* suo agnovit. Luc. I. 47. *Sana* verò à peccato, *non opus habuisset medico*, Matth. IX 12.

5. Quia baptizata est, Christo ipso, ex mente Pontificiorum, ipsi Sacramentum hocce administrante. Baptismus autem in reliquis hominibus omnibus, exceptô solô Christô, est lavacrum regenerationis, in usum eorum institutum, qui in peccatis generantur. Tit. III 15 Add. Act. II 38. XXII. 16. ubi baptismus conferri dicitur, in remissionem peccatorum.

6. Quia preces concepit earumque gratiâ cum Apostolis convenit. Act. I. 14, Non igitur prætermisit quartam petitionem in Oratione Dominicâ. Adjungimus Glossam veterem Juris Canonici, de Consecrat. dist. 3. cap. Pronuntiandum super voce Nativitas: *De Festo Conceptionis nihil dicitur, quia celebrandum non est. Et hæc est ratio, quia in peccatis concepta fuit, sicut & cæteri sancti, exceptâ unâ personâ Christi.*

Ἀντίθεσις est 1. Reformatorum, quotquot docent (1) Christianorum infantes à nativitate suâ Ecclesiæ membra esse, cum Zwinglio, contra illud Tertulliani Apol. c. 17. *Fiunt, non*

non nascuntur Christiani. (2) Parentes *sanctos ex gratiâ, gignere sanctos ex eâdem gratiâ*, cum Calvinô: contra Joh. I. 13. (3) Liberos fide parentum sanctos esse, contra Hab. II. 4.

2. Ex Pontificiis, Jesuitarum & Franciscanorum, qui pro immaculatâ conceptione Mariæ pugnant atque eò insaniæ somniando procedunt, ut in Legendis suis, Mariam non ex congressu concubinali, sed ex osculo, quod Joachimus Annæ fixerat, natam contendant. Cæterùm in modo defendendi puritatem Deiparæ, Cadmæi illi fratres dissentiunt. Alii enim à debito peccati eam immunem faciunt; alii solummodò ex gratiâ à peccato ipso præservatam esse opinantur. Totam historiam certaminis in compendio exhibet B. D. Calovius Exeg. A. C. Art. 2. c. 2.

3. Aliorum ex Pontificiis, qui præter Mariam, etiam Jeremiam Prophetam & Johannem Baptistam, itemque Melchisedecum, à Peccato Originali immunes pronuntiant. Tritthemius de Alexandro Alensi refert, quod de Bonaventurâ solitus fuerit dicere: *In hoc fratre non videtur Adamus peccasse.*

Thesis V. *Peccatum Originale in toto homine, primariò quidem in animâ, secundariò autem etiam in corpore residet; cujus propagatio nec explicari, nec intelligi potest, nisi in generatione utramq; partem essentialem hominis, è parentibus per traducem propagari statuamus.*

ἔκθεσις. 1. A subjecto denominationis, juxta promissum nostrum, ad subjectum inhæsionis progredimur, quod ab Apostolo *Carnis* nomine describitur Rom. VII. 18. ita tamen, ut per Carnem non intelligatur solum corpus, aut tantùm sensitivus appetitus; verùm totus homo, cum omnibus facultatibus, quatenus ille è carne natus atque nondum regenitus est. Joh. III. 6.

2. Cum verè duabus partibus essentialibus constet homo,

animâ & corpore: illa (πρῶτον δεκτικὸν) primarium ſubjectum eſt, non tantùm quà inferiores facultates; ſed etiam quà ſuperiores.

3 Concedimus igitur appetitum poſſe dici ſubjectum Peccati Originalis; quamvis inficiemur, hoc ei excluſivè competere.

4. Neque etiam de appetitu quocunque loquimur; ſed duntaxat de humano, qui rationis fræno compeſci debebat. In Bruta enim peccatum cadere nequit.

5. Secundarium ſubjectum eſt Corpus: non mortuum, ut â peccato juſtificatum; ſed vivum: nec quatenus per ſe ſpectatur; ſed quatenus in communicatione cum animâ eſt, & partem humanæ naturæ conſtituit.

6. Siquidem ergo Peccatum Originale ſe habet ut adjunctum, animæ corporique inhærens, non poterit propagari â parentibus, niſi cum ſubjecto ſuo adæquato, ſcilicet animâ & corpore. Quod agnoſcens Auguſtinus Epiſt. 27. & 157. ait: *Neque legendo, neque orando, neque ratiocinando inveniri poteſt, quomodò cum animarum creatione, Peccatum Originis defendatur.* Quod neoterici quidam reſpondent: *animam corpori vitioſo unitam, in illo & per illud inquinari, ut ungventum præſtans in impuro vaſe corrumpitur:* id Lobechius in A. C. Diſp. 3. Th. 39. rectè ἄτοπον καὶ ἀσυλλόγιστον eſſe pronunciat, *quia contra naturam eſt, rationalem & immortalem ſpiritum, â mortali & bruto corpore corrumpi & vitiari.*

7. In Diſputatione igitur hac de origine animarum, aliis ad creationem, aliis ad propagationem per traducem inclinantibus, nos poſterioribus accedimus: ut tamen non negemus, meliùs agere eum, qui de liberatione è tanto malo, quàm qui de propagatione ejus ſolicitus eſt, monente Auguſtino Epiſt. 28. ad Hieronymum. Largiatur Deus, ut utriusq; debitam rationem habeamus.

8. Obſervandum verò, quod vox Traducis ad animam relata,

lata, metaphoricè accipiatur: cum propriè plantarum sit, quæ hoc modo propagantur.

9. Traductio ista non fit transfusione, h. e. ita, ut tota anima relictis parentibus ad prolem transeat; neq; divisione, h. e. ita, ut particula aliqua ab animâ parentum divellatur, & proli inseratur; sed diffusivâ multiplicatione, h. e. ita, ut nova anima, specie eadem, sed numero diversa, sine jacturâ aut diminutione animæ parentum, proli communicetur, eo fortè modo, quo fax facem incendit.

10. Hinc Tradux ipsa, sub respectu ad Parentes, non est tradux abolitionis, aut sectionis, vel partitionis; sed nudæ deductionis & transplantationis.

11. Similiterque Communicatio illa non fit κατὰ μετέκβασιν, sive, per transgressionem; sed καθ' ἀλλοποίησιν, sive per productionem.

12. Anima strictè loquendo non generatur; quamvis mediante generatione propagetur. Nam generatio est totius; non partis.

13. In generatione non producitur corpus seorsim, aut anima seorsim; sed anima in & cum corpore.

14. Similiter anima non dicitur esse in semine; etiamsi propagetur seminando.

15. Atque ideo, qui cæteroqui Tertullianum quoad sententiam de propagatione animæ per traducem, sequimur; nunc Tertullianum, quoad sententiam (verenè an falsò jam non disquirimus) ei adscriptam, de modo propagationis illiusce, deserimus; siquidem docuit, animas è corpulento semine provenire.

16. Rectiùs anima dicitur fieri cum materiâ; quàm educi ex materiâ, hujusdemve potentiâ Neque enim anima â materiâ dependet in fieri; sed materia potiùs ab animâ dependet, tanquam ab actu, cujus est materiam ad perfectionem deducere.

17 Nec Patris ſolius ſemen animatum, & ut ita dicamus, animificum eſt; nec Matris ſolius: ſed Patris & Matris conjunctim, quatenus in actu generationis ſpectantur, juxta Canonem: *Cauſæ ſociæ ſtant pro unâ.*

18. Nihil impedit, quo minus ſtatim poſt conceptionem ſemen humanum dicamus hominem: ſi non integraliter; ſaltem eſſentialiter perfectum.

19. Primam animam à Deo creatam eſſe, largimur; quæritur verò de reliquis animabus.

20. Hæ quidem mediatè nunc etiam à Deo ſunt Eccleſ. XII. 7. Zach. XII. 1. Hebr. XII. 9. quod & in Catecheſi agnoſcimus, profitentes: *Credo, quod Deus creavit me* &c. *quodq́; corpus & animam dedit* &c. non verò immediatè, prout adverſarii volunt.

21. Quando Eccleſ. IV. 2, non nati laudantur præ natis; id non fit ob præſentiam bonorum, quæ illis contingunt, ut exiſtentibus; ſed ob abſentiam malorum, quâ gaudere concipiuntur, ut non exiſtentes. Unde ex hoc dicto, præexiſtentia animarum nequaquam demonſtratur.

22. Liberi à parentibus accipiunt, quæ his competunt, ut communi ſpeciei: etſi à parentibus non accipiant, quæ his competunt, ut individuis ſub communi ſpecie.

23. Generatio non eſt *Filiorum Dei*; ſed *ſeculi.* Luc. XX. 34. Hinc peccator generat peccatorem; haudquaquam verò juſtus juſtum,

24. Loquimur autem de generatione communi & ordinariâ: non de ſingulari & extraordinariâ, qualis eſt Chriſti, ſine peccato nati.

25. Per generationem vulgarem propagatur & natura & culpa: Illa eſt bona & Dei beneficium; hæc eſt mala & creaturæ vitium: *Illa*, juxta Auguſtin. de Gratia & Peccato Originali c. 33. *de conditoris largitate ſumitur; hæc de originis damnatione attrahitur.*

26.

26. Propterea generatio, quatenus est medium propagandi Peccatum Originale, non spectatur ut actus conjugii divinitus instituti; sed ut actus naturæ: & quidem non naturæ integræ, vel naturæ ut sic, prouti volebant Manichæi; sed naturæ post lapsum corruptæ.

27. Concedimus, quòd Parentibus fidelibus, antequam liberos generent, peccatum omne, etiam originale, remittatur; sed quà reatum; non actum Rom. IIX. 1. Unde mirandum non est, si à Parentibus, in quibus *nihil condemnationis est*, per gratiam; nascantur liberi damnationis merito infecti, per naturam.

βεβαίωσις. Probamus I. *Peccatum Originale in toto homine i. e. animâ & corpore & omnibus utriusq; facultatibus ac membris reperiri* 1. ex descriptione hominis animalis Paulinà Rom. III 10—18. ubi corruptio in animâ & corpore esse indicatur. Hinc mentio fit (1) generaliter defectuum ad utramq; partem essentialem pertinentium: *Non est justus* v. 11. *declinavit, inutilis factus est, non facit bonum.* v. 12, *infelicitas in viis ejus* v. 16. (2) specialiter (α) Intellectus: *Non est intelligens* v. 11. *viam pacis non cognovit* v. 17. (β) Voluntatis: *Non requirit Deum* v. 11 *non est timor Dei ante oculos ejus* v. 18. (γ) Membrorum corporis: *Sepulchrum patens est guttur ejus: lingva dolosè agit: venenum aspidis sub labiis ejus* v. 13. *os maledictione & amaritudine plenum est* v. 14. *veloces pedes ad effundendum sangvinem* v. 15.

2. Ex aliis Scripturæ dictis Rom. VI 6. VII. 18. 25. Eph. II. 1. 5. 1 Cor. II. 14.

II. *Utramq; partem essentialem hominis, nempe & animam & corpus è parentibus per traducem propagari* 1. ex Gen. I. 28. *Benedixit illis* (primis parentibus) *Deus & dixit ad eos Deus: Crescite & multiplicate vos & replete terram.* Ubi urgemus I. finem benedictionis, qui erat virtutem tribuere humano

generi,

generi, ſe propagandi, ſecundum ſpeciem. Nam ante benedictionem iſtam Deus ipſe corpus hominis formaverat, eique animam inſpiraverat. Gen. II. 7. à quo impoſterum quieſcere volebat. (Ibid. 2.) conceſsâ nimirum per benedictionem tali virtute, quæ in locum & formationis & inſpirationis ſuccederet. Hinc argumentamur: (α) Quibus eô fine benedicitur, ut genus ſuum propagent ſecundum ſpeciem, illi non tantum propagare ſe debent quà corpus, ſed etiam quà animam, utpote nobiliorem ſpeciei partem. Atqui hominibus. Ergo. (β) Quicquid ſuccesſit in locum formationis & inſpirationis, illud non tantùm pertinet ad corpus; verùm inſuper etiam ad animam. Atqui virtus ex benedictione. Ergo. (γ) Poſt quod Deus quieſcere voluit ab omni opere ordinario, *quod fecit*, illud necesſariò propagationem animæ complectitur: cum alioqui Deo, ſi animas creare debeat, quotidie novum opus eſſet faciendum. Atqui poſt benedictionem Gen. II. 2. Ergo. (δ) Quem finem habuit benedictio in cæteris animalibus, eundem finem habuit in humano genere. Atqui in cæteris animalibus hunc finem habuit, ut ſeſe propagarent quà corpus & animam Gen. I. 22. IIX. 17. Ergo & in hominibus. Alioqui Deus benedicendo minus contuliſſet in hominem, quàm in cætera animalia, quibus tamen homo ut Dominus præficiebatur. II. Vocabulum פְּרוּ *Creſcite* à Rad. פָּרָה *fructum edidit*, ſive *fœtificavit*: quod in hominibus notat generationem Exod. I. 7. Gen. XLI. 52. Generatio autem propriè loquendo non eſt partis, ſed totius, nec ſine formæ introductione fieri poteſt, de quo vid. Gregor. Nysſenus Lib. *de Opif. hominis c. 28.* Hinc argumentamur: Qui jubentur generare, illi jubentur totum eſſentiale i. e. materiam & formam propagare. Atqui homines. Ergò III. Repletionem terræ, cujus mentio fit. Neque enim ſolis inanimatis corporibus replenda erat terra, ſed hominibus animâ & corpo-

corpore constantibus, ita ut anima potior pars hominis esset; â quâ in sacris totus homo passim denominatur. Conf. Gen. XLVI. 26. Hinc argumentamur: Qui jubentur generando replere terram, jubentur totum illud propagare, quo repletur terra, nempe naturam animâ & corpore constantem. Atqui homines. Ergò. III. Præceptum multiplicationis, ubi in textu originali extat רְבוּ *multiplicate vos*; non duntaxat corpora vestra, in oppositione ad animas: Favorabilia enim restringere haud decet. Hinc argumentamur: Qui non corpora duntaxat, sed se, h. e. naturam suam multiplicare jubentur, illorum multiplicatio malè restringitur ad sola corpora, in oppositione ad animas. Atqui homines. Ergo.

2. Addimus alia Scripturæ dicta. Legimus enim Genes. XLVI. 26. *Animas esse egressas de femore Jacobi.* Ps. LI. 17. *Hominem* (non tantum corpus hominis) *de peccaminoso semine concipi.* Rom. V. 12. *Omnes* (scilicet animâ & corpore constantes) *in Adamo peccasse*, & consequenter etiam in eo tanquam peccatore fuisse.

3. Sententiam nostram confirmat productio animæ apud Evam. Gen. II. 21. 22. Hæc enim non immediatè creabatur; sed è costâ Adami animatâ promebatur.

Ἀντίθεσις est eorum 1. qui Peccatum Originale quomodocunque extenuant & naturalia in homine integra mansisse profitentur. Sic Scholastici, qui Peccatum Originale in inferiore tantùm animæ facultate, nempe sensitivâ collocandum esse censent; superiores verò animæ vires, nempe intellectum & voluntatem, ab eo immunes pronunciant.

2. Qui creationem animarum defendunt vel (1) simultaneam, ut præextiterint, suo tempore in corpus infundendæ: quæ Origenistarum opinio erat, interpolata, nostris temporibus, à Christophoro Sandio & alio quodam Anonymo, quos in peculiari libello refutavit D. Balthasar Bebelius. (2.) succesi-

cessivam, in quâ opinione, præter Pontificios, etiam nonnulli ex nostris hærent, sæpius repulsi. Autores veteres, qui Traducem defenderunt, collegit & exhibuit Andreas Sennertus, Prof. Wittebergensis, (Hospes quondam atque hinc etiam Brabeutes meus, post vata devenerandus, à quo Magister Philosophiæ 25. Novembris MDCLXVII. renunciabar) in libello quem inscripsit: *Assensus de Traduce.*

Thesis VI. *Peccatum Originale, etiam post Baptismum, ad mortem usque remanet, regenitisq; negotium facessit.*

ἔκθεσις. 1. Distingvimus inter hominem regenitum & irregenitum. De regenito jam quæritur: Nam quod irregenitus Peccato Originali infectus sit, ex antecedentibus constat.

2. Aliud est loqui de Peccati Originalis existentiâ; aliud de reatu. Hic per Baptismum aboletur; non illa.

3. Idem indicatur in isto Augustini: *Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur.*

4. Inde peccata actualia fluunt, quorum respectu Peccatum Originale dicitur esse colluvies omnium peccatorum: si non formaliter; saltem causaliter.

5. Neque aliâ ex ratione Peccatum Originale statuitur actuosissimum: videlicet non immediatè; sed mediantibus peccatis actualibus.

6. Regeniti acceperunt primitias novitatis, per spiritualem regenerationem; sed præter eas adhuc in illis supersunt reliquiæ vetustatis, propter carnalem generationem. Unde in Scriptura mentio fit carnis & spiritus, veteris & novi hominis, &c.

7. Tritum quoque est, quod in Peccato, quando de duratione ejus quæritur, spectanda sint quatuor, nimirum Reatus, Dominium, Fomes seu Radix & Sensus. Reatus quidem, ut diximus, tollitur in regeneratione; Dominium verò

vere in renovatione; Sensus denique ac Fomes in ipsâ animæ â corpore solutione, vel morte.

βεβαίωσις. Probatur 1. ex Rom. VII. 14–25. *Ego carnalis sum* &c. usque *carne autem legi peccati*. In his verbis Paulus, jam regenitus, conqueritur de reliquiis Peccati Originalis. Quod verò non alterius, sed suomet nomine ista proferat, patet ex toties repetitis pronominibus (1) *Ego*, quod omitti potuisset v. 14. 20. 24. 25. (2) in carne *meâ* v. 18. (3) habitat in *me* peccatum v. 20. (4) malum *mihi* adjacet v. 21. (5) video aliam legem in membris *meis*, rebellantem legi mentis *meæ*. v, 23.

2. ex absurdo, quo Antithesis premitur. Si enim per Baptismum tolleretur ipsum Peccatum Originale, sequeretur Baptizatum non solùm absque peccato, sed etiam impeccabilem fore: Nam obstructâ scaturigine tollerentur rivi: succisâ radice tollerentur rami: sublatâ causâ, tolleretur effectus.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, â quibus Lutherus propter Thesin hanc vapulabat. Conf. Apolog. p. 91. (56)

2. Pietistarum, qui, tametsi directè Thesin principalem non oppugnent, indirectè tamen & per cuniculos eam adoriuntur, statuentes, hominem in hâc vitâ ejusmodi statum obtinere posse, in quo extra sensibilem luctam adversus peccata constitutus, cum Christo, ut victor & triumphator, regnet. Vid. Supplement. Synopseos Art. 13. Th. 1. lit. ς.

Thesis VII. *Vera cognitio Peccati Originalis necessaria est.*

ἔκθεσις 1. Distingvimus inter Theologiam medicinalem & paradisiacam. In illâ Peccatum Originale peculiarem articulum constituit; non in hâc, quæ nec de morbis spiritualibus, nec de medicinâ adversus morbos illos, quicquam tradidisset.

 2. Cogni-

2. Cognitio autem de peccato originali vel ex libro Naturæ, vel ex libro Scripturæ petitur. Ille quoad hunc articulum, si non falsa, saltem imperfecta Rom. VII. 7. hic vera & quantum nobis sufficit, perfecta suggerit.

3. Necessaria dicitur hæc cognitio: non propter peccatum; sed propter peccati remedium: quia *non potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis*. Apol. p. 90. 96. (56. 59.)

βεβαίωσις. Probatur ex Hebr. VI. 1. ubi qui *de pœnitentiâ ab operibus mortuis* docet, *fundamentum jacere dicitur.* Pœnitentia autem ab operibus mortuis doceri non potest, nisi quæ sint opera mortua & unde proveniant, doceatur. Hinc ita colligimus: Quicquid est radix mortuorum operum, illius cognitio necessaria est, fundamentum de pœnitentiâ ab operibus mortuis jacienti. Atqui Peccatum Originale. Ergo. Spectat huc illud Augustini l. 1. contra Julian. c, 2. *Omnes homines primorum illorum hominum peccato nascuntur obnoxii. Hoc qui negat, ipsa Christianæ fidei subvertere fundamenta conatur.* Et, L. 4. ad Bonifac. contra duas Pelag. Epist. c. 8. *Absit, ut aliquando fides Catholica dubitaverit, utrum nascentes traherent originale peccatum, quod renascendo diluerent.*

Ἀντίθεσις est Pelagianorum & qui Pelagianos secuti sunt, Syncretistarum: utrique enim controversias de Peccato Originali rem quæstionis esse, non fidei, existimant. Conf. Calixt. Epicr. ad Colloqv. Thorun. præsertim Th. 27. 30.

III. VINDICATIO.

Accusamur

I. Quod in Ecclesiâ Evangelicâ, circa doctrinam de Peccato Originali, dissentiamus, ex quo Flacius Peccatum Originale pro substantiâ habuit. Resp. Evangelicis imputari non posse, quæ Flacius ab Evangelicis recedens & ab iis rejectus, sua esse voluit. 1. Joh. II. 19. Quod enim Flaciana hac in parte commu-

communi Evangelicorum calculo improbentur, constat ex Form. Concord. p. 810. 898. (573. sq. 639. sq.)

II. Quod Architectus confessionis nostrae Melanchton sibi in articulo hoc non constiterit, dum in posteriori editione solos Pelagianos damnaverit; cum in priori alios etiam feriisset: ex quo elicitur, Evangelicos à Confessione suâ recessisse. Sic Andr. Fabric. Harm. f. 17. Resp. Melanchtonem non rectè haberi pro Architecto Confessionis nostrae, quatenus Confessio est; de quo vid. superiùs Proleg. n. 13. p. 8. Neq; factum illius, utpote privati hominis, quicquam ei derogat, quod communi calculo receptum probatumque est. Conf. denuò Prolegom. p. 9.

III. Quod in hoc Articulo ab Aug. Conf. defecerimus: quia A. C. Baptismi necessitatem adstruit, statuendo, *Peccatum Originale afferre iis aeternam mortem, qui non renascuntur per Baptismum*; cùm è contrario Ægidius Hunnius, in Colloquio Ratisponensi, aliique Doctores Ecclesiae nostrae, infantes sine Baptismo decedentes, damnare non audeant. Ita *in Antiaugustanâ Confessione Episcopi Kolonitsch* Resp. Augustanam Confessionem propugnare Baptismi necessitatem, ex parte hominum, ad medii divinitus ordinati usurpationem obligatorum: Hunnium verò & alios disputare contra Baptismi necessitatem ex parte Dei, in extraordinariâ gratiae dispensatione, nullis mediis alligati Vid. D. Alberti *Refutat. Antiaugustanae Conf. qv. 3. p. 108.* Add. quae superiùs docuimus Th. 3. p. 74.

IV. Quod in Apologiâ injuriam faciamus Scholasticis, tales de viribus liberi arbitrii sententias iis affingendo, de quibus nunquam cogitaverint. Sic enim conqueruntur Fabricius in Harm. f. 15. & Bellarminus *l. 5. de Amiss. gratiae & statu peccati c. 6.* Resp. Sententias illas reperiri apud Durandum, Bielem, Cajetanum &c. adeò ut ipse Bellarminus *L. 5. de Gratia &*

Lib. Arb. c. 13. §. *Tertius error:* fateatur *Scholasticos quosdam scripsisse, hominem ex puris naturalibus posse Deum diligere super omnia.* Vid. plura in Carpzovii Isagoge ad Libros Symbolicos p. m. 157.

V. Quod Augustino per calumniam in Apologiâ tribuatur, quasi senserit, *peccatum in Baptismo remitti, non ut non sit, sed ut non imputetur.* Objectio hæc proposita est in Colloqv. Wormatiensi anno 1540. & repetita deinde à Bellarmino *L. 5. de Amiss. gratiæ c. 6. & L. de Baptism. c. 13.* Resp. verba allegata expressè in Augustino reperiri, *L. 1. de Nupt. & Concupisc. c. 25. T. 7.* Quà sensum eadem repetuntur *c. 26. ejusd. Libri.*

ARTICULUS III.

DE FILIO DEI.

I. EXPLICATIO.

Postquam de Peccato, ut morbo, actum est, jam Christus tanquam medicus nobis proponitur, ut, quæ Lobechii verba sunt in A. C. Disp. IV. th. 1. *eum desideremus, desiderando qværamus, quærendo inveniamus, inveniendo amemus, amatum retineamus.*

In Articulo hocce Melanchton nonnulla tum addidit, tum ademit. Ademit quidem, post verba illa, misso in corda eorum Spiritu S. quæ porrò seqvuntur, nempe, *qui regat, consoletur ac vivificet eos ac defendat, adversus Diabolum & vim peccati.* Eorum verò in locum substituit: *& sanctificatis det vitam æternam.* Deinde & post ista: *ut judicet vivos & mortuos:* addidit: *resuscitatos.* Hæc tametsi Orthodoxiæ non derogent, heterodoxis tamen calumniandi nostrisque inconstantiam objiciendi ansam præbuerunt.

Cæte-

Cæterùm in Confessione invariatâ, de JEsu Christo ita agitur, ut p. 13. (10) describantur ejus

I. Persona,

1. tanquam simplex ante incarnationem, quando tantùm erat *Verbum*, h. e. *Filius Dei.* Verbum verò intelligitur, juxta Fulgentium serm. de Nativitate: ***non quod desinit prolatum; sed quod permanet natum: non transitorium; sed æternum: non factum â Deo Patre; sed genitum: nec solùm genitum; sed & unigenitum.***

2. tanquam composita, post incarnationem, quando *assumsit humanam naturam, in utero B. Mariæ Virginis.* Tum igitur Verbum carni unitum est, cujus Unionis observentur.

α Extrema, quæ sunt ***duæ naturæ, divina & humana.***

β Fundamentum, quod est actualis unitio, â quâ naturæ dicuntur ***conjunctæ.***

γ Modus unicâ voculâ denotatus, quando naturæ traduntur esse conjunctæ ***inseparabiliter***, videlicet juxta Canonem: ***Quod verbum semel*** (personaliter) ***assumsit, nunquam deponit.***

δ Terminus, qui est una numero persona. Hinc legimus, naturas conjunctas esse ***in unitate personæ***, ipsaque Unio hæc vocatur personalis, inferens scilicet (1) præsentiam naturarum arctissimam, mutuam & inconfusam (2) περιχώρησιν sive immeationem earundem profundissimam. (3) communicationem veram & realem naturarum ac hypostaseos.

ε Consequens, quod innuitur, mentione factâ ***unius Christi, verè Dei & verè hominis.*** Quâ occasione deflectendum esset ad communicationem Idiomatum, nisi de hâc æquè ac de plerisque aliis, ad intelli-

telligendam pleniùs unionem perſonalem facientibus, perſpicuè diſſereretur in Formulâ Concordiæ Art. 8. p. 854. (605) ſqq. itemque p. 1054. (701) ſqq.

II. Status diſtincti,

1. Exinanitionis, in quo Chriſtus conſideratur, ut

α *Natus ex Mariâ Virgine*, de quo vid. Qu. 2.

β *Verè paſſus*, adeoque non tantùm putativè, κατὰ δόκησιν καὶ φαντασίαν, uti olim Marcionitæ & Manichæi delirabant. Paſſionis verò nomine complectimur omnes miſerias, quas Chriſtus, â primo conceptionis momento, uſque ad mortem ſuſtinuit, interque eas etiam infirmitates naturales, quas Græci πάθη φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα vocant. Imprimis tamen huc referuntur paſſiones, quæ mortem proximè anteceſſerunt, & κατ' ἐξοχὴν paſſiones appellantur. Diſtingvi autem poſſunt in internas, quales ſunt triſtitia, angor animi, lucta cum tentatione &c. ac externas, quales ſunt ludibria, calumniæ, convitia, irriſio, proditio, verbera, vulnera, condemnatio injuſta, potùs ingrati porrectio &c.

γ *Crucifixus*, juxta typum ſerpentis ænei. Joh. III. 14. nec non ſacrificiorum in altum ſublatorum, priuſquam ſuper ligno comburerentur. Ideo autem manibus expanſis pependit, ut Judæos ac Gentiles accurrentes amplecteretur. Joh. XII. 32.

δ *Mortuus*, ubi anima quidem ſejungebatur à corpore; ſed nec anima, nec corpus, ſejungebatur à Deitate, in cujus hypoſtaſi utraque humanæ naturæ pars, etiam poſt mortem totius, remanſit.

ε *Sepultus*, propter typum Jonæ Matth. XII. 39. & 40. itemq; ut ſe verè mortuum oſtenderet, ſepulchraq; noſtra ſanctificaret.

a b

2. Ex-

a b

2. Exaltationis, ubi RESPOND. ÆGIDIO GLAGAU, Gedan.

α *Descendit ad inferos*, de quo vid. Form. Concord. p. 864. 1088. (613. 788.)

β *Verè resurrexit tertiâ die*, & quidem virtute propriâ, de quo in Thesi 5.

γ *Ascendit ad cælos*, de quo in Thesi 6.

δ *Sedet ad dextram Patris*, de quo in Thesi 7.

ε *Palam rediturus est, ut judicet vivos & mortuos*, de quo vid. in Aug. Conf. Art. 17.

III. Officium, quod uti triplex est, nempè Propheticum, Sacerdotale & Regium, ita hìc omisso Prophetico officio, tantùm proponitur

1. Sacerdotale, quando Christus statuitur

(α) *reconciliâsse nobis Patrem.*

(β) *hostia fuisse non tantùm pro culpâ originis; sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis*, de quo in Thesi 3. & 4.

2. Regium, quando Christus memoratur

(α) *perpetuò regnare & dominari omnibus creaturis.*

(β) *sanctificare credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu S. regente, consolante ac vivificante eos.*

(γ) *defendere adversus Diabolum & vim peccati.* Hæc enim verba denuò ad Christum referenda sunt; quemadmodum proximè antecedentia, quasi parenthesi inclusa, ad Spiritum S. pertinebant.

IN APOLOGIA

Asseritur, quod totum hunc Articulum Adversarii probaverint p. 97. (59) Quâ de causâ nec Antithesis adjecta est; cum securos se crederent nostri ab omni hæreseos suspicione.

N II. DE-

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *JEsus Christus, ut Filius Dei, ex essentiâ Patris ab æterno genitus, verè Deus est.*

Ἔκθεσις. 1. Cum JEsus Christus Filius DEI dicitur, non intelligimus Filium quomodocunq; acquisitum; sed genitum: non per adoptionem; sed naturâ talem, qui nimirum dici possit (ἴδιος υἱὸς) *proprius Filius* Rom. IIX. 32.

2. Ideò rectè Filius appellatur naturalis, non sub respectu ad modum generandi, quasi secundùm leges & consvetudinem naturæ natus sit; verùm sub respectu ad principium generationis, quia ex naturâ Dei natus est.

3. Præterea circa Filiationem, distinguendum inter principium cognoscendi, sive medium manifestationis; & inter principium essendi, sive fundamentum relationis. Illud est multiplex e. gr. missio in tempore. Joh. X. 36. resuscitatio â mortuis. Rom. I. 4. collocatio ad dextram. Hebr I. 3. Hoc non nisi unicum, videlicet generatio.

4. Non autem intelligimus generationem physicam, quæ essentiæ multiplicationem infert; sed hyperphysicam, quæ ineffabilem essentiæ, numero ejusdem, communicationem notat: quoad totam quidem essentiam; sed non quoad totum essentiæ.

5. Generavit Pater Filium volens h. e. non coactus: nequaquam verò, quia voluit, vel quando voluit: Sic enim generatio nec voluntatis est, nec necessitatis; sed naturæ. Actus voluntatis est cum generatione; non ante generationem, tanquam actionis hujusce principium.

6. Nec generatio hæc dependentiam strictè sic dictam infert: cum & Deus genitus sit αὐτόθεος, respectu essentiæ, etiamsi ab alio sit, ratione personalitatis.

7. Ex

7. Ex essentiâ suâ genuit Pater: non hanc alienando, aut dividendo; sed totam communicando. Patris enim essentia, sub respectu ad Filium, non habuit rationem materiæ; sed principii producentis.

8. Inde communicatio essentiæ ad Filium, respectu Patris negatur esse abdicativa; statuitur verò esse cumulativa. Ita enim communicavit, ut & ipse retineret, quod communicavit.

9. Quæri solet, an ipsa essentia in divinis generet? Respondemus: Essentiam sumi dupliciter, vel absolutè, prouti tribus personis communis est; quo sensu negamus essentiam generare: vel relativè, prouti sub certo subsistendi modo Patri appropriatur; quo sensu concedimus essentiam generare, quatenus scilicet essentia, quæ in Patre est sine generatione, opponitur essentiæ numero eidem, quæ in Filio est, per generationem.

10. Sic essentia generat & generatur: non per sui multiplicationem; neque per personarum confusionem; sed per prædicatorum inter conceptum subalternantem & subalternatum communicationem: unde fit, ut quicquid prædicatur de Personis, etiam suo modo prædicetur de Essentiâ.

11. Quando Generatio ab æterno facta dicitur, vox æternitatis, juxta strictissimam acceptionem, notat durationem simpliciter indefectibilem. Non obstat locus Prov. IIX. 22. quippe in quo Sapientia Dei ab æterno *possessa* legitur; nequaquam verò creata. Nam ab æterno creari, implicat. In originali textu habetur verbum קָנָה *Possedit*; quod non animadvertens Arius & à versione, aut rectiùs perversione deceptus, teste Epiphanio, hinc primam erroris sui occasionem decerpsit.

12. Sic & Filius, qui genitus dicitur, ad designandam geniti perfectionem; nihilominus semper gigni statuendus est, ad denotandam actûs istius æternitatem, in quo nihil incipit,

cipit, nihil definit, nisi quà nostrum concipiendi modum.

13. Cum Filius verè Deus esse traditur; hâc ratione â Deo impropriè sic dicto distingvitur, cui scilicet solum nomen competit, non ipsa veritas rei e. gr. â Magistratu, Angelis &c. itemque à Deo, cui ejusmodi prædicata adjiciuntur, quæ Deitatis veritatem tollunt; ut si perhibeatur esse Deus *factus*, *inferior*, *ex gratiâ*, *per exaltationem* &c.

14. Nec quicquam protereà Thesi nostræ decedit, quod Pater *SOLUS* dicitur esse Deus Joh. XVII. 3, Tum enim non excluduntur personæ reliquæ ejusdem essentiæ; sed duntaxat creaturæ, quæ sunt extra eandem essentiam: Quia exclusiva non tangit, quæ sub communi prædicato continentur; verùm extranea.

15. In loco Matth. XIX. 17. Christus non se negat esse bonum absolutè, seu quoad suam essentiam; sed tantùm relativè, seu quoad aliorum de ipso opinionem, quod nimirum, si merus homo foret, qualis ab interrogante esse credebatur, bonus non foret. Sensus igitur verborum est: Aut me bonum non voca; aut Θεάνθρωπον agnosce.

Βεβαίωσις. Probamus I. *JEsum Christum esse verum DEum*, 1. ex Joh. I. 1, 2, 3. ubi Spiritus S. de JESU Christo, tanquam verbo ὑποστατικῷ sequentia testatur (1) ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. *In principio erat Verbum.* Principium verò intelligit rerum omnium, â Deo creatarum: Nam initium hujus Evangelii respondet initio Geneseos; quarè & vox principii absolutè ponitur, quemadmodum in loco parallelo Prov. IIX. 22. Si igitur in isto rerum omnium principio jam erat Verbum, sequitur quod non sit creatum; sed æternum: quia ante principium rerum omnium mera fuit æternitas Ab æternitate autem argumentamur ad Deitatem. (2) Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *DEus erat Verbum.* Hujus enunciationis extrema

sunt

ſunt transpoſita: Subjectum enim eſt ὁ λόγος, quod articulus indicat, uti in illo Joh. IV. 24. πνεῦμα ὁ Θεός. Prædicatum eſt Θεὸς, quâ voce verum Deum indicari, ex contextu totius capitis liquet, in quo vox eadem multoties ita ſumta repetitur, ut v. 3, 12, 13, 14, 18. Quod verò idem λόγος, qui Deus fuiſſe ſtatuitur, nihilominus ibi duabus vicibus legitur fuiſſe apud Deum; hoc ipſo manifeſtè, unitas eſſentiæ & diverſitas perſonæ indicatur. Nam λόγος erat *DEus*, eſſentialiter accepto Dei vocabulo; quâ ratione cum Patre idem eſt: Erat tamen etiam *apud Deum*, perſonaliter accepto vocabulo, quatenus Deum Patrem, tanquam fontem totius divinitatis ſignificat; ſic enim Λόγος eſt diſtinctus â Patre. (3) Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo non factum eſt quicquam, quod factum eſt.* Hic Scriptura, ut omnem exceptionem removeret, id quod initio ſimpliciter affirmaverat, mox oppoſiti negatione fortiùs confirmat, uti Eſaiæ XXXIIX 1. XXXIX. 4. *Fieri* autem nunc eſt creari, prout patet ex locis parallelis Eph. III. 9. Col. I. 16. Ne quis colligat, Filium non niſi inſtrumentum creationis fuiſſe, quia *PER eum* omnia leguntur facta; ſciendum, quod eadem propoſitio διὰ etiam de Patre creatore adhibeatur. Heb. II. 10. Hinc Filium non eſſe creaturam demonſtramus: Nam ſine quo nihil factum eſt, quod factum eſt, ille non ipſe factus eſt, & conſeqúenter nec creatura eſt: alioqui factus eſſet per ſe ipſum; quod abſurdum: cum nihil cauſa ſui ipſius eſſe queat. Si autem Filius creatura non eſt; neceſſariò Deus eſt.

2. ex aliis Scripturæ dictis. Pſal. XLV. 8. Joh. XX. 28. Rom. IX. 5. 1. Joh. V. 20.

II. *JEſum Chriſtum ex eſſentiâ Dei Patris eſſe genitum*, 1. ex Joh. I. 14. ubi gloria Verbi, quod Deus eſt, viſa eſſe legitur ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς *quaſi unigeniti â Patre*, vel *utpote*

pote unigeniti. Nam particula ὡς impræſentiarum non indicat nudam ſimilitudinem; ſed veritatem & certitudinem, uti Eph. V. 8. Conf. Num. XI. 1. Nehem. VII. 2. Job. XXIV. 14. Hinc alibi â noſtro Evangeliſtâ expreſsè μονογενὴς vocatur Joh. I. 18. III. 16, 18. 1 Joh. IV. 9 in quibus omnibus ad generationem ex eſſentiâ Patris reſpici, patet; quia aliàs Filii adoptivi plures ſunt Job. XXXIIX. 7. Joh. I. 12.

2. Ex aliis Scripturæ dictis Pſ. II. 7. Hebr. I. 5. V. 5.

III. *JEſum Chriſtum ab æterno eſſe genitum*, ex Mich. V. 2. ubi *egreſſus ejus ab initio & â diebus æternitatis* fuiſſe legitur.

Ἀντίθεσις eſt I. Antitrinitariorum, cùm veterum, tùm recentium, de quibus vid. Art. I. Th. 13. p. 50. Obſervandum, quòd ex antiquis hæreticis Arius docuerit, Chriſtum extitiſſe ante omnes creaturas reliquas; Photinus verò, eum primò exiſtentiam accepiſſe in Matre. Illum hodie ſeqvuntur nonnulli ex Quackeris, de quibus vid. Qvacker. Confut. Art. 3. Hypoth. 8. p. 334. & Art. 4. Hypoth. 8. p. 366. Hunc autem Sociniani.

2. Quackerorum promiſcuè omnium, qui cum per Jeſum Chriſtum intelligant Lumen omnibus hominibus congenitum, ſalvâ hâc hypotheſi credere nequeunt, Jeſum Chriſtum ex eſſentiâ Patris, ut Filium, ab æterno eſſe genitum. Dolendum in abominandâ hâc hypotheſi Hyperpietiſtas cum Quackeris convenire, de quibus vid. Wigandiana noſtra p, 33. ſq.

3. Hermanni Alexandri Röel D. & Prof. Franequerani, qui generationis veritatem in divinis anno 1689. impugnavit, ſtatuens: *Vocibus Filii & generationis, ſignificari in emphaſi, quod ſecunda perſona habeat eandem cum primâ eſſentiam & naturam illiq; ab æterno coëxtiterit.* Refutatus autem eſt à Campegio Vitringâ.

Theſis

Thesis II. *JEsus Christus, in utero Mariæ Virginis, ex substantiâ matris suæ, assumsit humanam naturam, veram atq; perfectam, quæ divinæ naturæ personaliter unita est.*

Ἔκθεσις. 1. Divinitas & Humanitas non contradistinguntur sibi invicem contrariè; sed disparatè, ut adeò hæc ab illâ assumi potuerit: Id quod tantò justius creditur, quantò longiùs potentia Dei humanum captum excedit. Eph. III. 20.

2 Christus igitur, uti & verus Deus & verus Homo est; ita nec merus Deus, nec merus Homo est, sed Θεάνθρωπος. Hinc quæ de Christo dicuntur secundùm alterutram naturam, malè adhibentur ad evertendam alteram naturam.

3. Assumtio illa humanæ naturæ aliàs dicitur Incarnatio; quæ ut opus ad extra, omnibus S.S. Trinitatis personis, diverso tamen respectu, tribuitur. Nam Patri & Spiritui S. competit inchoativè: illi propter missionem Filii; huic propter fœcundationem Virginis Matris: Filio autem terminativè, propter ipsam carnis in unitatem personæ apprehensionem. Idem indicatur in illo Augustini: *Filius suscepit carnem in proprietate; sed tamen & Pater & Spiritus S. non defuit majestate.*

4. Ita sola persona Filii dicitur esse incarnata: nimirum in oppositione ad Personam Patris & Spiritus S.; nequaquam verò in oppositione ad naturam Filii. Nam & natura divina rectè statuitur incarnata esse: non juxta considerationem absolutam, prouti omnibus personis communis est; sed juxta considerationem limitatam, prouti in certo (ὑπάρξεως τρόπῳ) subsistendi modo ad personam secundam restricto, spectatur. Huc pertinent illa Concilii Toletani: *Solus Filius suscepit humanitatem, in singularitatem personæ; non in unitatem divinæ naturæ*, h. e. in eo, quod proprium est Filii; non quod commune est Trinitatis.

5. Cum

5. Cum tota Deitas ſit in qualibet perſonâ, ſequitur unâ perſonâ incarnatâ, incarnari totam Deitatem; ſed reſpectu illius perſonæ. Quod Thomas Part. III. qu. 3. art. 4. hunc in modum declaravit: *Tota natura divina dicitur incarnata: non quia ſit incarnata in omnibus perſonis; ſed quia nihil de perfectione naturæ divinæ deeſt perſonæ incarnatæ.*

6. Humana natura trifariam conſideratur (1) in ſtatu ideali, ſeu ψιλῇ θεωρίᾳ, prouti ab omnibus individuis præſcindit & in ſolo animo contemplante reperitur. (2) in ſtatu univerſali, ſeu ἐν τῷ εἴδει, prouti in omnibus individuis conjunctim ſumtis ſpectatur: (3) in ſtatu fundamentali, ſeu ἐν ἀτόμῳ, prouti in uno tantùm individuo eſt. Atque hoc ultimo ſenſu Λόγος humanam naturam aſſumſiſſe dicitur.

7. Veram appellamus naturam humanam, in oppoſitione ad naturam imaginariam & phantaſticam.

8. Perfecta dicitur, propter præſentiam partium, cum eſſentialium, tum integralium. Quod autem natura humana in Chriſto, propriâ perſonalitate deſtituebatur, non infert defectum rei ad perfectionem humanæ naturæ pertinentis; quia participatione eminentioris perſonalitatis compenſatur: propter quam non quidem αὐθυπόστατος, neque tamen etiam ἀνυπόστατος; ſed ἐνυπόστατος dicitur.

9. Eadem natura Chriſti humana nobis eſt ὁμοούσιος: quamvis formatio illius facta ſit miraculosè, juxta hymnum Eccleſiaſticum: *Non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, Verbum Dei facta eſt Caro, Fructusq; ventris floruit.*

10. In utero Mariæ, à Chriſto aſſumebatur humana natura: non propter Virginis dignitatem, atque meritum; ſed propter Dei erga Virginem gratiam atque beneficium. Lucæ I, 30.

11. Neque tantùm *in* Mariâ, verùm etiam *ex* Mariâ h. e. ex ſubſtantiâ ejus, aſſumtio iſta contigit: ita tamen ut

Spiri-

Spiritus S. massam sangvineam, ex qua corpus Christi originem traxit, prius â peccati originalis contagio liberaverit; de quo vid. Art. 2. Th. 4. p. 77. sqq.

12. Unio inter naturas in Christo, non terminatur ad unam naturam; sed ad unam personam, quæ â duabus naturis denominatur.

13. Persona igitur Filii Dei, quæ ante incarnationem fuit ἀυτοτελεστατὴ & simplex; per incarnationem facta est συνθετὸς seu composita: non quidem compositione vulgari, ex partibus strictè sic dictis: quippe quæ semper sunt entia incompleta: sed tamen compositione singulari, ex extremis, quorum alterum ante compositionem in subsistendo erat completum, nempè natura divina; alterum verò incompletum, nempè natura humana.

14. Interim propter hanc compositionem, non statuitur mutabilitas esse in Deo; sed tantùm in modo subsistendi, qui secundæ personæ in Deitate competit. Ubi hypostasis, quæ ante incarnationem fuit unius naturæ; per incarnationem facta est duarum naturarum: ita, ut hypostasis numero una eademque divinæ naturæ competat essentialiter & per se; humanæ autem personaliter & per unionis gratiam.

βεβαίωσις. Probatur ex Luc. I. 26. seqq. 1. quod JEsus Christus ex substantiâ Matris suæ assumserit humanam naturam. Nam (1) *conceptus est in utero ejus* v, 31. Conceptio autem fit ex substantiâ Matris (2) *natus* dicitur, non tantùm per Mariam; sed & *ex Maria* v. 35. (γεννώμενος ἐκ σοῦ) Add. Matth. I. 20. Gal IV. 4. (3) *Filius* vocatur & quidem propriè dictus, utpote propter partum v. 31 Hinc & eâdem de causâ Maria salutatur *Mater ejus* v. 43. Filius autem naturam suam ex substantiâ Matris accipit. (4) *est fructus ventris* Mariæ, v. 42. Fructus verò ex substantiâ ejus pullulat, cujus est fructus. Conf. Gen. III. 15. (5) *Davidem agnoscit Pa-*

trem v. 32. nimirum mediante Mariâ Matre, quæ *de domo Davidis* erat v. 27. (6) non minûs verè ex Mariâ, ac Johannes ex Elisabethâ, conceptus ac natus est v. 36.

2. quod JEsus Christus Virginem habuerit Matrem. Nam (1) Maria expressè *Virgo* vocatur v. 27. (2) ipsa coram Angelo, *quod virum non cognoverit*, gloriatur v. 34. (3) ideò miraculosâ *superventione Spiritus S.* opus erat, ut conceptio, quæ aliàs è Virgine fieri nequivisset, perageretur v. 34, 35.

3. quod in JEsu Christo divina natura humanæ personaliter unita sit. Nam una eademque persona, proprio nomine *JESU* denotata v. 31. describitur à duabus naturis (1) Divinâ, â quâ dicitur (α) *Filius altissimi* v. 32. (β) *Virtus altissimi, obumbrans Mariam* v. 35. (γ) *Filius Dei* v. 35. (δ) *Dominus Elisabethæ*, v. 43. (2) Humanâ, cujus idiomata sunt (α) *concipi*, v. 31. (β) *nasci*, v. 31, 35. (γ) *Patrem Davidem* habere. v. 32.

Ἀντίθεσις est eorum 1. qui Christum, carnem suam è cœlo attulisse & per Mariam, veluti canalem transiisse, fingunt, ut ex veteribus Valentiniani & Marcionitæ, ex recentioribus Schwenckfeldiani, Anabaptistæ, Weigeliani &c.

2. qui in Christo non agnoscunt vel mentem humanam, cum Apollinaristis; vel voluntatem humanam à divinâ distinctam, cum Monotheletis; vel corpus verum phantastico oppositum, cum Marcionitis & Quackeris. De postremis vid. Quack. Confut. Art. 4. Hypoth. 10. p. 368.

3. qui Christi Matrem negant fuisse Virginem, ut Judæi, quorum blasphemias D. Augustus Pfeifferus pridem in peculiari Disputatione *de Obtrectore Apellâ*, summatim comprehensas, exhibuit.

4. qui unionem personalem duarum naturarum in Christo impugnant, ut Sociniani, Mennonistæ, Quackeri. De his vid. Quacker. Confut. Art. 4. Hypoth. 11. p. 370.

5. qui

5. qui Christum non in utero; sed in corde Mariæ conceptum esse somniârunt, ut Monachus quidam Franciscanus anno 1431. Thorunii fecit, refutatus à Monacho Dominicano, ex quo lites inter utrumque Ordinem exarserunt, teste Hartknochio Hist. Eccles. Boruss, L. I. c. 5. §. 4. p. 241. Similia tradidit Ptolomæus Lucensis, anno 1505. cui contradictum est à Mantuano.

6. qui Christum verè & propriè loquendo etiamnum ita in nobis concipi, formari ac nasci contendunt, ut caro de carne ejus fiamus. Sic Pietistæ, quorum verba exhibentur in Supplemento Synopseos nostræ Art. 7. Th. 1. Figmentum hoc conceptionis, formationis ac nativitatis in aliis hominibus, derogat conceptioni, formationi ac nativitati ex Matre sanctissimâ, de quâ nunc egimus.

Thesis III. *JEsus Christus, pro hominibus solis atque omnibus in mundum venit, ut eos Deo reconciliaret.*

ἔκθεσις 1. In hâc Thesi de causâ finali incarnationis Christi agitur, ubi statuimus Finem *cui*, esse homines; Finem verò *cujus* esse reconciliationem cum Deo.

2. Venit igitur Christus propter homines & quidem solos atque omnes. Homines autem intelligimus alios, seu diversos à Christo: quippe, qui propter se non est incarnatus; sed propter nos: Quemadmodum & obedientia Patri præstita, non resultavit ex præstantis debito; sed ex suscepto pro aliis vadimonio.

3. Neque meruit sibi quicquam Christus: Tametsi enim Exinatio antecesserit Exaltationem Luc. XXIV. 26. non tamen fuit causa Exaltationis. Conf. 1, Tim. III. 16. Haud obstant particulæ (διὸ) IDEO Phil. II, 8, 9. & (διὰ) *PROPTER* Hebr. II. 9. Namque hæ alibi etiam consequens noncausale notant, ut Act. XIII. 35. Hebr. XIII. 12.

4. Cum SOLOS homines dicimus, eo ipſo excluduntur Angeli; qui ſicuti ſub Chriſto ſunt, ut capite Eph. I. 6. ita Chriſto non nituntur, ut mediatore.

5. Conſervantur quidem Angeli à Chriſto, per concurſum generalem Providentiæ; nequaquam verò per concurſum ſpecialem mediatorii officii. De hoc enim Scriptura ſilet, quâ tacente, in tanto myſterio, etiam nobis tacendum eſt.

6. In locis Col. I. 2. Eph. I. 10. per eos, *qui in cœlis ſunt,* non intelliguntur Angeli; ſed Eccleſia triumphans.

7. Cum OMNES homines dicimus, hoc ipſo indicamus, neminem excludi. Venit enim Chriſtus propter eos, qui cùm veniret, erant, quique fuerant & qui futuri erant. Ubi de iis, qui fuerant, notetur Canon: *Meritum Chriſti profuit, antequam fuit.* Hi enim ſalvabantur per fidem in Chriſtum, qui venturus erat; quemadmodum nos ſalvamur, per fidem in Chriſtum, qui venit. Vid. Matth. XI, 3.

8. Niſi homines Deo reconciliandi fuiſſent, Chriſtus non veniſſet, juxta illud Auguſtini Serm. 9. de Verb. Apoſt. *Nulla fuit cauſa veniendi Chriſto, niſi peccatores ſalvos facere: Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa erit medicinæ.* Reconciliatio autem in eo conſiſtit, quod Filius Dei naturalis, nos fecit Filios Dei adoptivos Joh. I. 12 cum è ſtatu iræ, in quem peccando incideramus, Eph. II. 3. reſtitueret in ſtatum gratiæ, è quo excideramus. Rom. V. 15.

9. Ut igitur Chriſtus in mundum veniret, neceſſarium fuit: non tamen abſolutè, quia Deus hominem lapſum, æquè ac Angelos lapſos æternùm damnare potuiſſet; verùm conditionatè, nimirum, ſi homo cum Deo in gratiam redire debebat.

10. Hoc enim, absque præviâ ſatisfactione, fieri haud poterat: non propter Dei impotentiam; ſed propter juſtitiam & veritatis conſtantiam. Conf. Gen. II. 17.

11. Be-

11. Beneficium hoc reconciliationis eſt univerſale; etſi apprehenſio beneficii ſit particularis: atque hoc quidem non Dei; ſed hominum culpâ, qui beneficium iſtud ſibi fide applicare recuſant.

12. Venit ergo Chriſtus propter electos. Rom. IIX. 33. 34. ſed non propter ſolos electos.

βεβαίωσις Probamus I. quod Chriſtus non venerit, ut ſibi aliquam perfectionem mereretur, ex Theſi 2. Quia in primo conceptionis momento, divina natura humanæ naturæ perſonaliter unita fuit, ut Chriſtus rectè diceretur eſſe (*ἐν μορφῇ θεοῦ*) *in formâ Dei* Phil. II. 6. ſeu quò clarius exprimamus, ille ipſe, *in quo tota plenitudo Divinitatis habitabat corporaliter* Col. II. 9. Unde colligimus, cum perfectio hæc ſumma ſit, eundem non potuiſſe ſibi ulteriorem perfectionem mereri.

II. quod Chriſtus non venerit Angelorum gratia, ex Hebr. II. 16. Quia non aſſumſit Angelos, ſed ſemen Abrahæ: Quod verò Chriſtus non aſſumſit, illud nec curavit.

III. Quod Chriſtus venerit, ut homines Deo reconciliaret, 1. ex Eſ. LIII. 5. Quia *pacis nobis conciliandæ gratiâ caſtigabatur*. Hebr. מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ עָלָיו *Caſtigatio pacificationum noſtrarum ſuper ipſo.* Quibus verbis indicatur (1) quod cum *pacificationum* in plurali fiat mentio, multiplex ſit *pax noſtra*, quam â Chriſto accepimus: Aliam enim habemus nobiſcum ipſis Rom. XIV. 17. aliam cum proximo. Eph. II. 14. aliam cum Deo per peccata offenſo Eſ. LIX. 2. (2) quod pretium reparatæ pacis fuerit caſtigatio Chriſti. Nam מוּסָר derivatur à Rad. יָסַר *caſtigavit*, ſumiturq; etiam pro *caſtigatione pœnali*, ut Prov. III. 11. Hinc concludimus: Super quem fuit caſtigatio pœnalis, pro pace cum Deo nobis impetrandâ, ille venit, ut homines cum Deo reconciliaret. Atqui ſuper Chriſto &c. Ergò

2. ex Rom. V. 10. Quia *cum inimici eſſemus*, dicimur *reconci-*

conciliati esse Deo, per mortem Filii. Filius ergò venit, ut nos reconciliaret: Observandum, quod expressè mentio fiat (1) *inimicitiæ* inter Deum & homines: (ἐχθροὶ ὄντες) Unde *ira Dei* ibid. v. 9. & *condemnatio* ibid. v. 16 (2) *reconciliationis* (καταλλάγημεν). Reconciliare autem est irà divisos in gratiam reducere. Conf. 1. Cor. VII. 11. 2. Macc. I. 5. VII. 33. (3) modi, quo reconciliatio peracta est, nempè *per mortem Filii*, quam ut Filius Dei oppeteret, ideò venit in carnem. Rectè enim Augustinus: *Mortem nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset.*

IV. Quod Christus venerit pro omnibus hominibus. 1. ex Es. LIII. 5. 6. Quia pro omnibus passus est: Pro quibus autem passus est, pro iis etiam venit. Notetur inprimis triplex universalitatis signum (1) *omnes tanquam oves erravimus*, (2) *unusquisq; ad suam viam conversus est*: quæ via apud multos fuit infidelitatis v. 1. (3) *Dominus fecit occurrere* in Christum *iniquitatem omnium nostrum.*

2. ex 1. Joh. II. 2. Quia Christus *est propitiatio pro peccatis nostris; non autem pro nostris tantùm; sed etiam pro totius mundi.* Ubi Apostolus initio de se & fidelibus loquitur: deinde ne quis intra tam angustos cancellos meritum Christi coarctaret, longius progreditur, nempè ad *mundum*, & quidem *totum.* Idem repetitur Joh. I. 29. III. 16. 1. Joh. IV. 14. Sed & in versiculo præcedenti, Christus pro peccantibus sine exceptione omnibus, asylum constituitur: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum.*

V. Quod Christus non venisset, si homines non peccassent ex Rom. V. 12. seq. & 1. Cor. XII. 45, 47. seq. Si enim homines in Adamo primo non fuissent mortui; nec Adamus secundus venisset, ut eos vivificaret.

Ἀντίθεσις est eorum, qui statuunt, I. Christum venisse ut sibi aliquid promereretur. Sic 1. Pontificii. Lombard. L. 3. Sen-

3. Sentent. Dist. 18. & sequaces. Becanus censet, Christum hæc quatuor sibi promeruisse (1) *gloriam corporis & exaltationem nominis* (2) *unionem hypostaticam* (3) *beatitudinem, seu visionem Dei* (4) *gratiam habitualem.*

2. Sociniani, qui, tametsi à vocabulo meriti abstineant, Christum tamen suæ exaltationis causâ passum esse, contendunt.

II. Christum etiam venisse Angelorum gratiâ. Sic 1. Pontificii, Svaretz T. 1. Disp. 42. Sect. I. Gregor. de Valent. &c. 2. ex Reformatis, Calvinus ipse super Eph. I. 10. Bucerus &c.

III. Christum non venisse, ut homines Deo reconciliaret. Sic Sociniani.

IV. Christum non venisse pro omnibus hominibus. Sic 1. Calviniani communiter, ne Hypotheticis quidem exceptis e. gr. Amyraldo, Bremensibus, Camerone, Joh. Bergio &c. qui Christum pro omnibus venisse videri volunt concedere, sed sub illusoriâ hypothesi, si omnes crederent. 2. Weigeliani, qui Christum pro solâ Ecclesiâ venisse docent. 3. Sociniani, qui Christum duntaxat pro hominibus N. T. venisse opinantur.

V. Christum venturum fuisse, etiamsi homines non peccassent. Sic Scholastici, præsertim Scotistæ, qui decretum de Missione & Incarnatione Filii in signo rationis divinæ prius fuisse decreto de creandis hominibus, contendunt. Scholasticos secutus est hâc in parte Osiander in Tract. de Imagine Dei, item ex Reformatis Bucerus, Willetus, Zanchius. Sed & Sociniani in eâdem sententiâ hærent.

Thesis IV. *Christus indebitâ suâ obedientiâ non tantùm pro originali; sed etiam pro actualibus peccatis eorundemq; pœnis, temporalibus & æternis, justitiæ divinæ plenè satisfecit.*

Ἔκθεσις. 1. Satisfactionis terminus formaliter, seu totidem sylla-

ſyllabis, equidem in Scripturâ S. non reperitur; virtualiter tamen, ſeu quoad rem & voces æquipollentes, pluribus in locis occurrit, e. gr. Matth. XX. 28. 1. Tim. II. 6. 1. Joh. II. 2. &c.

2. Juxta acceptionem vocis generaliorem, Satisfactio diſpeſcitur in compenſatoriam & emendatoriam. Illa locum habet, cum pro debito æquivalens redditur, juxta rigorem juſtitiæ: Hæc, cum ſignum voluntatis pro compenſatione accipitur, juxta abundantiam gratiæ.

3. Utraque, aut Deo, aut hominibus præſtatur. Sub reſpectu ad Homines, emendatoriæ ſatisfactionis ſpecies ſunt ſatisfactio privata & eccleſiaſtica, Privatam dicimus ſatisfactionem, cum offenſam coram proximo læſo deprecamur, antequam remisſionem peccatorum â Deo expetamus; quæ etſi coram Deo non ſit compenſatio pro peccatis; nihilominus neceſſaria eſt propter ejus mandatum. Matth. V. 23, 24. Quæ autem Eccleſiaſtica appellatur Satisfactio, ea pars Diſciplinæ eſt, olim uſitatior, quàm hodiè; cum quis in atrocia ſcelera, maximè abnegationem fidei, prolapſus, Eccleſiam ſcandalizavit, eique propterea certæ caſtigationes imponuntur: non ut per illas peccata coram Deo expiet; ſed ut pœnitentiæ veritatem publicè oſtendat, cæterosque exemplo ſuo â peccando deterreat: de quâ ſatisfactione ſæpiùs intelligendi ſunt Patres, quando dicta eorum â Pontificiis perperam ad ſatisfactionem Deo præſtandam torquentur.

4. Sub reſpectu ad Deum, ſatisfactio emendatoria præſtatur per Pœnitentiam: De ſatisfactione verò compenſatoriâ pluribus erit agendum.

5. Obſervetur ergo hujusdem Principium, Objectum, Medium & Finis.

6. Principium eſt Jeſus Chriſtus Θεάνθρωπος, qui non propter proprium debitum; ſed propter ſuſceptum pro alienis debi-

debitis vadimonium hic operatur. Ipſe enim omnis peccati expers eſt. Hebr. VII. 26.

7. Objectum occurrit duplex, CUI & PRO QVO.

8. Objectum CUI, vocamus Juſtitiam divinam. DEus enim unitrinus jam non conſiderandus eſt ut nudus Creditor, juxta figmentum potentiæ cum juſtitiâ pugnantis, quaſi videlicet debitum absque ſatisfactione condonare potuerit; ſed ſimul ut ſeverus Judex, juxta rigorem immutabilis juſtitiæ, quatenus ſcilicet propter legis transgreſſionem, aut debitam pœnam, aut ſatisfactionem irremiſſibiliter exigit.

9. Objectum PRO QVO, ſunt peccata omninò omnia, unâ cum pœnis peccatorum quibuscunque. Satisfecit ergò Chriſtus pro peccato originali; ſed non pro eo ſolo, verùm & pro peccatis actualibus. Satisfecit idem pro culpâ; ſed non pro ſolâ culpâ, verùm etiam pro pœnâ.

10. Poſt remisſionem peccatorum, Satisfactione Chriſti partam, fideles nihiloſecius cruci & morti temporariæ ſunt obnoxii: non tamen ampliùs ut pœnis, quæ immittuntur ab irato Iudice; ſed ut exercitationibus, quæ magno noſtro commodo proficiſcuntur à placato Patre. Spectat huc illud Auguſtini L. 2. de Peccat. Merit. & Remisſ. c. 34. *Calamitates ante remisſionem ſunt ſupplicia peccatorum; poſt remisſionem ſunt certamina & exercitationes juſtorum.*

11. Medium, cujus interventu ſatisfactio præſtabatur, eſt pretium obedientiæ Chriſti. Hæc autem Legem reſpicit, cujus cum duæ partes ſint, altera quidem definitiva, exprimens, quid faciendum, vel omittendum; altera autem vindicativa, decernens, qvæ pœna immineat transgreſſori: ſciendum, quod utroque reſpectu, Chriſtus obedientiam legi præſtiterit, nempe quà partem definitivam, faciendo, quod ab hominibus erat faciendum, & omittendo, quod ab hominibus erat omittendum; quâ partem verò vindicativam, pœnas pro hominibus ſuſtinendo.

12. Hinc obedientia Christi dispesci solet in activam & passivam; non tamen satis accuratè: quia ipsa etiam passiva obedientia fuit activa, quatenus per eam Christi dilectio in satisfaciendo se maximè exeruit. Rom. V. 8.

13. Ut ab infernalibus pœnis liberaremur, Christi obedientia usque ad infernales pœnas se dimisit: quas etsi Christus non perpessus sit extensivè i. e. quoad durationem; perpessus tamen est intensivè i. e. quoad gravitatem. Alii ita: Christus sustinuit æternos dolores; sed non æternùm: Vel etiam: Sensit mortem æternam; sed non mortis æternitatem.

14. Concedimus, ab homine renato proficisci aliquam legis impletionem; sed negamus eam esse talem, quæ in judicio Dei consistere queat. Unde distingvimus, inter impletionem legis perfectam & imperfectam. Illam habemus per imputationem; hanc per inhæsionem: illa est justificationis; hæc renovationis: illam Christus præstitit pro nobis; hanc Spiritus S. efficit in nobis.

15. Obedientia Christi indebita fuit: Nam uti lege obligatur nuda Creatura; ita â lege soluta est Creatura Creatori suo personaliter unita.

16. Finis satisfactionis est plena hominum cum Deo reconciliatio. Unde & satisfactionem ipsam oportuit esse plenam: non solùm juxta qualemcunque acceptionem; sed etiam juxta adæquatum valorem.

17. Nil obstat, cum infinitum Numen ad iram commovissemus, quo minùs & satisfactio statuatur infinita esse: si non ratione actuum, in quibus se obedientia exeruit, utpote qui finem habuerunt, Christo in cruce exclamante: *Consummatum est.* Joh. XIX. 30, saltem ratione efficaciæ.

18. Ex dictis patet, reconciliationem hominum cum Deo gratuitam quidem dici, respectu conciliatorum; non verò respectu conciliantis, utpote quem satisfacere oportuit. Conf. 1. Cor. VI. 20.

19. Sa-

19. Satisfactio & Meritum Christi differunt (1) ordine. Illa enim est hujus causa. (2) fine. Illa enim respicit injuriam compensandam; hoc verò mercedem promerendam. (3) objecto Non enim nobis satisfactum est; sed Deo: at nonDeo Christus aliquid meruit; sed nobis. (4) qualitate subjecti satisfacientis & promerentis. Christus enim in statu exinanitionis simul & satisfecit & promeruit; at in statu exaltationis non amplius satisfacit; sed tantùm promeretur.

Βεβαίωσις. Probamus I. *quod Christus propriè loquendo satisfecerit*, ex locis §. 1. ἔκθεσ. allegatis, nempè 1. Matth. XX. 28. Quia Christus dicitur dedisse *animam suam* (λύτρον ἀντὶ πολλῶν) *pretium redemtionis pro multis*. λυτρῶν enim est captivum pretio dato liberare. Hoc autem, qui facit, ille propriè loquendo satisfacit. Particula ἀντὶ notat surrogationem in locum alterius. Matth. V. 38. Luc. XI. 11. 1. Thessal. V. 15.

2. 1. Tim. II. 6. Quia Christus dicitur semetipsum dedisse (ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων) *vicarium solutionis pretium pro omnibus*: in quo dicto urgeatur præprimis vox ἀντίλυτρον, quæ ad exprimendam satisfactionis proprietatem, convenientissima est: Notat enim pretium loco alterius solutum.

3. 1. Joh. II. 2. Quia Christus dicitur esse (ἱλασμὸς) *propitiatio pro peccatis nostris*. Quam propitiationem præstitit *patiendo* Es. LIII. 6. *sangvinem fundendo*, Col. I, 20. *moriendo*. Rom. V. 10.

4. Ex locis, in quibus Christus legitur *peccata hominum portasse* Joh. I. 29. 1. Petr. II. 24. Sic enim pœnam peccatis jure debitam sustinuit, & consequenter justitiæ vindicativæ satisfactionem pœnalem præstitit.

II. *Quod Christus non tantùm pro originali, sed etiam pro actualibus peccatis satisfecerit* 1. ex Es. LIII. 5. 6. ubi non tantùm mentio fit peccatorum in genere, quando Christus

 descri-

defcribitur, ut (1) *verè ferens langvores noftros.* (2) *portans dolores noftros.* (3) *attritus propter iniquitates noftras*: fed etiam in fpecie peccatorum actualium, quando fiftitur ut vulneratus (מִפְּשָׁעֵינוּ) *propter prævaricationes noftras.* Nam פֶּשַׁע juxta Kimchium ad Pf. XXV. 7. notat *peccatum, quod fcienter & contumaciter committitur.*

2. ex Hebr. IX. 14. ubi fangvis Chrifti, *qui femetipfum obtulit immaculatum Deo, confcientiam noftram purgaffe* legitur, *ab operibus mortuis:* quæ ipfisfima peccatorum actualium defcriptio eft. Conf. Ephef. II. 1. feqq.

3. ex aliis Scripturæ locis, ut Joh. I. 29. 1. Petr. II. 24. Ephef. I. 7. Col. II. 13.

III. *Quod Chriftus pro pœnis peccatorum, temporalibus æquè ac æternis, fatisfecerit.* 1. ex Gal. III. 13. ubi *Chriftus nos redemiffe* legitur, *à maledictione legis.* At legis maledictio pœnas tam temporales, quàm æternas complectitur. Conf. Deut. XXIIX. 15. feqq.

2. ex Ef. LIII. 6. ubi *caftigatio pacis* dicitur *fuper Chrifto fuiffe.* i. e. pœna, quæ nobis pacem, adeoque liberationem à pœnâ hoftili præftitit.

IV. *Quod Chriftus juftitiæ divinæ rigori plenè fatisfecerit* 1, ex Col. I. 19. 20. Quia (1) *per Chriftum reconciliata funt omnia* (εἰς αὐτὸν) *in ipfum*, five *erga ipfum.* Reconciliatio autem, præfupponit hoftilitatem, ex rigore Juftitiæ puniendam, 2. Cor. V. 19 coll. Ephef. I. 10, (2) Porrò reconciliata funt *omnia*, ut nihil excipiatur, quod reconciliatum non fuerit. (3) Præftita eft reconciliatio, *pacificatis per fangvinem crucis, quæ in terrâ & quæ in cælis funt*, i. e. omnibus fidelibus, five jam in triumphante, five adhuc in militante Ecclefiâ conftitutis. (4) Pacificatio ifta nititur virtute infinitâ, humanæ naturæ communicatâ, propter *inhabitantem in Chrifto plenitudinem Deitatis.* Conf. Col. II. 9. Ex quo colligi-

ligimus, expiationis ipsius virtutem esse infinitam & rigori justitiæ divinæ accuratè respondentem.

2. ex Rom IIX. 1. Quia (οὐδὲν κατάκριμα) *nulla condemnatio superest his, qui in Christo JEsu sunt.* Nisi autem à Christo JEsu justitiæ divinæ rigori plenè satisfactum esset, utique damnatio superesset. Conf. 2. Cor. V. 21

V. *Quod Obedientia Christi, â parte satisfacientis, fuerit indebita*, ex Matth. XII. 8 Quia Christus, quà ipsam quoque naturam humanam describitur, ut *Dominus legis*. Dominus autem legis non obligatur ad obedientiam legi præstandam.

Αντίθεσιν fovent, I. qui Christum negant propriè loquendo satisfecisse, ita 1. Sociniani communiter. Horrenda est vox Socini: *Ego quidem, etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monumentis scriptum extaret, non idcirco tamen rem ita se habere crederem.*

2. Thomas Müntzerus, attestante Botsacco in Anabapt. cap. 3. §. 13.

3. Hyperpietistæ, præsertim Dippelius, qui sub Democriti nomine, edidit *Hodegum Apostolicum ad veram justitiam Dei* (Den Apostolischen Wegweiser zur wahren Gerechtigkeit) Theses ejus IX. Socinianæ prorsus, Latinitate donatæ reperiuntur in Wigandianis p. 34. sq.

II. Qui Christum pro originali duntaxat, non etiam pro actualibus, peccatis satisfecisse contendunt. Ita Pontificii superiorum temporum, ut Thomas de Sacram. Altar. c. 1. Catharinus de Incruento N.T. sacrificio, Bonaventura &c. Hac hypothesi tantò majorem autoritatem Missæ conciliare nitebantur, utpotè quâ pro actualibus peccatis satisfieri docebant.

III. Qui Christum pro culpâ quidem satisfecisse admittunt; non verò pro pœnâ; asserentes, hominem ipsum pro pœnâ, vel in præsenti vitâ, vel in purgatorio, operibus suis satisfacere teneri. Ita Pontificii communiter.

IV. Qui Christum justitiæ divinæ rigori plenè satisfecisse inficiantur: Ita præter Socinianos, satisfactionem omnino rejicientes, de quibus n. 1. Antith: actum est, Pontificii haud pauci, statuentes, Deum acceptatâ qualicunque satisfactione, reliqua ultro remisisse, quod ita placuerit. Sic Thomas, Scotus, Durandus, Phil. de Valentiâ, Vasquez &c: Causa autem hujus dogmatis est, partim ut ostendant, insufficientiam non obstare humanis meritis, quo minùs à Deo acceptentur; cum nec Christi satisfactio sufficiens fuerit: partim ut prædestinationis gratiam pro causâ salvationis præcipuâ venditare queant; quâ effectum esse asserunt, ut Deus semiplenam satisfactionem Filii pro electis acceptârit.

V. Qui Christum, ut Creaturam, ad obedientiam activam obligatum fuisse, adeoque solâ obedientiâ passivâ satisfecisse censent. Ita ex Reformatis Piscator & asseclæ Tilenus, Wendelinus, Ursinus, Scultetus.

Thesis V. *JEsus Christus, tertio die, virtute propriâ resurrexit, & ex clauso sepulchro, cum corpore glorificato, egressus est; ut proinde secundum humanam naturam se ipsum excitasse, rectè statuatur.*

Ἔκθεσις. 1. In Thesi hâc proponuntur Resurrectionis Subjectum, Principium agendi & Circumstantiæ, temporis ac loci.

2. Subjectum *Quod* est Christus Θεάνθρωπος: Subjectum *Quo* est corpus, quod per mortem ceciderat. Ἀνάστασις enim præsupponit πτῶσιν.

3. Principium agendi est virtus infinita, quæ divinitati competit per naturam; humanitati per unionis gratiam.

4. Tametsi ergò Christus resuscitatus esse dicatur à Patre Act. XVII. 31. Rom. IV. 24. 1. Cor. VI. 14. non tamen sequitur, quod resurrexerit virtute alienâ, sed virtute sibi cum Patre communi, adeoque propriâ.

5. Quo-

5. Quoad circumstantiam temporis, resurrectio contigit tertio die; non verò post tertium diem: Nam cum Christi corpus feriâ sextâ circa vesperam, sepulchro imponeretur, in eoque XXXIX. circiter horas quievisset, feriâ primâ, summo mane rursus egressum est. Ut proinde in sepulchro tantùm duas noctes atque unum diem integrum exegerit.

6. Non obstat Matth. XII. 40. in quo Salvator, juxta typum Jonæ, prædicitur in ventre terræ *tres dies & tres noctes* futurus esse: Sciendum enim, quandoquidem Hebræi nullum vocabulum, quo Græcorum more *νυχθήμερον* exprimatur, habent, eos substituere duas xoces עֶרֶב בֹּקֶר *vesperam & mane*, sivè quod eodem recidit, *noctem atque diem*; prætereàque regulam hanc fovere: *Dies legalis non computatur de tempore ad tempus* i. e. non. requiritur, ut *νυχθήμερον* sit integrum; sed sufficit, si aliquid duntaxat, ex die illo legali, præterierit, ut vel unica hora pro toto die stet, & *νυχθήμερον*, sive Hebræorum idiomate, *nox atque dies* dicatur.

7. Circumstantiam loci nobis inculcat mentio facta sepulchri & quidem clausi: quod ita dicitur in statu, quia tum clausum erat, cum Christus egrederetur; non in ampliatione, quasi clausum fuerit, antequam egrederetur, apertum verò, cum egrederetur, vel ut egrederetur.

8. Amotum legimus fuisse lapidem Luc. XXIV. 2. non tamen ante resurrectionem, sive actu antecedenti & propter Christum; sed post resurrectionem, sive actu consequenti & propter mulieres.

9. Penetratio dimensionum, ut repugnat corpori, in statu naturæ; ita consistere potest cum corpore, in statu gloriæ.

10. Corpus enim glorificatum, tametsi idem sit, quod ante glorificationem fuit, in essentialibus & quoad substantiam; mutatur tamen in accidentalibus & quoad qualitates.

11. Sic

11. Sic itaque & corpus Christi in Resurrectione habuit priorem essentiam; at dotibus gloriosis instructam e. gr. invisibilitate, illocalitate & impalpabilitate: non quod planè non potuerit videri, locari & palpari; verùm quod ubi & quando vellet, potuerit non videri, non locari & non palpari.

12. Distinguimus etiam inter conditionem glorificati corporis ordinariam & extraordinariam. Ordinariè immune est ab accidentibus corpori naturali magis propriis; extraordinariè autem, propter revelationis οἰκονομίαν, ejusmodi accidentia assumere potest. Hinc de Christo legimus, quod cum Apostolis ederit & biberit, atque ab iis contrectari se permiserit, post resurrectionem Luc. XXIV. 43. Joh XX. 27. 1. Joh. I. 1. sqv.

13. Similiter, quamvis glorificatum Christi corpus deposuerit omnes infirmitates; liberè tamen retinuit & fortasse retinebit infirmitatum characteres e. gr. *cicatrices manuum, pedum & lateris*, quæ inserviunt veritati resurrectionis manifestandæ, piis solatio afficiendis, impiis terrore percutiendis. Conf. Zach. XII. 10. Apoc. I. 7.

Βεβαίωσις. Probatur ex Joh. II. 18. seq. Inde deducimus I. *Christum resurrexisse.* De resurrectione enim disertè agitur v. 22. Addantur Matth. XXIIX 6. Rom. I 4.

II. *Christum resurrexisse die tertio.* Nam & hæc circumstantia expressè determinatur. v. 19. 21. Add. Matth. XII. 40.

III. *Christum resurrexisse virtute propriâ.* Hoc indicat (1) Scopus orationis Christi, quâ Judæis respondetur, documentum potestatis postulantibus v. 18. Argumentamur ergo: Quocunque Christus potestatem suam asseruit, illud proveniebat ex virtute ejus propriâ; Atqui resurrectione. Ergo. (2) Manifesta declaratio: *Suscitabo templum corporis mei* v. 19. 21. Ubi non ad Patrem rejicitur suscitatio; sed Christo

Christo ipsi vendicatur; Actus autem præsupponit potentiam, ut adeò rectè concludamus: Qui semetipsum suscitavit, ille habuit virtutem semetipsum suscitandi & consequenter virtute propriâ resurgendi. Atqui Christus. Ergo. Conf. Joh. X. 18. (3) Corporis Christi descriptio. Vocatur enim templum v. 19. 21. Cujus autem templum sit, patet ex collatione Col. II. 9. nimirum *Deitatis inhabitantis*. Ex quo sic procedimus: In quo habitavit Deitas, ille resurrexit virtute propriâ. Atqui in Christo. Ergo. Conf. Rom. I. 4. ubi Christus per resurrectionem se Filium Dei demonstrasse legitur. Demonstratio autem non succederet, si virtute alienâ resurrexisset. Addatur 1. Petr. III. 18. ubi Christus legitur vivificatus esse *Spiritu* proprio, qui carni, i. e. humanæ naturæ opponitur, Rom. I. 3. 4. item Joh. X. 18. Addimus rationem, quod cum Christus resuscitaturus sit alios. Ioh. V. 28. non potuerit non habuisse virtutem resuscitandi semetipsum.

IV. *Christum, etiam juxta humanam naturam, semetipsum resuscitasse.* Urgemus (1) statum controversiæ inter Christum & Judæos: non enim quærebatur, quid Deus facere possit; sed quid homo, pro quo Christum Judæi agnoscebant. Consentaneum igitur erat, ut Christus de naturâ humanâ responderet, quod ut homo non tantùm possit ementes & vendentes ex templo ejicere v. 15. sq. sed & plura præstare, videlicet semetipsum è morte suscitare. (2) Pronomen demonstrativum *Ego* v. 19. quo tota persona denotatur: neque enim cum Judæis tantùm ut Deus, sed ut θεάνθρωπος loquebatur. (3) Descriptionem corporis Christi, quod ut jam docuimus, *templum* vocatur Deitatis, & quidem tale, in quo Deitas habitet *corporaliter*. Col. II. 9. Hinc fluit communicatio Idiomatum, inter quæ & virtus vivificatrix numeratur. Joh. V. 26.

V. *Christum è clauso sepulchro resurrexisse.* Istud enim credebant Discipuli, utpote quod in Scripturâ & verbis Christi fundatur v. 22. Spectant huc (1) narratio de Resurrectione Matth. XXIIX. 2. sq. quæ lapidem demum post terræ motum, in quo Resurrectio contigit, amotum esse indicat. Vid. Gerh. Harmon. cap. 207. p. 2089 (2) descriptio corporum glorificatorum, quæ vocanrur *spiritualia*, 1. Cor. XV. 44. & *similia angelis* Matth. XXII. 30. (3) actus similis, cum Christus evanuisse perhibetur Luc. XXIV. 31. ex quo propter paritatem causæ ad minimum fluit, quod è clauso sepulchro resurgere potuerit.

Ἀντίθεσις est 1. Socinianorum & Anabaptistarum, qui Christum propriâ virtute resurrexisse negant.

2. Reformatorum, qui credere renuunt (1) humanam naturam se ipsam excitasse (2) Christum è clauso sepulchro egressum esse. Id quod tamen nobiscum agnoscit ipse Calvinus in Harm. Evang. & Marloratus in c. 28. Matthæi. Cujus verba prorsus orthodoxa apponemus: *Qui suâ virtute potuit corpus suum excitare in sepulchro, potuit eâdem virtute sepulchrum egredi, occluso ostio, grandi illo saxo; ut miraculo sit excitatus & miraculo egressus, nullâ operâ Angeli.*

Thesis VI. *JEsus Christus ita ascendit ad cœlos, ut tota persona, secundum humanam naturam, ex monte Oliveti sese in sedem beatorum, virtute propriâ, initio sensibiliter, hinc absq; locali successione & motu, nube tanquam vehiculo sublata, elevarit, nuncq; adeo, cessante in terris visibili præsentiâ, conspectum corporis glorificati Beatis indulgeat, ac nihilominus omnia in omnibus impleat.*

Ἔκθεσις. 1. Ascensionis Christi proponuntur Subjectum, Terminus, Modus & Consequentia.

2. Subjectum *Quod* fuit tota Christi persona: Subjectum

Quo

QUO mediatum fuit humana natura; immediatum verò corpus, quod per mortem ceciderat, & ex ſepulchro reſurrexerat.

3. Corpus Chriſti quod cecidit & quod reſurrexit, atque hinc aſcendit, planè unum idemque eſt eſſentialiter; non verò accidentaliter. Nam poſt vivificationem, in locum qualitatum naturalium, ſucceſſerunt qualitates ſpirituales, ut adeò ſine denſitate, crasſitie, gravitate &c. extiterit.

4. Terminus duplex eſt, A QVO & AD QVEM. Illum ſtatuimus eſſe montem Oliveti; hunc autem πȢ ſive ſedem Beatorum.

5. πȢ beatorum non locale; ſed illocale eſt. Unde cum in ſacris deſcribitur ut *tabernaculum* Luc. XVI. 9. *domus* Joh. XIV. 2. *civitas* Hebr. XII. 22. *regio* Pſ. CXVI. 9. verba illa metaphoricè accipienda ſunt: Nam Scriptura felicitatem alterius vitæ deſcribit verbis hujus vitæ

6. De modo Aſcenſionis generalia novimus; ſpecialia ignoramus, neque tutum eſt nimis curioſè in ea inquirere. Rectè enim Auguſtinus de Fid. & Symb. *Ubi & quomodo corpus Dominicum in cælum aſcenderit, curioſisſimum & ſupervacaneum eſt quærere. Tantummodò in cælo eſſe credendum eſt. Non enim eſt fragilitatis noſtræ cælorum ſecreta diſcutere; ſed eſt noſtræ fidei, de Dominici corporis dignitate, ſublimia & honeſta ſapere.*

7. Illud ex Spiritus Sancti revelatione novimus (1) quod Chriſtus ſe elevarit, (2) ſenſibiliter, (3) nube tanquam vehiculo ſublatus (4) virtute propriâ.

8. Elevationis mentione factâ, indicamus, Aſcenſionem non conſtitiſſe in diſparitione, ut Luc. XXIV. 31. ſed in locali motione: quam Chriſtus non ex necesſitate naturæ; ſed ex liberâ diſpenſatione, voluntariè ad tempus aſſumebat.

9. Senſibilis & localis erat Aſcenſio, quoad uſque viſus

ſpectantium terminabatur; in cæteris autem inſenſibilis & corpori glorificato conveniens.

10. Uti nubes per naturam inepta eſt ad vehendum corpus pondere gravatum; ita jubente naturæ Domino, apta fieri poteſt, ad vehendum corpus glorificatum & à naturali pondere liberatum.

11. Neque propterea adhibita eſt nubes, ut vehendum juvaret, impelleret, aut caſurum ſuſtineret; ſed ut actum Aſcenſionis teſtatiorem redderet, & reditûs qualitatem adumbraret. Magis certè nubes à Chriſto; quàm Chriſtus à nube ſuſtentabatur.

12. Hæc quidem omnia Dominus peregit virtute propriâ, videlicet verè infinitâ, quæ divinæ naturæ per ſe; humanæ autem per unionem perſonalem competebat.

13. Conſequentia Aſcenſionis ſunt (1) quod conſpectum corporis ſui Beatis indulgeat, (2) quod præſentia ejusdem viſibilis in terris ceſſet, (3) quod nihilominus omnia in omnibus impleat.

14. Obſervandum ergo, quod â corpore meri hominis, ad Corpus Θεανϑρώπȣ, non liceat argumentari.

15. Corpus Θεανϑρώπȣ eſſe in cœlo, concedimus; includi & cicumſcribi â cœlo, negamus, utpote quod ſimul omnia implet.

16. Proinde verba Act. III. 21. ὃν δεῖ ȣ̓ρανὸν δέξαϑαι, ad Chriſtum non referenda ſunt paſſivè; ſed activè, tali ſenſu: neceſsè erat, ut Chriſtus caperet i. e. occuparet cœlum; nequaquam verò, ut caperetur â cœlo, ſive ut cœlum includeret Chriſtum.

17. Nec impedit, quò minus Chriſti corpus ſit ubique, quà eſſentiam; etſi aliquando in certo loco conſpiciatur, quà apparitionis οἰκονομίαν, ut Act. XXIII. 11. Atqui & DEus aliquando videtur in terrâ, vel in cœlo; quamvis ſemper

repleti,

repletivè ſit & in terrâ & in cœlo Geneſ. XIIX. 22. XXIIX 13.

18. Sic cum Chriſtus ſe revelaret Stephano Act. VII. 55. 56. viſio illa non fuit corporalis; ſed ſpiritualis: nam quod Stephanus in domo judicii non viderit Chriſtum localiter cœlo incluſum, ex locorum inter videntem & objectum viſûs diſtantiâ, patet: ut de tecto nihil dicamus, quo viſus, ne in cœlum uſque penetraret, impediebatur.

βεβαίωσις. Probamus ex Actor. I. 9. & Epheſ. IV. 10. I. *Quod Chriſtus in cœlum aſcenderit, ſecundum humanam naturam.* Nam (1) ſecundum eam naturam aſcendit, ſecundum quam loquebatur diſcipulis: Atqui hoc fecit ſecundum humanam naturam. Act. I. Ergo & illud (2) Secundum eam naturam aſcendit, ſecundum quam impletio omnium, fuit finis aſcenſionis. At hoc ei ſecundùm humanam naturam tribuitur. Epheſ. IV. Ergò & illud: Nam ſecundum divinam naturam Chriſtus indeſinenter implevit omnia, neque opus habuit, ut propterea demum aſcenderet.

II. *Quod cœlum, in quod Chriſtus aſcendit, non fuerit locale,* Quia Chriſtus legitur aſcendiſſe (ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν) (1) *ſupra cœlos* (2) & quidem *longè* ſupra cœlos (3.) non quoſdam, ſed *omnes* cœlos. Conf. Hebr. VII. 26 Cum igitur alibi legatur aſcendiſſe *in cœlum* Act. III 21. Hebr. IX. 24. patet, cœlum hoc ut illocale, omni cœlo locali opponi.

III. *Quod aſcenſio, poſtquam viſus ſpectantium terminabat r, deſierit eſſe localis* Quia aſcendit *ſupra omnes cœlos* Eph. IV. Si autem localiter & ſucceſſivè aſcendiſſet, ne nunc quidem cœlum äereum ſidereumque permeaſſet, propter ſummam à terrâ diſtantiam. Ut nihil de cœlo Beatorum dicamus, quod cum illocale ſit, nec Aſcenſio in illud localis ſtatui poteſt.

IV. *Quod Chriſtus hodienum adhuc omnia in omnibus impleat.*

Quia hic fuit finis Ascensionis Ephes. IV. Observandum, de ejusmodi impletione agi (1) quæ se extenderit ad omnia Christo subjecta, in cœlo & in terrâ. Ephes. I. 21. 22. (2) quæ adhuc duret Eph. I. 23. (3) quæ simultanea sit, non successiva. Qui enim successivè est in pluribus locis, non dicitur ea implere, sed pervadere.

Ἀντίθεσις est eorum (1) *Qui negant, Christum ascendisse secundum humanam naturam.* Sic Reformati, qui humanæ naturæ nullam actionem, sed nudam evectionem passivam concedunt.

2. *Qui Christum alio corpore ascendisse fingunt, quàm quod in terrâ habuerit.* Ita Sociniani.

3. *Qui ascensionem usq; ad summum cælum fuisse localem & successivam tradunt.* Sic pariter Reformati.

4. *Qui cælum, in quod Christus ascenderit, habent pro locali.* Sic (1) Veteres quidam hæretici, qui corpus Christi inter sidera hærere opinabantur. (2) Pontificii, qui de cœlo empyreo plurima nugantur. (3) Reformati, qui in hisce cum Pontificiis ferè conspirant.

5. Qui Christum hodie secundum humanam naturam negant ubique præsentem esse. Sic Pontificii, Reformati & superiorum annorum Syncretistæ.

Thesis VII. ***JEsus Christus ad dexteram DEI Patris sedere dicitur, quatenus post ascensionem in cælos, secundum humanam naturam, exercitio majestatis divinæ, dominioque in omnes creaturas, plenariè ac in æternum gaudet.***

Ἔκθεσις 1. Cum Deo Dextra non nisi (ἀνθρωπικῶς) modo humano adscribatur, consequens est, ut illa loquendi ratio (θεοπρεπῶς) modo divinæ naturæ conveniente, exponatur: quod fit, si per Dextram intelligamus Majestatem divinam, per quam Deus omnia operatur ac gubernat. Conf. Matth. XXVI. 64. Luc. XXII. 69.

2. Sic

2. Sic Dextra aut denominatur à Deo absolutè, seu essentialiter; aut relatè, seu personaliter spectato. Priori sensu omnibus personis S. S. Trinitatis communis est. Exod. XV. 6 posteriori autem ad solum Patrem restringitur, uti fit in præsenti controversia.

3. Cautè etiam distingvendæ sunt phrases sequentes (1) habere dextram: quod & Filio competit, ad cujus dextram dicitur stare Ecclesia Ps. XLV. 10. Add. Matth. XXV. 33. seq. (2) habere Deum â dextrâ: quod nihil aliud notat, quàm defendi, & de Filio in statu exinanitionis usurpatur. Ps. XVI. 8. (3) stare ad Dextram Dei; quod & hominibus aliis attribuitur 1. Reg. XXII. 19. (4) Sedere ad dextram Dei Patris, de quâ nunc disquiritur.

4. Sessionis igitur hujusce Subjectum Quod est tota persona, juxta Aug. Confessionis verba: *Christus verè Deus & verè homo ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Dei.* Subjectum Quo est natura humana.

5. Alia autem quæstio est: An Sessio aliqua ad Dextram Dei, possit adscribi Christo, secundum divinitatem? Et alia, an Sessio ista ad Dextram Dei, quæ à Scripturâ statui exaltationis accensetur, possit adscribi Christo, secundum divinitatem. Priorem concedimus, intelligendo Sessionem, quæ Christo competit ab æterno: Posteriorem negamus, intelligendo Sessionem, quæ Christo concessa est in tempore.

6. Quod per Sessionem ad Dextram, divinitas Christi manifestata fuerit, largimur; quod verò in illa Sessione divinitas formaliter constiterit, inficiamur.

7. Sedere ad dextram Dei, non solùm notat, habere divinam Majestatem; verùm quoque exercere. Nam & inter homines per Sessionem, exercitium Majestatis denotatur. 1. Reg. I. 13. Jer. XIII. 13.

8. Cæterùm Sessio ad Dextram Dei, respectu humanæ naturæ, in Christo non est causa Majestatis communicatæ; utpo-

utpote quam humana natura in primo incarnationis momento, per unionem personalem accepit; sed duntaxat exercitii majestatis universaliter, plenariè & uniformiter usurpati.

9. Tametsi enim Christus, etiam in statu exinanitionis, interdum majestate usus fuerit; exercitium tamen istud solummodò fuit particulare, infrequens & interruptum.

10. Si de subjecto quæras, Sessio hæc statuitur esse corporis; si autem de modo quæras, negatur esse corporalis; quia potius actus spiritualis & mysticus dici meretur.

11. Sedere equidem aliquando connotat quietem: non tamen impræsentiarum ab officio; sed tantùm à passionibus.

12. Hinc Christus sedens dominatur in triplici regno, potentiæ, gratiæ & gloriæ. Hoc regnum tradet aliquando Patri 1. Cor. XV. 24. sed per præsentationem; non per omnimodam abdicationem.

13. Nunquam abolebitur ipsum Christi regimen; quamvis mutabitur modus regiminis: quando videlicet non ampliùs præconium verbi, atque usus Sacramentorum locum inveniet.

14. Ut paucis nos expediamus, cessante regno Ecclesiæ militantis; manebit regnum Ecclesiæ triumphantis.

Βεβαίωσις. Probamus ex Eph. I. 20. 21. 22. I. *Quod dextra Dei non significet certum aliquem locum.* Nam Christus ad dextram Dei collocatus, dicitur evectus (ὑπεράνω παντὸς ὀνόματος) *longè supra omne nomen* i. e. supra omnem rem nominatam & consequenter etiam supra omnem locum: Nam & locus est res quædam. Non obstat, quod Christus collocatus esse fertur (ἐν τοῖς ἐπουρανίοις) *in supracœlestibus*: Hisce enim verbis non loci determinatio; sed gloriosi status significatio exprimitur ut 2. Tim. IV. 18. Christus est quidem in cœlis; sed non circumscribitur cœlis: quippe qui excelsior cœlis factus est Hebr. VII. 26.

II. Quod

II. *Quod Sesſio ad Dextram Dei non ſit prærogativa aliqua finita; ſed infinita verèq́ divina.* Nam propter hanc Seſſionem (1) Chriſto tribuitur prærogativa *longè ſupra omnes angelos.* Talis verò nulla alia eſſe poteſt, niſi infinita. In finitis enim Angeli ſummam prærogativam habent. (2) *omnia ſubjiciuntur pedibus ejus*; tanquam ſupremi & infinitâ poteſtate inſtructi Domini. (3) *omnia in omnibus implere* aſſeritur; quod omnipræſentiæ, ſivè infinitæ adeſſentiæ eſt.

RESPOND. PETRO ELERT, Gedan.

III. *Quod Sesſio ad Dextram Dei ſignificet Majeſtaticum in omnes creaturas dominium.* Nam per hanc Seſſionem Chriſtus dominatur (1) in regno potentiæ. *Omnia ſubjecta habet pedibus ſuis.* (2) in regno gratiæ. *Conſtitutus eſt caput Eccleſiæ* (3) in regno gloriæ. *Collocatus eſt longè ſupra omnem principatum ac poteſtatem* &c. i. e. ſupra omnes Angelos, principatum ac poteſtatem exercentes Hebr. I. 6. *Imo collocatus eſt ſupra omne nomen, quod nominabitur etiam in futuro ſeculo.*

IV. *Quod Sesſio ad Dextram Dei Patris, collata ſit Chriſto ſecundum humanam naturam.* Nam Sesſio iſta ſecundum eam naturam Chriſto competit, ſecundum quam (1) *Pater gloriæ in illo efficaciam fortisſimi roboris ſui exercuit.* (2) *eum à mortuis reſuſcitavit.* (3) poſtquam anteà ad tempus Angelis caruerat, Hebr. II. 7. *jam ſupra omnes Angelos collocavit.* (4) *omnia* in tempore *pedibus ejus ſubjecit.* At hæc Chriſto non niſi ſecundum humanam naturam tribuuntur. Ergo & illa.

V. *Quod Chriſtus ad Dextram Patris demum poſt aſcenſionem in cælum, ſedere cœperit.* Nam Apoſtolus expreſsè *reſuſcitationem à mortuis* præmittit, atque hinc demum ſubjicit: *Conſtituit ad dextram ſuam*, videlicet poſtquam reſuſcitatus ad cœlum aſcendiſſet. Hunc enim ordinem pleniùs deſcriptum monſtrat Spiritus S. Marc. XVI. 19.

Ἀντίθεσις eſt eorum, 1. Qui Dextram Dei de certo aliquo loco exponunt, ut Reformati & Pontificii plerique, præſertim antiquiores.

 2. Qui

2. Qui per Sessionem ad Dextram Dei, non nisi finitam prærogativam intelligunt, nempe (1) proximum à Deo honorem, ut Scholastici & Reformati quidam. (2) gratiosam protectionem & defensionem adversus hostes, ut Sociniani.

3. Qui Sessionem ad Dextram Patris, Christo secundum utramque naturam competere opinantur, ut ex Reformatis Gomarus, Wendelinus &c.

4. Qui Sessionem ad Dextram Patris, jam in incarnatione cœpisse fingunt, cum Weigelio.

III. VINDICATIO.

Accusamur.

I. Quod in Articulo de Christo hodiè aliam doctrinam foveamus, quàm tempore exhibitæ Confessionis; alioqui Pontificios hunc Articulum non probaturos fuisse. Ita Bellarm: in Judic. de Lib: Concord. Mend. 3. Item Lib. 3. de Incarnat. c. 8. Add. Forerus, Fabricius, Hoffmeisterus &c. Resp. per inversionem: Pontificios potiùs aliam doctrinam intereà, â Nestorio olim propugnatam, quam Majores eorum tempore exhibitæ Confessionis, detestabantur, aut ad minimum ignorabant, ex orco evocasse: Id quod prolixè & evidenter ostendit Jacobus Martini in Aug. Conf. Disput. 6. p. t. & breviùs Menzer: Exeges. A. C. p. 95.

II. Quod Liber Concordiæ, omnipræsentiam carnis Christi docens, evertat veritatem nativitatis, passionis, crucifixionis & sepulturæ Christi, in A. C. assertam. Nam qui ubique jam fuit, nullibi tanquam in novo loco existere potuit. Ita Episcopus Colonitsch in Antiaugust: Conf: Resp. Confundi idiomatum possessionem & exercitium; neque enim sequitur, qui possedit idioma divinæ præsentiæ, ille in statu exinanitionis semper exercuit. Vid. D. Alberi. in der gründlichen Wiederlegung ad Qu. 4. p. 113.

III. Quod tempore A. C. crediderint, Christi animam

ad

ad Patriarchas in infernum descendisse; cum hodiè in F C. descensus referatur ad totam personam. Ita idem Colonitsch. Resp. non attendendum esse, quid Papistæ tum crediderint; sed quid nostri. Certè nostri in Confessione suâ inquiunt: *Idem descendit ad inferos*; nempe qui anteà describebatur, *Unus Christus verè Deus & verè homo.* Vid. D. Alberti. ibid. p. 118,

IV. Quod juxta F. C. Christus, ut Deus & homo, obedientiam usque ad mortem præstiterit Patri. Id si admittamus, actum esse de Deitate Christi, quam tamen A. C. probet. Ita denuò Colonitsch. Resp. in actibus officii, quamlibet naturam agere quod suum est, cum communicatione alterius. Sic obedientiam usque ad mortem præstitit humana natura, quoad ipsum actum; divina autem quoad actus istius pretium ac momentum, ut sic divinitati nihil decesserit. Vid. D. Alberti ibid. pag. 121.

V. Quod Antithesis in Latino exemplari desideretur, quæ tamen in exemplari Germanico Chytræi his verbis habeatur: **Und werden verdampt alle Ketzereyen / so diesem Artickel zugegen sind.** Resp. Verba hæc minutis literis à Chytræo apponi; quod indicium est in Prototypo, non fuisse posita. Hodierna autem exemplaria in omnibus, Prototypo in archivis Moguntinis asservato, sunt conformia.

ARTICULUS IV.
DE
JUSTIFICATIONE.

I. EXPLICATIO.

Cum in Articulo hoc, prouti repetitur à Menzero in Exegesi, pro verbis illis: *Propter Christum per fidem*: legatur: *Propter fidem*

per Christum; rectè monet Carpzov Isagoge in Lib. Symb. p. m. 207. vitio amanuensis, vel typographi, trajectionem factam esse: quia alioqui consultò à phrasi illa: *justificari propter fidem*: abstinemus, ne fidei, ut operi, in justificatione virtutem aliquam adscribere videamur.

Melanchton verò deditâ operâ Articulum hunc prorsus immutavit, in locum genuinorum verborum ista substituens: *Ut autem consequamur hæc beneficia Christi, scilicet remissionem peccatorum, justificationem & vitam æternam, dedit Christus evangelium, in quo hæc beneficia nobis proponuntur, sicut scriptum est, Lucæ ultimo: prædicari pœnitentiam in nomine ejus, & remissionem peccatorum, inter omnes gentes. Cum enim omnes homines naturali modo propagati habeant peccatum, nec possint verè legi Dei satisfacere; Evangelium arguit peccata & ostendit nobis mediatorem Christum, & sic docet nos de remissione peccatorum. Cum Evangelium arguit peccata nostra, corda perterrefacta statuere debent, quod gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum, & justificatio per fidem, qua credere & confidere debemus, hæc nobis donari propter Christum, qui pro nobis factus est hostia & placavit Patrem. Quanquam igitur Evangelium requirit pœnitentiam; tamen ut remissio peccatorum certa sit, docet eam gratis donari: hoc est non pendere à conditione dignitatis nostræ, nec dari propter ulla præcedentia opera, aut dignitatem sequentium. Fieret enim incerta remissio, si ita sentiendum esset; tum demum nobis contingere remissionem peccatorum, postquam eam præcedentibus operibus meriti essemus, aut satis digna esset pœnitentia; Conscientia enim in veris pavoribus, nullum invenit opus, quod possit opponere iræ Dei, & Christus nobis donatus & propositus est, ut sit propitiator. Hic honos Christi non debet transferri in nostra opera. Ideo Paulus dicit: Gratis salvati estis: Item ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio: hoc est ita erit certa remissio, cum sciemus, eam non pendere ex conditione nostræ digni-*

dignitatis, sed donari propter Christum. Hæc est firma & necessaria consolatio piis & perterrefactis mentibus. Atque ita docent & S. Patres & extat apud Ambrosium memorabilis & insignis sententia his verbis: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Et fidei vocabulum, non solùm cognitionem historiæ de Christo significat; sed etiam, credere & assentiri huic promissioni, quæ est evangelii propria, in quâ propter Christum nobis promittuntur remissio peccatorum, justificatio & vita æterna. Nam & hæc promissio ad historiam de Christo pertinet. Sicut & in Symbolo additus est historiæ hic articulus: Credo remissionem peccatorum. Et ad hunc articulum, reliqui de historiâ Christi referri debent. Nam id beneficium est finis historiæ: ideo Christus passus & resuscitatus est, ut propter ipsum nobis donarentur remissio peccatorum & vita æterna. Hucusque Confessio variata, in quâ displicet (1) quod Melanchton propriâ autoritate scriptum publicum mutaverit. (2) quod articulus novus prolixior est, quàm Confessionis tam succinctæ natura patitur. (3) quod in eo Evangelium dicitur *arguere peccata*; id quod tamen ad Legem pertinet. (4) quod nullâ urgente necessitate interpolatio suscepta est; cum breviter & nervosè omnia in Confessione invariatâ comprehendantur.

In hâc autem p. 13. 14. (10.) Justificatio describitur:

- I. Negativè, ita ut simul rejiciatur Antithesis: *Docent, quod homines non possint justificari coram Deo, propriis viribus, meritis, aut operibus.*
- II. Positivè, ut explicetur Thesis,
  - 1. à causa impellente,
    - 1. internâ, docendo, quod homines *gratis justificentur.*
    - 2. externâ simulque meritoriâ, docendo, quod justificentur *propter Christum.*
  - 2. à causâ organicâ apprehensivâ, docendo, quod justificentur *per fidem*: Exprimitur autem fidei

a 1. Actus. *Cum credunt se in gratiam recipi & peccata remitti.*
2. Objectum. *Propter Christum, qui suâ morte pro nostris peccatis satisfecit.*

3. â causâ formali, de quâ ita: *Hanc fidem imputat Deus pro justitiâ coram ipso.*

APOLOGIA, in Articulo II. *de Justificatione*, atque III. *de Dilectione & Impletione Legis*, prolixè respondet iis, quæ ab Adversariis contra Articulum IV. V. VI. & XX. Augustanæ Confessionis fuerant allata. Hæc cum methodicè repetere constituerimus, omnia ad duo revocabuntur capita. Nam in Apologiâ

- I. DE JUSTIFICATIONE ex professo agitur & quidem
  - 1. Θετικῶς per explicationem
    - 1. Nominis, quod justificare, forensi consvetudine, significet reum absolvere & pronuntiare justum p. 178. 196. (109. 125.)
    - 2. Rei ipsius, quæ expenditur
      - 1. Causaliter, quod videlicet Justificatio
        - 1. Formaliter consistat in imputatione alienæ justitiæ p. 196. (125.)
        - 2. Meritoriè dependeat à Satisfactione Christi. p. 193. 194. (121. 122.)
        - 3. Organicè
          - 1. nobis offeratur
            - 1. in verbo Evangelii p. 111. 187. (67. 116.)
            - 2. in Sacramentis p. 187. (116.)
          - 2. à nobis accipiatur Fide. Ubi pleniùs docetur
            - 1. quid sit fides justificans. p. 113. seq. (68. seqq.)
            - 2. unde eam consequamur p. 118. (71.)

a b c d 3. quo

a b c d

3. quomodò distingvatur à justitiâ legis p. 124. (69.)
4. quod justificet p. 118. sq. (71. sq.) non tamen ut opus p. 116. (70.)
5. quod rectè SOLA dicatur justificare à p. 122. usque ad 136. (73. usque ad p. 81.)
6. quod non stet cum peccato mortali. p. 136. (81.) (144.) 86.
7. quod nequeat esse sine bonis operibus p. 143. (86.) Hinc Bona Opera
   1 urgentur à nostris p. 142. (85.)
   2. non tamen concurrunt ad Justificationem p. 145. sq. (87. 88.) & præprimis 148. (89.)
   3. facienda sunt ob alias causas p. 159. 165. (95. 100.)
   4. non proficiscuntur nisi à justificatis p. 138. sq. (83. 84.)
   5. certâ ratione meritoria dicuntur p. 159. 188. (96. 117) Nimirum quatenus τὸ mereri idem est ac τυγχάνειν *Obtinere*, vel *Consequi*: Sic enim Patres, & cum Patribus Apologia vocabulum hocce accipiunt.
   6. habent annexam promissionem remissionis; sed non ut hujusdem causæ p. 187. (116.)
   7. Legi haudquaquam satisfaciunt p. 153. (91. sq.)
   8. placent interim, etsi imperfecta, propter Christum. p. 194. (122.)

2. Repræsentativè, quando utilitas & necessitas orthodoxæ doctrinæ de Justificatione, ob oculos ponitur p. 137. 149. 195. 219. (82. 89. 123. 143.)

II. Ἀντιθετικῶς, ubi
   1. Specialiter considerantur Adversariorum
      1. Errores,

a b c 1. quod

a b c

1. quod justificemur legaliter per opera p. 99. seqq. (61. seqv.) item p. 145. (86.) Refutatur p. 99. seq. 161. seq. (61. seq. 98. seq.
2. quod Christus *tantum meruerit primam gratiam, nos verò posteà Deo placeamus, nostrâ legis impletione & vitam æternam mereamur.* Refutatur p. 101. 150. seq. (62, 90.)
3. quod penes homines duplex inveniatur *meritum, congrui & condigni.* Refutatur p. 104. 199. 200. 208. (63. 127. 128. 133.)
4. quod homo propriis viribus possit legem Dei facere. Refutatur p. 99. 105. seq. (61. 64. seq.)
5. quod opera supererogationis præstari queant. Refutatur p. 211. 212. (135 136.)
6. quod fides duntaxat sit initium justificationis, sive præparatio ad eam. Refutatur p. 121. (72.)
7. quod Sacramenta conferant Spiritum Sanctum ex opere operato. Refutatur p. 119, (71.)

2. Objectiones
   1. contra Thesin nostram;
      1. De Justificatione ipsâ
         1. ex Matth. XIX. 7. Rom. III. 31. Jerem. XXXI. 33. &c. Respondetur p. 138. sq. (83. sequ.)
         2. ex I. Cor. XIII. 2. Resp. p. 165. (100. sq.)
         3. ex I. Cor. XIII. 13. Resp. p. 168, sq. (102 sq.)
         4. ex Col. III. 14. Resp. p. 170. (104.)
         5. ex I. Petr. IV. 8. Resp. p. 173. (105. sq.)
         6. ex Jacob. II. 24. Resp. p. 175. (107. seq.)
         7. ex Luc. VI. 38. Es. LIIX. 7. Dan. IV. 24. Matth. V. 3. 7. Resp. p. 180. (110. seq.)

a b c d e

8. ex

a b c d e

8. ex Luc. XI. 41. Resp. p. 189. (117. seq.)
9. quod sic incerta sit futura spes nostra. Resp. p. 208. (135.)
10. quod per nos bonorum Operum necessitas destruatur. Resp. p. 203. (133 sequ.)
11. quod vita æterna vocetur *merces*. Resp. p, 210. (135. sq.)
12. quod bona Opera legantur *mereri* vitam æternam. Resp. p. 214. (138.)
13. ex receptâ vulgò doctrinâ, quod B. O *placeant propter gratiam*, quodq; *valeant virtute passionis Christi*. Resp. p. 215. (139. seqq.)

2. De Fide justificante,
1. quod impii, imo & Diabolus credant, nec tamen justificentur. Resp. p. 195. (124.)
2. quod justitia sit in voluntate, adeoque nequeat tribui fidei, quæ est in intellectu. Resp. p. 196. (124. sq.)
3. quod si fides est, quæ vult illa, quæ in promissione offeruntur, sic Fides & Spes confundantur. Resp. p. 197. (126.)

2. Contra Theseos probationem,
1. de Justificatione ex Luc. XVII. 9. quæ afferuntur & diluuntur p. 206. (131)
2. de Fide, ex Act. XV. 9. seq. quæ afferuntur & diluuntur p. 135. (81.)

2. Generaliter refutantur, quæ in his, similibusque occurrunt. Ostenditur enim
1. quod Adversarii in hoc articulo parum, aut nihil intelligant. p. 98. 161. (60. 98.)

a b

a b

2. quod conquirant dicta de lege & operibus; negligant autem dicta de Evangelio p. 157 (94.)

3. quod Conscientias relinquant ambiguas p. 162. 191. 195 200. (98. 119. 124. 128.)

4. quod in Christum, ejusdemque meritum injurii sint. p. 161. 165. 195. 199. (98. 100. 123. 127.)

5. quod toti Ecclesiæ veteri contradicant. p. 200. (128. seq.)

6. quod causæ diffidentes, præsidium à crudelitate petant p. 172. 220. (105. 143.)

II. Alia velut in transcursu immiscentur,

1. de origine cultuum electitiorum p. 100. (61.)

2. quousq; justitia rationis magni facienda. p. 101. (64.)

3 de Evangelio peccata arguente p. 115. (71.) Ubi Evangelium in sensu latiori, pro totâ doctrinâ Christi sumitur: In sensu enim strictiori non est nisi promissio gratiæ, justificationis & æternæ salutis, quod ipsa Apologia docet p. 111. (67.) & imprimis p. 187. (116.)

4. errasse, qui opera Sanctorum imitabantur, fidem autem non tenebant, p. 162. (98. seq.)

5. quæ Papa & Clerus ejus sentit, non propterea Ecclesiæ sententiam esse. p. 218. (141.)

6. neminem multitudine Adversariorum turbari debere. p. 219. (142.)

7. Ecclesiam penes hos esse, qui Evangelium rectè docent. p. 220. (143.)

II. DE-

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Justificare hoc loco in forensi sensu, significat reum absolvere & justum pronuntiare.*

Ἔκθεσις. 1. Non videndum, quid vocabulum Justificationis, quomodocunque sumtum, significare posit; sed quid impræsentiarum significare debeat.

2. Concedimus, vocabulo illo in sacris varia indicari, v. gr. (1) justitiæ divinæ agnitionem & celebrationem Lucæ VII. 29. (2) inanem famæ de justitiâ captationem. Lucæ X, 29. (3) ab actu peccandi liberationem. Rom VI. 9. (4) justitiæ aliunde ortæ, per externa signa, manifestationem, Jac. II. 21. At nunc quæritur, quid vocabulo illo indicetur, quando Scriptura de reconciliatione hominis cum DEO agit.

3. Tunc igitur non ad etymon vocis respiciendum est, quasi Justificare sit justum facere, h. e. inhærente qualitate justitiæ imbuere; sed ad usum Spiritus Sancti, ita ut Justificare sit, per judicialem sententiam justum declarare.

4. Nempe Justificatio fit in judicio Dei, coram quo Actor est Lex. Rom. III. 20. Joh. V. 45. Reus est homo peccator. Rom. III. 4. 19. Testis est conscientia. Rom. II. 15. Job. XXXVI. 9. Materia litis est Debitum nostrum Matth. XIIX, 24. & Chirographum, quod contra nos est, scriprum peccatis nostris Col. II. 14. Judex est Deus Rom. II. 2. 3. 4. Advocatus, idemque Fidejussor est Christus, qui Absolutionem, adeoque ipsam Justificationem merito suo nobis consequitur 1. Joh. II. 1..

Βεβαίωσις. Probatur, ex inductione omnium Scripturæ locorum, in quibus de Justificatione nostrâ coram Deo agitur v. gr. Rom. IIX. 33. Ps. CXLIII. 2. 3. &c. imprimis ex illis dictis, in quibus Justificatio condemnationi opponitur

v. gr. Rom. V. 16. IIX. 33. 34. &c. Si igitur condemnare est forense vocabulum, utique etiam tale est justificare. Nam opposita contraria sub eodem genere continentur.

2. ex inductione phrasium æquipollentium. Justificari enim est *non venire in judicium.* Joh. V. 24. *non judicari.* Ibid. III. 18. *à peccatis absolvi* Luc. XIIX. 14. &c.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, qui de voce Justificationis, ex ejus compositione judicant, ita ut Justificare sit, per infusionem justitiæ, justum facere; sicut calefacere est calidum facere, frigefacere est frigidum facere, dealbare album facere; quibus similibus utitur Costerus in Enchiridio c. 6. Hinc Justificatio à Thomâ definitur, P. 2. quæst. 113. quod sit, *motus mentis, quo moveamur à Deo, à statu peccati in statum justitiæ.*

2. Ex Hyperpietistis Dippelii, sub nomine Democriti, Wein und Oele. p. 218. Verba ejus papizantia allegantur in Wigandianis. p. 55.

Thesis II. *Justificatio formaliter consistit in remissione peccatorum, Christo imputatorum, & in imputatione Justitiæ Christi, obedientiâ ejus nobis acquisitæ.*

Ἔκθεσις. 1. Alii ita efferunt: Per justificationem non imputantur peccata nostra; imputatur autem satisfactio aliena. Cum non imputantur peccata nostra, eo ipso remittuntur: Cum verò imputatur satisfactio Christi, eo ipso justus declaratur homo peccator. Hæc adeo, quæ diversis loquendi formulis efferuntur, non re, sed phrasi differunt.

2. Propterea verbum Dei Justificationem nunc describit à termino ad quo, nempe â justitiâ alienâ, quæ imputatur Rom. IV. 5. 6. Phil. III. 9. nunc â termino â quo, nempè â peccatis, quæ remittuntur Rom. IV. 7. Col. I. 14. Sicut unus idemq; actus vestituræ dupliciter describi potest, & quod nuditas tegatur & quod amictus induatur,

3. In

3. In peccatorum remisſione non annihilatur actus; ſed tantùm deletur reatus. Peccata enim remittuntur, non ut non ſint; ſed ut non imputentur.

4. Imputatio autem intelligitur vera & realis; non putativa & fictitia. Unde propter hanc imputationem homo coram Deo non tantùm dicitur; ſed etiam realiter fit juſtus.

5. Non tamen Imputatio alienæ juſtitiæ fit juxta debitum; ſed juxta gratiam. Rom. IV. 4. Quod juxta debitum imputatur, ejus fundamentum eſt in eo, cui imputatur, utpote qui meretur. Quod verò juxta gratiam imputatur, ejus fundamentum eſt in eo, qui imputat, utpote qui in altero nihil invenit, â quo ad imputationem obligari queat.

6. Sic Peccatori imputatur juſtitia Chriſti: non eſſentialis, quam juxta divinam naturam ab æterno, juxta humanam naturam à primo unionis momento habuit; ſed juſtitia mediatoria & ſatisfactoria. Alii ita: Non imputatur juſtitia perſonæ; ſed meriti.

7. Etſi enim juſtitia Dei eſſentialis (quippè quæ à Deo realiter non differt) in juſtificatione operetur, per modum cauſæ efficientis principalis; non tamen operatur, per modum cauſæ meritoriæ, ut per eam homo formaliter fiat juſtus.

8. Agnoſcimus, quod *Jehovah ſit Juſtitia noſtra* Jerem. XXIII. 6. XXXIII. 16. ſed negamus, quod Chriſtus ſub nudo illo reſpectu, quatenus Jehovah eſt, ſit juſtitia noſtra. Namque is officio mediatorio ſecundum utramque naturam fungitur.

9. Similiter concedimus, Chriſtum in Iuſtificatione ſe habuiſſe ut cauſam impellentem; quamvis inficiemur, eum ſe habuiſſe, tantùm ut cauſam impellentem. Nam fuit etiam (1) cauſa meritoria Eſ. LIII. 5. 6. (2) cauſa conferens Ioh. X. 28. Col. III. 13. (3) cauſa materialis, ſive objectum imputabile, quia ipſa Chriſti juſtitia per imputationem fit no-

ſtra juſtitia. De quo ita Lombardus Lib. 3. Diſt. 19. *Reconciliavit nos tota Trinitas, virtutis uſu* (ſcilicet dum peccata delet); *ſed Filius ſolus impletione obedientiæ.*

10. Satisfactoria obedientia Chriſti non reſpicit ſolum Patrem; ſed divinam juſtitiam, Patri, Filio & Spiritui S. communem: quapropter nulla diſſenſio inter Perſonas S. S. Trinitatis metuenda eſt.

11. Pretium à Chriſto non ſolutum eſt iniquitatibus, ut Sociniani cavillantur, ex Tit. II. 14. ſed pro iniquitatibus: non Satanæ, qui nos captivos tenebat, ut executor divinæ juſtitiæ; ſed Deo, qui nos Satanæ alioqui reliquiſſet. Col. I. 13.

12. Deus ex merâ gratiâ tollit reatum peccatorum; ſed ut illa gratia, non niſi per Chriſti obedientiam ſatisfactoriam nobis obtingat, Rom. III. 25. Subordinata ergo malè ſibi invicem opponuntur.

13. Alia quæſtio eſt, an juſtitiam inhærentem & habitualem per Chriſtum habeamus? & alia, an per juſtitiam inhærentem & habitualem juſtificemur? Illam evincunt dicta Scripturæ Rom. VI. 1. 2. 3. 4. IIX. 10. 1. Ioh. III. 7. Hanc impugnamus.

14. Deus nos prædeſtinavit conformes facere imagini Filii ſui 1. Cor. XV. 49. Rom. IIX. 29. ſed non in modo juſtificationis; verùm in actu glorificationis. Non ergò ſequitur: Chriſtus eſt juſtus per inhærentem juſtitiam: Ergò & nos. Niſi etiam ita vellemus concludere: Chriſtus eſt juſtus originaliter: Ergò & nos.

15. Quando autem in Vulgatâ legimus: *Juſtificavi cor meum* Pſal. LXXIII. 13. pro eo Textus Hebræus habet זִכִּיתִי *Mundavi.* Ex quo patet, Pſalten de Renovatione agere; non de Iuſtificatione.

Βεβαίωσις. Probatur, 1. ex Rom. III. 23. 24. 25. 26. in quo

quo loco verè classico Iustificatio describitur (1) à causâ efficiente principali, quod sit actio Dei. Nam homines justificantur *Dei gratiâ* v. 24. qui se habet ut *justificans.* v. 26. (2) ab objecto personali, quod ordinetur pro homine lapso. Nam qui justificandi sunt, *omnes peccaverunt & destituuntur gloriâ.* v. 23 (3) â causâ meritoriâ, quod fiat propter meritum Christi. Nam homines justificantur *per redemptionem factam in Christo JEsu.* v. 24. *in sangvine ejus.* v. 25. (4) â causâ organicâ, quod homo eam consequatur per fidem, apprehendentem Christi meritum. Nam Deus *proposuit Christum propitiationem per fidem* v. 25. *Justificat eum, qui est ex fide JEsu* v. 26. (5) ab adjuncto præcipuo, quod sit gratuita. Nam Peccatores justificantur *gratis, Dei gratiâ.* v. 24. (6) â fine, quod promoveat gloriam Dei. Nam Deus peccata remittit, *ad demonstrandam justitiam suam* v. 25. 26. (7) â formâ, quod consistat (α) in remissione peccatorum, Christo imputatorum. Nam Deus Christum *propitiationem proposuit per remissionem peccatorum, ante commissorum.* v. 25. Conf. Es. LIII. 5. 6. (β) in imputatione justitiæ Christi, obedientiâ ejus nobis acquisitæ. Nam in Christo *ostenditur* sive *offertur nobis justitia.* v. 25. Non infusa; alioqui enim justificaremur ex meritis, contra v. 24. Ergò imputata, ita ut Christi justitia fiat nostra justitia. Conf. Phil. III. 9 Hæc conjunctim proposuimus, ut simul conspectus totius Articuli de Iustificatione, juxta mentem Pauli, exhiberetur; quamvis ultima solummodò ad demonstrandam thesin nostram faciant.

2. ex 2 Cor. V. 18. 19. 20. 21. ubi audimus (1) remitti nobis peccata; quippe quæ *non reputantur* v. 19. Synonyma autem grammatica sunt, peccata remittere & non imputare, juxta Ps. XXXII. 1. 2. (2) peccata illa Christo imputari, utpote *qui pro nobis peccatum factus est* v. 21 recipiendo

piendo ſcilicet aliena delicta Eſ. LIII. 5. 6. (3) Chriſtum acquiſiviſſe juſtitiam. Non enim ſolùm juſtus eſt, ideo *quia non novit peccatum*; ſed etiam quia meruit, *ut nos efficiamur juſtitiâ* v. 21. (4) Iuſtitiam Chriſti nobis imputari. Quemadmodum enim *Chriſtus factus eſt peccatum pro nobis*; *ita nos efficimur juſtitiâ in ipſo*. v. 21. Atqui Chriſtus factus eſt peccatum pro nobis, quando ei imputata ſunt peccata noſtra: Ergò & nos efficimur juſtitiâ in ipſo, quando nobis imputatur juſtitia ejus. Conf. Rom. IV. 5. (5) in his Iuſtificationem formaliter conſiſtere. Quia in his conſiſtit reconciliatio noſtra cum Deo, v. 18. 19. Per quod verò cum Deo reconciliamur, per illud etiam juſtificamur.

Ἀντίθεσις eſt 1. Pontificiorum (1) antiquorum & craſſiorum, qui apertè ſtatuebant, hominem mereri Iuſtificationem per opera, de quibus Apologia agit p. 100 145. (61. 86.) (2) Recentiorum & ſubtiliorum, qui nos per habitum infuſum, quo adjuti Legem Dei facere poſſimus, juſtificari tradunt. Iidem diſtingvunt inter Iuſtificationem primam & ſecundam. Illam vocant, quando juſtitiâ habitualis infunditur: hanc verò quando per habitum infuſum opera juſtitiæ præſtantur, & per illa opera, habitualis juſtitia conſervatur, augetur & perficitur. Vid. Carpzov. Iſagog in Libr. Symbol. p. m. 216.

2. Socinianorum, qui Iuſtificationem in nudâ juſtihabitione & qualiscunque juſtitiæ acceptatione, ſine intuitu meriti & ſatisfactionis Chriſti, conſiſtere ſtatuunt.

3. Anabaptiſtarum & Quackerorum, qui per opera ſe juſtificari credunt. Vid. de illis Bottſacci Anabaptiſmus c. 21. error. 3. p. 146. de his autem Quackeriſmus â nobis confutatus Art. 14. Hypoth. n. 18. p. 50. & n. 21. p. 53.

4. Syncretiſtarum, qui Articulos de Iuſtificatione & Sanctificatione confundunt.

5. Ex

5. Ex Hyperpietiſtis Democriti, ſive ut verum nomen ejus apponamus, Dippelii ſcribentis (1) Iuſtificationem in veteris hominis depoſitione & novi reſuſcitatione, adeoque in renovatione conſiſtere, in der Ortho-und Heterodoxie p. 33. ſq. Verba ejus exhibentur in Wigandianis p. 55. (2) nobis in Iuſtificatione non Chriſti, ſed noſtram, eandemque inhærentem juſtitiam imputari. Wein und Oele. p. 203. Verba ipſa referuntur in Wigandianis p. 56. (3) per doctrinam noſtram de Iuſtificatione, ſtudium pietatis impediri atque impietati feneſtras aperiri, *Papiſm. Proteſt. vapulans* p. 44. Verba ejus videantur in Wigandianis p. 57. (4) Definitionem Iuſtificationis Evangelico-Lutheranam omni fundamento carere. Wegweiſer p. 200. Verba ejus ſiſtuntur in Wigandianis p. 54.

6. Oſiandriſtarum, qui hominem per eſſentialem Dei juſtitiam juſtificari aſſerebant.

Theſis III. *Ad obtinendam Juſtificationem, à parte hominis, ut inſtrumentum apprehenſivum requiritur fides ſalvifica, cujus tres partes ſunt, Notitia promisſionum evangelicarum, Aſſenſus iisdem promisſionibus præſtitus & Fiducia in Chriſtum promiſſum.*

Ἔκθεσις 1. Cauſæ mediæ Iuſtificationis â parte Dei ſunt Verbum & Sacramenta; à parte autem hominis eſt Fides.

2. Non verò loquimur de fide activâ, quæ nihil aliud eſt, quam veritas & conſtantia in dictis & factis Pſ. XXCVI. 15. Rom. III. 3. ſed de fide pasſivâ.

3. Hanc porrò duplicem faciunt, nempe Objectivam, ſive quæ creditur, & Subjectivam, ſive quâ creditur: Illa in rebus ipſis hæret, notatque totam Scripturam S. aut ſpecialiter Evangelium, vel capita religionis Rom. I. 5. Eph. IV. 5. 1. Tim. I. 19. Hæc in animo credentis reperitur, & ulteriorem conſiderationem meretur.

4. Nam Fides ſubjectiva, aut ſolius intellectus eſt, aut ſimul intellectûs & voluntatis.

5. Fides, quæ ſolius intellectus eſt, porrò multifariam diſpeſcitur: Cum enim ſignificat notitiam & aſſenſum, circa rem quamcunque, quæ legitur vel auditur, Fidèm hiſtoricam vocant Iacob. II. 19. Talis fides etiam in impiis datur, qui veritatem agnitam reluctante conſcientiâ impugnant. Cum verò ſignificat notitiam & aſſenſum, circa futurum effectum extraordinarium, ex ſingulari revelatione divinitùs promiſſum, Fidem miraculoſam appellant 1. Cor. XII. 9. XIII. 2. qualis denuò in impios cadit. Matth. VII. 22. Quandoque ſignificat notitiam & aſſenſum circa doctrinam cœleſtem, unà cum lætitiâ, quæ tamen ex alio principio, quàm fiduciâ exoritur, nimirum vel quia doctrina nova eſt, vel quia per doctrinam auditores ab oneribus quibusdam ſolvuntur, vel quia iidem ex doctrinâ licentiam peccandi captant; quæ fides non indicat verè fideles.

6. Fides verò, quæ ſimul & intellectus & voluntatis eſt, ſalvifica & juſtifica nominatur, de quâ unicè nunc ſolliciti ſumus.

7. Ea aut ſpectatur concretè, quatenus includit theſaurum, quem apprehendit, nempe meritum Chriſti. Gal. III. 23. aut abſtractè, quatenus ut inſtrumentum apprehendens, contradiſtingvitur theſauro apprehenſo. Iuxta priorem ſenſum Fides juſtificat formaliter; juxta poſteriorem organicè ſive inſtrumentaliter.

8. Obſervandum quippe, quod virtus juſtificandi non competat Fidei internè, abſolutè, in ſe & ſuâ naturâ, quatenus opus eſt; ſed externè, relativè, ſive propter objectum meritoriè juſtificans, quatenus hoc à fide apprehenditur: quemadmodum ſitula per ſe non reſtinguit ſitim; ſed quatenus aqua inde bibitur; aut quemadmodum extenſio manus

...ius non levat paupertatem mendici per se; sed quatenus eleemosyna accipitur.

9. Etsi igitur meritum Christi & Fides diversa sint; tamen in Iustificationis negotio divelli neqveunt: quippè quæ perpetuò se mutuò respiciunt. Undè strictè loquendo, nec meritum Christi solum, nec fides sola imputatur; sed meritum Christi apprehensum, sive fides meritum Christi apprehendens.

10. Hoc igitur modo Autores concilientur, qui nunc Fidem, nunc meritum Christi justificandis imputari scribunt. Eodem certè res recidit, sivè dicamus (1) justificari nos fide, scilicet quatenus Christum apprehendit, (2) nos justificari per Christum, aut merito, obedientiâ vel justitiâ Christi, scilicet quatenus fide apprehenditur (3) fidem scilicet quatenus Christum apprehendit, nobis imputari ad justitiam (4) nos justificari Dei misericordiâ, scilicet per fidem nobis imputante Christi meritum, (5) nos justificari remissis peccatis, scilicet propter Christum fide apprehensum. Modi ejusmodi loquendi inter se non sunt oppositi; sed coordinati.

11. Cum partes Fidei tres sint, sciendum, quod Fides QVÆ justificat respectu notitiæ & assensus, pro objecto habeat omne Dei verbum, imprimis articulos religionis. Conf. Matth. IX. 28. 29. At Fidei QVATENUS justificat, objectum est solum verbum Evangelii, de gratuitâ remissione peccatorum.

12. Ut singulas partes exactiùs consideremus, initium facimus à primâ, nempe à Notitiâ, quæ nobis significat apprehensionem intellectualem rei, quæ credi debet, scilicet (quoad præsentem articulum) promissionis evangelicæ. Sufficit igitur rem credendam apprehendi; quamvis ea non possit cerni, aut per causas demonstrari. Hebr. XI: 1.

13. Nam aliud est γνῶσις seu notitia, aliud ἐπιστήμη sive scien-

ſcientia. Eò etiam tendunt, qui inter notitiam certitudinis & evidentiæ diſtingvunt. Satis eſt, ſi quis noverit ὅτι, ſive quod res credenda ita ſe habeat; etiamſi explicare nequeat διότι, i. e. quare res credenda ſic ſe habeat.

14. Cæterùm locus, qui nobis opponitur, ex Eſ. VII. 9. malè redditur: *Niſi credideritis, non intelligetis*: Textus enim Hebræus ita vertendus eſt. *Niſi credideritis* (לֹא תַאֲמִינוּ) *non eritis ſtabiles, ſive fideles.* Unde corruit, quod elicitur, videlicet, Fidem eſſe viam ad notitiam

15. Altera pars Fidei eſt Aſſenſus, quâ voce indicatur judicium intellectûs, approbans rem à notitiâ apprehenſam, ſcilicet (in hoc noſtro Articulo) promiſſionem evangelicam. Si igitur quæratur, an Fides ſit aſſenſus? affirmamus: Si quæratur, an Fides tantùm ſit aſſenſus, nimirum ita, ut excludatur Fiducia? negamus. Unius enim poſitio non eſt alterius excluſio: quod notandum propter illa, quæ ab Adverſariis afferuntur, ex Apologiâ Aug. Conf. p. 114. (68.) *Fides eſt aſſentiri promisſioni.* Item p. 136 (81.) *Fides propriè dicta eſt, quæ aſſentitur promisſioni.* Nam in priori loco ſtatim additur p. 114. (69) *Ne quis ſuſpicetur tantùm notitiam eſſe, addemus amplius: Eſt velle & accipere promisſionem:* Id quod per fiduciam fit.

16. Tertia igitur pars fidei eſt Fiducia, quam Patres nonnulli Spem, juxta generalem vocis acceptionem, dixerunt: Strictè enim loquendo, Fiducia Spei diſtingvitur â Fiduciâ Fidei. Illa conſiſtit in exſpectatione boni; hæc in apprehenſione.

17. Inde fit, ut Fiducia interdum Apprehenſio dicatur; non tamen theoretica, quæ notitiâ abſolvitur; ſed practica, quæ totius voluntatis in merito Chriſti acquieſcentiam involvit, quatenus videlicet conſcientia, ſenſu iræ divinæ ob reatum territa, obedientiam Chriſti ſatisfactoriam, in Verbo

&

-amentis oblatam accipit, eamque ſibi in judicio Dei imputari deſiderat, imo jam imputatam eſſe confidit.

18. De reliquo, Fiducia jam non ſumitur pro παῤῥησίᾳ, ſive Confidentiâ, ortâ ex promisſionum Evangelicarum applicatione; quippe quæ fidei conſequens eſt, & in precibus periculisque ſe exerit, Iac. I. 6. Marc. I. 40. Eph. III. 12. verùm pro ipsâ promisſionum Evangelicarum appropriatione.

19. Quia autem talis Fiducia, tanquàm præcipua pars Fidei ſe habet, ideò nonnunquàm per Synechdochen totius, Fides ſolam Fiduciam notat, eoque in ſenſu notitiæ opponitur 1. Cor. XIII. 2. 8. Cum alioqui in acceptione vocis adæquatâ, Fidei præter Fiduciam, etiam Notitia & Aſſenſus, ceu partes, ſubordinentur.

20. In Articulo de Juſtificatione, objectum Fiduciæ, imo totius Fidei, ſtatuuntur eſſe nunc promiſſiones de remisſione peccatorum; nunc ipſa remisſio, vel reconciliatio peccatoris cum Deo, aut receptio in gratiam Dei; nunc meritum & juſtitia Chriſti, vel miſericordia Dei: quæ ſententiæ non ſunt oppoſitæ, ſed coordinatæ, aut ſubordinatæ.

21. Fides enim apprehendit miſericordiam Dei, ut cauſam impulſivam internam juſtificationis: apprehendit meritum & juſtitiam Chriſti, ut impulſivam externam, ſimulq; meritoriam: apprehendit promiſſionem Evangelicam, ut effectum & declarationem gratiæ: apprehendit remiſſionem peccatorum & receptionem in gratiam Dei, ut bona in promiſſione oblata.

22. Si homo permanſiſſet in ſtatu integritatis, propter operum perfectionem habuiſſet fiduciam legalem, innixam veritati Dei, qui legem impleturo vitam æternam promittebat. At nunc in ſtatu corruptionis, propter operum imperfectionem, concipimus fiduciam evangelicam, innixam miſericordiæ Dei, qui per & propter Chriſtum, credenti vitam æternam offert. Conf. Dan. IX. 18.

23. Fi-

23. Fides igitur, in præſenti Articulo, non poten... per obedientiam. Nam utut generaliter ſpectata, conformis ſit legi; non tamen juſtificat, quatenus conformis eſt legi; ſed quatenus apprehendit meritum Chriſti.

24. Neque illud verum eſt, quod charitas ſit forma fidei; prout volunt, qui fidem in formatam & informem diſtingvunt, atque iſtam ſic vocant, quod formetur ab operibus; hanc quòd deſtituatur operibus. Nos Fidei & Charitatis connexionem agnoſcimus; ſed mutuam conſtitutionem pernegamus.

25. Si quis quærat, unde Fides apud Iuſtificatos cognoſcatur? Reſpondemus: per Charitatem ſive per Opera, ex Iacob. II. 17. 18. non item, ubi quæritur, unde Fides ſit?

26. Fides quidem per Charitatem eſt efficax, ceu per ἐνέργειαν & proprium conſequens Gal. V. 8. nequaquam verò ceu per ἐντελέχειαν & formale conſtituens.

27. Unde licet in deſcriptione credentis, ſive fidelis, posſit mentio fieri charitatis; non tamen id locum habet in definitione ipſius Fidei. Plus enim ſolet eſſe in concreto, quàm in abſtracto.

28. Fiducia Fidei nón acquieſcit in Deo, ut valenti peccata remittere; ſed ut volenti, & quia voluntas iſta eſt efficax, ut actu propter Chriſtum remittenti.

29. Idcirco non ſufficit aliquem de merito Chriſti certum eſſe objectivè, ſcilicet quod detur; niſi etiam certus ſit ſubjectivè, ſcilicet quod ſibi imputetur.

30. Fides in ſe una eſt, Epheſ. IV. 5; ſed ratione ſubjectorum, quoad numerum & gradum, multiplex & diverſa. Nam *quilibet ſuâ fide vivit,* Habac. II. 4. Rom. I. 17. Deusq; huic majorem, illi minorem fidem conceſſit. Rom. XIV. 1.

31. Fides infirma idem objectum, nempe totum Chriſtum

ctum apprehendit, cum fide firmâ; quamvis non apprehendat in eodem gradu. Unde omnis fides dicitur ἰσότιμος *æquè pretiosa* 2. Petr. I. 1. videlicet respectu objecti; non respectu perfectionis in subjecto.

Βεβαίωσις. Probatur, 1. *Quod ad obtinendam Justificationem à parte hominis, requiratur Fides*, ex Rom. III. 22. *Justitia Dei per fidem JEsu Christi, venit in omnes & super omnes, qui credunt.* In quibus verbis, justitia Dei dicitur venire *in omnes*, ne quis excipiatur, & *super omnes*, ut origo fidei indicetur. Neque enim nostrun opus est; sed Dei. Ioh. VI. 29. Hebr. XII. 2. dona sua desuper demittentis. Iac. I. 17.

2. *Quod Fides in Justificatione non consideranda sit ut virtus Theologica, sivè opus hominis, aut ut moralis conditio, vel materia imputationis; sed tantùm ut instrumentum apprehensivum* ex Rom. IV. 5. *Non operanti; credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Ubi (1) Subjectum Iustificationis dicitur esse (ὁ μὴ ἐργαζόμενος) *non operans.* Ut proinde nihil in nobis ad justificationem concurrat, per modum cujuscunque operis, aut præcedaneæ moralis conditionis. (2) *Credens* describitur respectivè ab objecto in quod fertur, nempè ab eo, qui *justificat impium.* Ex quo colligimus, etiam Fidem ita considerandam esse, nempe quatenus apprehendit eum, qui justificat impium. Qualis enim est (πιστεύων) *Credens*; talis est (πίστις) Fides. Huc respicit Spiritus S. quando docet, nos justificari (πίστει) *Fide.* Rom. III. 28. (διὰ πίστεως) *per fidem* Phil. III. 9 2. Tim. III. 15. (ἐκ πίστεως) *ex fide* Gal. III. 7. (κατὰ πίστιν) *secundum fidem* Tit. I. 1. (ἐν πίστει) *in fide* Col. II. 7. (3) *Fides* dicitur *imputari ad justitiam*, & quidem uti in vulgatâ additur, *secundum propositum gratiæ Dei.* Quapropter ita colligimus: Quicquid gratiosæ acquisitioni Dei unicè adscribitur, id non tribuendum est fidei ceu operi; aut sub ratione conditio-

ditionis moralis, vel materiæ imputabilis. Atqui Justific- tio. Ergò:

3. *Quod Fidei tres partes sint, Notitia, Assensus & Fiducia:* Generaliter (1) ex Rom. V. 1. 2. ubi postquam dictum est, *nos justificari ex fide* v. 1. additur: Fide nos (α) *accedere in gratiam*, quod fit per notitiam Ioh. XVII. 3. (β) *stare in gratiâ*, quod fit per assensum immotum 1. Cor. XV. 1. Eph. VI. 14. (γ) *gloriari in spe gloriæ filiorum Dei*, quod fit per fiduciam 1. Joh. V. 14. Hebr. IV. 16.

(2) ex 2. Tim. I. 12. ubi Apostolus, Fidei suæ rationem redditurus, per partes it, mentionemque facit (α) notitiæ: *Scio cui credidi:* (β) Assensûs: *Et certus sum:* græcè πέπεισμαι *persvasus sum*; quod assentientium est. (γ) Fiduciæ, omnipotentiâ Dei nixæ: *Non confundar, quia potens est depositum meum* (i. e. animam) *servare in illum diem.* Conf. 2. Tim. IV. 8.

II. Specialiter 1. *de Notitiâ* (α) ex Joh. XVII. 3. ubi *notitia* legitur *esse vita æterna*, per metonymiam effecti, i. e. causa vitæ æternæ, si non in se; saltem in alio, tanquam toto suo talis, nempe in Fide, tanquam in unico organo, quo à parte hominum vita æterna apprehenditur. Marc. XVI. 16. Joh. III. 15. 16. V. 24. VI. 40. 47. XI. 25. XII. 31. 1. Petr. I. 5. (β) ex Es. LIII. 11. (vel 12.) ubi Christus *cognitione sui* dicitur *justificaturus esse multos*, videlicet non cognitione solitariè spectatâ; sed in toto suo, nempe Fide, cui influxus causæ organicæ tribuitur, (3) ex consequentiâ: Nisi notitia requireretur ad fidem salvificam; sequeretur, fidem salvificam deterioris conditionis esse, quàm fidem Diabolorum, utpote qui norunt, quod credunt. Jac. II. 19.

2. *de Fiduciâ*, (α) ex Hebr. XI. 1. ubi Fides dicitur esse (ὑπόστασις) *subsistentia rerum sperandaaum.* Ὑπόστασις autem nuncu-

nuncupatur ab ὑφίςασθαι *firmiter stare, non fugere, non cedere, non cadere.* Indicatur ergò, quod fides in promissionibus Dei de vitâ æternâ, per Christum consequendâ, immotè acquiescat; non aliter ac si res promissas jam habeat. Conf. Rom. IIX. 24. (β) ex locis parallelis: Nam in V. T. Fiducia pro Fide, & Confidentes pro Credentibus ponuntur e. gr. Ps. II. 12. *Beati omnes, qui confidunt in eo*; cum quo conferatur Marc. XVI. 16. item Es. XXVI. 3. *Servabis pacem, quia in te confisum est*; cum quo conf. Rom. V. 1. item Proverb. III. 5. *Confide Domino ex toto corde*; cum quo conf. Act. IIX. 37.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, docentium, (1) Fidem consistere in nudo assensu, adeoque per Fiduciam definiri non posse. (2) Sufficere Christiano Fidem implicitam, ut profiteatur, *se credere quod Ecclesia credit*, etsi quid Ecclesia credat, penitus ignoret. Hanc vocant fidem carbonariam, quam mirificè commendare solent. (3) Fidem in actu justificationis, spectari ut opus nostrum, quo mereamur aliquid coram Deo (4) Fidem etiam historicam & miraculosam esse salvificam.

2. Socinianorum, docentium (1) Fidem formaliter consideratam esse obedientiam præceptorum Dei. (2) Fidem in actu justificationis non se habere ut instrumentum apprehensivum, sed ut causam sine quâ non.

3. Arminianorum, docentium (1) Fidem formaliter spectatam esse actum credentis, quo hic postulato evangelicæ obedientiæ respondet. (2) eandem ad justificationem non influere instrumentaliter, sed tantùm esse conditionem in fœdere evangelico præscriptam.

4. Weigelianorum aliorumque Fanaticorum, quibus Fides nihil aliud est, quam imitatio Christi, inhabitatio ejus, obedientia &c.

5. Pietistarum, & qui impudentiùs mentem suam detegunt, Hyperpietistarum. Docent enim (1) Fidem esse *motum scintillæ* (i. e. luminis Quackeriani, cum quo hæc scintilla ex asse convenit) *quo homo spei suæ de amore Dei intra se impetrando, fiduciam habet*; atque objectum fidei intra nos quærendum esse, in scintillâ istâ insitâ. Sic Thomasius in Wigandianis nostris p. 53. (2) Fidem esse ipsam charitatem, Sic Lic. Brenneiscenius, imo & D. Breithauptius, in Supplemento Synopſ. Art. 20. Th. 3. lit. ϱ. (3) Dilectionem, obedientiam, resignationem sui ipsius, & imitationem Christi, esse formam fidei. Sic M. Achilles &c. Ibid. lit. σ.

Thesis IV. *Justificamur SOLA Fide, hoc est ita, ut nihil præter fidem, in actu hoc, coram tribunali DEI, ex parte nostri requiratur, neq; ullum aliud medium sit, quo gratia Justificationis apprehendi, nobisq; applicari possit.*

Ἔκθεσις. 1. Præter illa, quæ in præcedenti controversiâ proponebantur, observandum, quod non loquamur de Fide apparenti & hypocriticâ, quæ est nuda professio oris; sed de Fide verâ verèque Christianâ, quæ in corde residet.

2. Eadem Fides non consideratur nunc absolutè, prouti est virtus Theologica: quo in sensu ei, propter durationem, præfertur charitas 1. Cor. XIII. 2. 8. 13: verùm relativè, quatenus refertur ad objectum suum, nempe meritum Christi.

3. Sic & Justificatio dupliciter spectatur, aut quatenus fit coram Deo; aut quatenus declaratur coram hominibus. Priori modo est solius Fidei; posteriori operum. Jacob. II. 20, 21, 22, 24.

4. Largimur, quod à Fide sit initium Justificationis; negamus autem, quod solum initium: cum à Fide etiam sit Justificationis complementum.

5. Distin-

5. Distingvimus inter Justificationis actum, quo justificandus primùm justificatur; & inter Justificationis statum, quo Justificatio in eo, qui jam justificatus est, continuatur. Hanc distinctionem ipse Spenerus admittit, cujus verba in Synopsi nostrâ adducuntur Art. 20. qv. 11. ut proinde qui eam suggillat, non possit non simul Spenerum suggillare.

6. Hac distinctione non infertur duplex Justificatio; sed unius ejusdemque Justificationis, sub respectu ad subjectum, duplex considerandi modus. Frivolum igitur & plumbeum atque autore suo dignum est judicium ejus, qui duplicem Pontificiorum Iustificationem, nempe primam & secundam à nobis reduci & incrustari, nugatur.

7. In primo Iustificationis actu, ita Fides sola est, ut ipsam bonorum operum præsentiam excludat: Hinc in Formulâ Concord. Art. 3. Antithes. 11. p. 829, 830, (586. 587.) *repudiamus & damnamus, bona opera necessariò ad justitiam requiri, & absq; eorum præsentiâ hominem justificari non posse.* Cæterùm in Iustificationis statu, fides ita justificat sola, ut bona opera tantùm à concursu influxus ad Iustificationem; non verò etiam à præsentiâ excludantur.

8. Proinde ad statum justificationis referenda sunt sequentia, quæ in Orthodoxorum scriptis leguntur. (1) In enunciatione istâ: Fides sola justificat: per particulam exclusivam non determinatur subjectum, nempe Fides; sed prædicatum, nempe Τὸ justificat. (2) Non intelligitur Fides, quæ SOLA existit; sed quæ SOLA id, de quo quæritur, agit, (3) Fides nunquam est sola, quoad esse absolutum, sive ex parte sui: semper enim opera charitatis eam comitantur: est verò sola quoad esse respectivum, sive ex parte effectus, quem producit; sic enim nihil præter Fidem in Justificatione operatur, (4) Fides in personâ justificatâ sola non est; sed in actu justificandi, sive in ipsâ justificatione. (5) Justificamur

Fide QVÆ operosa est; non QVATENUS operosa est; (6) In Justificatione non excluduntur opera, ut non sint; sed ut non eandem cum Fide operationem edant. (7) Fides & opera simul sunt, quoad exercitium, seu actum præsentiæ; non quoad officium, seu actum efficientiæ. (8) Fides salvifica non est absque operibus; interim tamen Fides est salvifica absque operibus.

9. Ex quibus omnibus patet, quod in statu Justificationis, Fidem abstrahamus ab operibus, distingvendo; non separando: Id quod Lutherus indicat, in cap. 15. Genes. scribens: *Scio fidem sine reliquis donis non existere; sed quæstio est, quod cujusq; proprium. Tenes manu varia semina: non autem quæro, quæ & cum quibus conjuncta sint; sed quæ cuiq; propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola Fides; non cum quibus virtutibus conjuncta sit*: Vid. Gerhard. de Justificat. n. 164.

10. Præterea notatu dignum est, quod per particulam SOLA, non excludantur causæ aliæ diversi ordinis; sed tantùm quæ ejusdem ordinis sunt, & quidem ex parte hominum: Cæteroqui agnoscimus, hominem etiam justificari, per gratiam Dei, ut causam principalem: per satisfactionem Christi, ut causam meritoriam: per Verbum & Sacramenta, ut per causam mediam, ex parte Dei. At SOLA fides justificat, ut instrumentum apprehensivum, quo oblata a Deo justitia accipiatur: Sic enim præter Fidem in homine nihil reperitur, quod ad Justificationem sive meritoriè, sive organicè, sive quocunque alio modo concurrat.

11. Etsi autem hæc Enunciatio: Sola Fides justificat: in Scripturis non habeatur explicitè, sive quà verborum sonum; sufficit, quod proponatur implicitè, sive quà verborum sensum.

12. Plura tradentur inferiùs Artic. XX, de bonis Operibus. Thes. 4.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex Rom. III. 28. Quia Fides *justificat absq; operibus:* Ergo Sola justificat. Plures enim modi justificationem impetrandi, à parte hominis non dantur. Unde remoto uno, necesse est alterum exclusivè poni. Disputabat autem Apostolus, hæc scribens, contra Pseudapostolos, qui opera, tanquam necessaria ad salutem, urgebant. Id quod in Exercitatione de Concil. Hierosf. cap. 4. n. 3 evidenter ostendimus. Rectè igitur Lutherus locum hunc vertit: **Allein durch den Glauben.** Cujus translationis rationes reddit Tom. V. Jenens. Germ. fol. 140. sub titulo: **Send-Brieff D. Martin Luthers vom Dolmetschen und Fürbitte der Heiligen.** In ipsâ quoque Glossâ marginali ad hunc locum legitur: *Seqvuntur opera justificatum; non præcedunt justificandum: SOLA Fide, sine operibus præcedentibus, homo fit justus.* Et Joh. Manlius Tom. 2. Locorum commun. p. 32. refert, Episcopum Salisburgensem, cum in publico diversorio novum Testamentum reperisset, atque in locum hunc Pauli incidisset, iratum abjecto libro dixisse: *O Paule! an tu quoque Lutheranus factus es?*

2. Ex Gal. II. 16. ubi duæ propositiones exhibentur, (1) negativa pura: *Homo non justificatur ex operibus legis.* Remotis autem operibus legis, remanet sola Fides. (2) Exclusiva: *Homo non justificatur* (ἐὰν μὴ διὰ πίστεως) *nisi fide*, vel solâ Fide. Hinc in Bibliis Germanicis, ante Lutherum editis, nempe Augustanis & Argentoratensibus, redditur: **Nur durch den Glauben.** Item in Italicâ versione anno 1546. Venetiis impressâ.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, qui in Concil Trident. Sess. VI. Can. 9. decernunt: *Si quis dixerit, solâ Fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad Justificationis gratiam consequendam cooperetur, anathema sit.*

2. Cassandri & Syncretistarum communiter, qui pacis conciliandæ gratiâ, particulam hancce SOLA omitti posse, censent.

3. Pietistarum, qui peccatorem Sola Fide justificari credere nequeunt, quamdiu ad Justificationem requirunt Fidem operósam, id est, talem, quæ in primo Justificationis actu jam necessariò opera secum habeat, de quibus vid. Synopsis Art. 20. qu. 12. & 13. itemque Supplementum Synops. Art. 20. n. 7. lit. ψ & ω.

Thesis V. *Justificatus de remissione peccatorum, & gratiâ Fidem conservante, sibi perpetuò, nisi malitiosè eam rejiciat, adfuturâ, atq; adeo pariter de salute æternâ, certus esse potest ac debet.*

Ἔκθεσις 1. Ex Thesi patet, non agi generaliter de quocunque homine; sed specialiter de justificato, & quidem ut tali, qui adhuc in statu gratiæ permanet, nec per peccata regnantia, Spiritum S. excussit.

2. Non quæritur, an remissio peccatorum & salus æterna sit certa Deo; sed an homini.

3. Neque etiam, an certa sit homini de homine altero; sed an homini de se ipso.

4. Certitudo duplex est, vel fiduciæ, quæ excludit dubitationem; vel securitatis, quæ excludit solicitudinem. Hæc rejicitur Prov. XXIIX. 14. Philipp. II. 12. 2. Petr. I. 10. Illa commendatur.

5. Possibilitas ejusmodi certitudinis, per tentationes non evertitur; sed probatur & roboratur. Credens enim, auxilio Spiritus S. tandem tentationem, licet gravissimam, vincit; quod Lutherus aliquoties expertus est.

6. In ipsâ tentatione, respiciatur ad fidei veritatem; non

ad

ad quantitatem. Sufficit si adsit vera fides; etiamsi non sit magna fides. Marc. IX. 23. Esa XLII. 3.

7. Quod attinet ad locum Eccl. IX. 1. malè ibi vulgata: *Nescit homo, amore, an odio dignus sit.* Originalis enim Textus ita habet: גַּם־אַהֲבָה גַּם־שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם *Et amorem & odium nescit homo*, scilicet *alterius hominis*, *qui coram ipso est*, uti ex sequentibus verbis patet. Recte igitur Lutherus noster: **Kein Mensch kennet weder die Liebe/ noch den Haß irgend eines/ den er für sich hat.** Occasione dicti hujus, mira concertatio oriebatur, inter Jesuitas & Wenceslaum Baronem de Budowa, captivum jamque decollandum, quæ in Historiâ Persecutionis Bohemicæ, anno 1648. in 12mo, sine nomine Autoris ac loci publicatâ p. 234. his verbis describitur. *Perendie ipso* (quæ Scriptoris verba sunt) *martyrii die, Jesuitæ duo, diluculo summo Curiam ingressi, iterum sanctos Viros turbare cœptarunt: cumq; ab aliis repulsi, Baronem nostrum accederent, dixerunt: Videmus Dominum egregiè eruditum; cuperemus ejus lucrari animam, & misericordiæ opus præstare. Quibus ille: Mei Patres, vos lucrari animam meam? utinam vobis de salutis vestræ certitudine tantum constet, ac mihi! Laus sit Deo meo, qui me Spiritu suo salutis meæ securum reddit, per sangvinem Agni. O ne tantum de se præsumat Dominus, regerit Jesuita, & certitudinis illâ opinione sibi ipsi ne imponat. An enim ignorat, Scripturam dicere?* Nescit homo gratiâne, an odio dignus sit. *Respondet Baro: Id ne verò misericordiæ opus est, & lucrari animam meam? Vos verò infelices animarum lucratores, desperationem mihi instillatis. Erratis autem miseri, nescientes Scripturam. Atque hìc verum loci istius sensum eis enarravit, aliaque multa loca, quibus salutis certitudo credentibus asseritur, opposuit. Inter alios illum Pauli:* Scio cui credidi. *item:* Scio mihi reposi am esse coronam justitiæ. *Jesuita interpellans,*

pellans. Hem impertinenter, inqvit: Istud Paulus de se dicit, non de aliis. Mentiris, inquit Baro: Sequitur enim: Non mihi soli, sed omnibus, qui diligunt adventum ejus. *Hic obmutuit Sophista. Baro autem perrexit: Quandoquidem isto dicto:* Nescit homo gratiâne an odio sit dignus; *constringere me cupitis, age, dicite, ubi id scriptum est: En Biblicum codicem! Hic Jesuita ad socium: Ubi exstat? respondet alter: ni fallor ad Timotheum. Baro exardescens: Asine, tu me salutis viam docere vis, qui tantillum verbum in sacro Dei codice ignoras? Apage à me Satan, & me tentare desine. Demùm igitur tam notabiliter confusi, recesserunt.*

8. Certitudo salutis non immediatè petitur ex decreto Electionis; sed mediante conditione ordinis electorum, nempe fidei, ex cujus præsentiâ, ad decreti divini existentiam, rectè concludimus.

9. Atque inde nemo de salute suâ certus est absolutè; sed duntaxat conditionatè, videlicet nisi gratiam Dei malitiosè rejecerit.

10. Conditio autem ista non est impossibilis: quæ alioqui vim negandi haberet: sed possibilis; quia in potestate hominis justificati est, retinere gratiam, si velit.

Βεβαίωσις Probatur 1. ex Rom. V. 1, 2. *Quia justificati* (1) *pacem habent ad Deum*; ubi autem pax, ibi nulla formido pœnæ: ubi nulla formido pœnæ, ibi certitudo gratiæ & salutis; (2) *per fidem nituntur merito Christi.* Unde tam certi sunt de gratiâ, quàm certi sunt de Christo, ejusq; merito; (3) *accessum habent in gratiam, in quâ stant.* Stare autem & vacillare, sive dubitare, sibi invicem opponuntur; (4) *gloriantur in spe gloriæ Dei*: quod fieri non posset, nisi de futurâ gloriâ certi essent: de incertis enim nemo sanæ mentis gloriatur.

2. ex

2. ex 1. Cor. I. 9, Quia (1) *Deus est* πιστὸς, id est *Fidelis*. Recte enim ita redditur in Vulgatâ; cum vox hæc non à πίστις sive fide passivâ; sed activâ descendat, quæ superiùs in Th. 3. p. 141. describebatur, *veritas & constantia in dictis*. Si autem Justificatus de Dei fidelitate certus est, utique etiam de iis, quæ nunc in quæstionem veniunt, certus sit oportet; quippe quæ Deus promisit. Conferatur de remissione peccatorum Act. X. 43, de gratiâ perpetuò adfuturâ Phil. I. 6. de salute æternâ Joh. III. 16. (2) *Vocati sumus* in communionem Filii. Vocatio autem illa est ἀμεταμέλητος, hoc est ita comparata, ut Deum nunquam ejus pœniteat, Rom. XI. 29. (3) κοινωνία sive *communio Filii Dei*, non tantum infert participationem aliorum donorum Joh. I. 16. sed etiam ipsius vitæ æternæ, de quâ Spiritus S. *testimonium reddit spiritui nostro* Rom. IIX. 16. RESPON. NATH. HEINR. MÖLLER, Gedan.

3. ex aliis Scripturæ dictis, ut Esaiæ XXII. 17. 18. 1. Petr. I. 8.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui in Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 9. decreverunt: *Nullus scire valet certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Propter hanc doctrinam, Martinus Bresserus L. 2. de Conscient. c. 13. inquit: *Conscientia hominis Catholici, nunquam potest esse serena.* Ex quo luculenter patet, per dogma hocce viam ad desperationem sterni.

III. VINDICATIO.

Accusamur

I. Quod ex timiditate, vel adulatione, in hoc Articulo, omissa sit antithesis, quæ aliis articulis subnectitur. Resp. In Apologiâ antithesin satis manifestè haberi, quæ in iisdem Comitiis Imperatori Carolo V. oblata est: quos igitur timiditas & adulatio non impediit, quo minùs in Apologiâ anti-

hesin ponerent; cur impediisset in ipsâ Confesſione? Vera igitur cauſa omiſſæ antitheſeos eſt, quod inutilem eam cenſerent; cum ex dictis conſtaret, articulum directè Pontificiis opponi.

II. Quod non tam Pontificii feriantur, quàm Pelagiani. Ita Hoffmeiſterus & alii molliores ex adverſariis. Reſp. Peti utrosque: Pontificii enim Pelagianam hæreſin ex orco revocarunt, tametſi interdum paulò ſubtiliùs, aut timidiùs loquantur; de quo legi poſſunt ſcripta Janſenii & ſectatorum ejus, itemque D. Strauchii, Prædeceſſoris mei in munere Gedanenſi, atque in Academiâ Witebergenſi olim Præceptoris, etiam poſt fata devenerandi, erudita exercitatio *de Jure Tertii Orthodoxi, circa cauſam Jeſuitico-Janſenianam.*

III. Quod Simonis Magi doctrinam reſuſcitemus, quippe qui olim docuerit, *hominem ſolâ gratiâ, ſine operibus ſalvari.* Reſp. de Simone Mago audiendum eſſe Irenæum, qui cum dixiſſet, eum *permiſiſſe ſuis liberè agere quæ vellent, eò quod nulla operatio naturaliter juſta eſſet, ſed tantùm ex accidente, propter Angelos, qui per præcepta ejusmodi in ſervitutem deduxerint homines:* mox addit, ideo ſtatuiſſe: *Secundum ipſius* (Simonis) *gratiam, ſalvari homines; ſed non ſecundum operas juſtas.* Ubi verò in Auguſtanâ Confesſione ejusve Apologiâ hæc aut ſimilia docentur?

IV. Quod in Apologiâ Adverſariis multa per calumniam tribuantur & affingantur, quæ vel nunquam docuerint, vel particularium duntaxat Doctorum, non autem totius Eccleſiæ opiniones fuerint. Reſp. Adverſarios ſemper in articulo de Juſtificatione inter ſe diſſenſiſſe, atque etiamnum diſſentire. Confeſſores autem præcipuorum è Scholaſticis, qui tum clariſſimi habebantur dogmata recenſuiſſe; quamvis hodie nonnulli ex Pontificiis, ſi non re ipſâ, ſaltem verbis, â majoribus ſuis diſcedant. Futura certè prævidere non poterant; quo

de

de argumento eruditè differit Carpzov. Isag. in Libros Symbol. p. m. 215. seqq.

V. Quod post oblatam Confessionem, Melanchton, in iisdem Comitiis Augustanis, anno 1530. d. 15. Augusti, concesserit, non dicendum esse: Hominem justificari solâ fide: quia formula hæc in Scripturâ non reperiatur; sed fide & gratiâ, teste Pallavicino, in *Histor. Concil. Trident.* & Didymo Hermannovillano, in *disquisitionibus Ubiquitisticis.* Ita Episcopus Colonitsch in *Confessione Antiaugustanâ,* Resp. Allegari Autores, quorum prior â nostris rejicitur, nec sine causâ; uti videre est in Petri Jurii *Compendio Histor. Concil. Trident.* Posterior autem, ne quidem nomen suum profiteri ausus est; ex quo malæ fidei argumentum capere licet. Vocatur autem vero nomine Thomas Clajus, qui in Societate Jesuiticâ primùm Brunsbergæ, hinc Vilnæ docuit. Accuratiorem enarrationem eorum, quæ Augustæ â Melanchtone gesta & dicta sunt, vide apud D. Alberti gründl. Wiederlegung ad quæst. 5. p. 124. sq.

ARTICULUS V.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

I. EXPLICATIO.

De Ministerio Ecclesiastico ex professo & in actu, ut vocant, signato, agitur in Articulo XIV. Hìc autem in antecessum quasi ac incidenter & in actu, ut vocant, exercito, ejus mentio fit, sub respectu ad Fidem, Ministerii ope accendendam, de quâ in præcedenti articulo tractabatur.

Melanchton verba Articuli hujus planè immutavit: Sic enim eum in Corpore doctrinæ proponit (p. m. 4.) *Itaque instituit*

tuit Christus ministerium docendi Evangelii, quod prædicat pœnitentiam & remissionem peccatorum. Estque utraque prædicatio universalis. Omnium peccata arguit, & omnibus credentibus promittit remissionem peccatorum, ut non sit incerta remissio, sed ut omnes perterrefactæ mentes, sciant se debere credere, quod certò ipsis donetur remissio peccatorum, propter Christum; non propter ipsorum merita, aut dignitatem. Hi omnes certò consequuntur remissionem peccatorum. Et cum hoc modo consolamur nos promissione seu Evangelio, & erigimus nos fide, simul datur nobis Spiritus Sanctus. Nam Spiritus Sanctus datur & est efficax per Verbum Dei & per Sacramenta. Cum Evangelium audimus, aut cogitamus, aut Sacramenta tractamus, & fide nos consolamur, simul est efficax Spiritus Sanctus, juxta illud Pauli, ad Galatas tertio: ut promissio ex fide Jesu Christi detur credentibus. *Et ad Corinthios:* Evangelium est ministerium Spiritus. *Et ad Romanos:* Fides ex auditu est. *Cum igitur fide nos consolamur & liberamur à terroribus peccati, per Spiritum Sanctum, concipiunt corda certas virtutes: agnoscunt verè misericordiam Dei: concipiunt veram dilectionem, verum timorem Dei, fiduciam, spem auxilii divini, invocationem & similes fructus Spiritus. Damnantur illi, qui de hac fide, quâ remissio peccatorum accipitur, nihil docent; sed jubent conscientias dubitare, an consequantur remissionem. Et addunt, hanc dubitationem non esse peccatum. Item, docent homines consequi remissionem peccatorum, propter propriam dignitatem: non docent, credendum esse, quod gratis propter Christum, remissio peccatorum donetur. Damnantur item fanatici Spiritus, qui fingunt, Spiritum Sanctum dari, aut efficacem esse, sine verbo Dei: & ob eam causam contemnunt ministerium Evangelii & Sacramentorum, & quærunt illuminationes sine verbo Dei & extra Evangelium, atque ita abducunt animos à verbo Dei, ad proprias opiniones; quod est pernitiosissimum. Tales olim fuerunt*

runt Manichæi Enthusiastæ, & nunc sunt Anabaptistæ. Hujusmodi furores constanter damnamus. Abolent enim verum usum verbi Dei, & falsò somniant, sine verbo Dei accipi Spiritum Sanctum, & freti suis opinionibus comminiscuntur impia dogmata, & efficiunt infinitam dissipationem Hucusq; Melanchton. In quo præ reliquis notandum est (1) quod vocabulum Evangelii, latiùs accipiat, quàm in Confessione genuinâ accipitur: quia à Melanchtone non solùm pro concione remissionis peccatorum, sed etiam pœnitentiæ habetur. (2) quod à scopo tractationis recedat: Mutata enim Confessio, non tam de productione fidei, quàm de productæ fidei exercitio agit, (3) quod immiscet, quæ ad sextum articulum pertinent, de fructibus fidei, (4) quod in antithesi tantùm nominet Manichæos, Enthusiastas & Anabaptistas, omissis illis: *damnant & alios*: quâ ratione reliquis heterodoxis ansa cavillandi datur, quasi ad eos articulus hic non pertineat.

Cæterùm in invariatâ Confessione p. 14. (10. 11.) de Ministerio Ecclesiastico agitur

- I. θεθικῶς Sistitur enim ejus
  - 1. Causa efficiens, quando dicitur *institutum esse*, videlicet à Deo trinuno.
  - 2. Finis, qui est *donare Spiritum S.* cujus describitur
    - 1. Operatio, quod *fidem efficiat.*
    - 2. Ordo in operando, quod *efficacem se præstet, ubi & quando visum est Deo.* Tametsi enim Deus generaliter omnibus gratiam suam offerat, eandemque seriò donare paratus sit; tamen specialiter, ob causas sibi notas, uni citiùs, & sæpiùs, quam alteri, semet impertit.
  - 3. Objectum quod
    - 1 ponitur, estq; ratione potiorum functionum, duplex,
      - 1 *docere Evangeliũ*, lege non exclusâ, sed subintellectâ.
      - 2 *porrigere Sacramenta.*
    - 2. describitur, quando Verbum & Sacramenta vo-

cantur *Instrumenta, per quæ Spiritus S. datur*: sumto instrumenti vocabulo in sensu latiori, ut medium causale notet; non in sensu strictiori, & juxta ἀκρίβειαν philosophicam, quatenus Instrumentum vocatur, *quod à causâ principali elevatur ad producendum opus, suâ virtute superius.*

4. Subjectum operationis, quod sunt ii, *qui audiunt Evangelium.* Evangelii verò summa hæc esse docetur: *Quod DEus non propter nostra merita, sed propter Christum justificet hos, qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.*

II. Ἀντιθετικῶς: Damnantur enim

1. *Anabaptistæ,*
2. *Alii (nempe Enthusiastæ) qui sentiunt, Spiritum S. contingere sine verbo externo hominibus, per ipsorum præparationes & opera.* Istis verbis notantur
   1. Pontificii, quando Deum etiam sine verbo fidem operari, seque per suas dispositiones fidem, saltem de congruo, mereri docent.
   2. Alii, qui (1) verbum externum negant esse medium, quo detur Spiritus S. ita Bucerus, (2) operationem verbi, ab operatione Spiritus S. separant, ac verbo externo, non nisi vim significativam tribuunt, de quibus in Thes. II. agetur.

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Ministerium Ecclesiasticum, est peculiaris ordo hominum, à cæteris ordinibus in Ecclesiâ distinctus, ut adeo non promiscuè omnibus, qui se ipsos censent esse dignos, publicum, ordinariumq; sacrorum munus, exercere liceat.*

Ἔκθεσις,

Ἐκθεσις 1. Ministerium, prouti vox illa in Scripturis adhibetur, aliud est seculare, idque vel publicum Rom. XIII. 5. vel privatum Luc. X. 40. aliud sacrum. Hocque porrò aut versatur circa reditus Ecclesiasticos Act. VI. 2. aut circa media salutis, debite administranda; quæ acceptio hujus loci est.

2. Ordines in Ecclesiâ, sive status Hierarchici, communiter tres numerantur, Ecclesiasticus, Politicus & Oeconomicus, Germanicè Lehr- Wehr- und Nähr-Stand: inter quos prioritas debetur statui Ecclesiastico, partim sub respectu ad finem, quia immediatè ad salutem æternam ducit; partim sub respectu ad objectum reale, quia circa mysteria divina versatur; partim sub respectu ad objectum personale, quia in regendis hominum animabus occupatur.

3. Omnes Christiani funguntur sacerdotio spirituali ac interno, quatenus se ipsos & sua Deo devotè sacrificant 1. Petr. II. 9. Apoc. I. 6. Rom. XII. 1. Hebr. XIII. 15. Nunc autem quæritur, de Ministerio Ecclesiastico, ac externo.

4 Hoc in V.T. erat peculiaris ordo ex certâ populi Israëlitici tribu; in N. autem T. ex quibuscunque hominibus ritè vocatis.

5. Ministerium hocce N. T. quandoq; nominatur Sacerdotium: non tamen ex usu vocis Biblico; sed duntaxat Patristico. Tolerari verò potest, si vox eadem sumatur in sensu orthodoxo, quatenus Sacerdos est, qui sacra operatur; nequaquam verò si accipiatur in sensu heterodoxo, quando Pontificii â Sacerdotio ad Sacrificium Missaticum argumentantur. Vid. Apolog. August. Conf. p. 318. (201.)

6. Frequenter etiam Ministerium Ecclesiæ dicitur *Clerus*, & Ministri *Clerici*: ubi observandum, quod alia sit quæstio, an vox ista in sano sensu peculiariter Ministris Ecclesiæ tribui

possit?

possit? & alia, an Scriptura, cum exclusione Laicorum, solos Ministros peculiariter sic appellet? Posteriorem negamus, propter 1. Petr. V. 3. Priorem concedimus: Ministri enim Ecclesiæ, non solùm ratione communis Christianismi; verùm etiam ratione singularis officii, ad κλῆρον sive *sortem Domini* pertinent: quo respectu in primitivâ Ecclesiâ nomine Cleri specialiter Ministerium insigniebatur, atque etiamnum licitè insignitur. Alii distingvunt inter Clerum Ecclesiam, & Clerum Ecclesiæ: illo nomine omnes Christiani denotantur; hoc soli illi, qui Ministerio publico in Ecclesiâ funguntur.

7. Necessitas Ministerii non est absoluta, quasi Ecclesia, præsertim pressa, inter persecutiones ideo Ecclesia esse desinat, quia Ministris destituitur; sed hypothetica, quia Ecclesia, quoties Ministros habere potest, iis carere non debet: tum propter Dei præceptum; tum propter ordinem in mediis salutis à Deo præscriptum.

8. Ex quo pariter patet, quod de eadem necessitate non judicandum sit ex Dei potestate: quippe qui homines salvare posset, sine Ministerio: verùm ex Dei voluntate, in Scripturis revelatâ 1. Cor. I. 21.

9. Non tamen propterea institutum est Ministerium; quod Deus in Ecclesiâ nihil agere velit; sed quod vigore ordinationis suæ, mediatè agere velit. Unde frustrà adferuntur dicta, in quibus Deus legitur *docere suos* Esa. LIV. 13. 1. Ioh. II. 20. Nam causa principalis non excludit ministerialem. Docet Deus, sed mediantibus Ecclesiæ Ministris.

10. Solis Ministris competit publicum & ordinarium sacrorum munus. Privatim verò omnibus Christianis, ne fœminis quidem exceptis, suos docere licet. Rom. XV, 14. Coloss. III. 16, Thess. V. 11. Fœminis certè ut privatim suos doceant, non solùm conceditur, sed etiam injungitur Tit. II. 4. Extraordinariè etiam incidere potest casus necessitatis,

ut

atque ita tacitè vocantibus iis quorum intereſt, cœtum informare ac ædificare fas ſit, de quo conf. Luther. Tom. 2. Jenenſ. Germ. f. 233. ſub titulo: **Grund und Urſache / daß eine Chriſtliche Gemeine Macht habe / alle Lehre zu urtheilen.**

11. Quod omnium Prophetarum ſit publicè in Eccleſiâ docere, agnoſcimus 1. Cor. XIV. 31. quod verò id promiſcuè & indifferenter omnium fidelium ſit, negamus. Ibid. v. 28.

12. Quæ futura eſſe prædicuntur in Eccleſiâ triumphante 1. Cor. XIII. 8. malè trahuntur ad Eccleſiam militantem. Hic per Miniſterium præparamur, ut ibi tutè miniſterio careamus.

13. Similiter quæ dicuntur comparatè & ſecundum quid, malè accipiuntur abſolutè, v. gr. Jerem. XXXI. 34. *Non docebit ultrà vir proximum.* In his enim nequaquam aboletur Miniſterium; ſed duntaxat indicatur prærogativa credentium in N. T. præ credentibus in V. T. Tunc non niſi Iſraëlita Iſraëlitam docebat; nunc etiam per eos, qui origine gentiles ſunt, doctrina aliis impertitur: tunc informabantur de Meſſiâ venturo; nunc quilibet in ipſo Baptiſmo induit Chriſtum præſentem: tunc propter involucra typorum, prolixâ explicatione opus erat; nunc puer aliquot annorum, ex Catecheſi clariorem notitiam habet, quàm olim ſatis adulti ſacerdotes,

14. In alio oraculo 1. Joh. II. 27, Apoſtolus non loquitur de Catechumenis; ſed de illuminatis. Hi enim â Spiritu S. per veros Doctores jam informati, non opus habebant, ut â falſis Doctoribus, aliquid, tanquam novum, addiſcerent.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex Jerem. III. 15. ubi Paſtores, ex Dei voluntate, diſtingvuntur ab ovibus. Deſcribuntur autem (1) â causâ efficiente: *Dantur enim â* Deo. (2) â qualitate: Sunt enim *ſecundum cor, ſeu voluntatem Dei.* (3) ab

 effectu.

effectu: *Pascunt enim suos scientiâ & prudentiâ:* quibus verbis vel respicitur ad objectum pastus, quod est prædicatio verbi divini, in quo vera sapientia & prudentia consistit Deut. IV, 6. vel ad modum pascendi, quod in eo se gerant scienter ac prudenter.

II. ex Eph. IV. 11. 12. ubi de Ministerio, tanquam de peculiari hominum ordine â cæteris distincto, agitur. Describitur autem (1) ejus origo, *quod Christus dederit*, scilicet non excluso Patre 2. Cor. V. 18 & Spiritu S. Act. XX. 28. (2) necessitas, quod faciat (πρὸς τὸν καταρτισμὸν) *ad coagmentationem*, vel concinnationem, *sanctorum, in ædificationem corporis Christi*, id est, Ecclesiæ Eph. I. 22. 23. (3) divisio ex varietate officiorum. Nam sub eo comprehenduntur *Apostoli*, qui nulli certæ Ecclesiæ alligati, in universum mundum emittuntur; *Prophetæ*, qui futura prædicunt, aut de re præsenti immediatè à Deo admonentur, ut Agabus; *Evangelistæ*, quales non tantùm sunt, qui Evangelicam historiam scribunt, sed etiam qui Apostolis, in docendo Evangelio adjutores & comites adduntur. Conf. Act. XXI. 8. 2. Cor. IIX. 18. 2. Tim. IV. 5. *Pastores*, qui particulares Ecclesias regunt, ut Episcopi & Presbyteri; *Doctores*, qui à regendi munere immunes, tantùm in informando populo & repellendis hæreticis occupantur, uti nunc Professores, Catechetæ &c.

III. ex aliis Scripturæ dictis, Matth. IX. 38. Act. XX, 28. 2. Cor. V. 18.

Ἀντίθεσις est omnium eorum, qui Ministerium non agnoscunt pro peculiari hominum ordine, à cæteris ordinibus distincto; sed cuilibet promiscuè licentiam publicè docendi faciunt, si ad id idoneus habeatur. Ita 1. Sociniani. Socinus ipse scribit, in tractatu de Ecclesiâ: *Quid est, cur à nostris Ministris requirunt, ut legitimum sibi muneris autorem ostendant*

[...]: Annon cuivis Christiano homini licet, etiam sine speciali ullo sibi demandato legitimè ejus rei munere, charitatem erga proximum exercere?

2. Anabaptistæ, de quibus videatur D. Botsaccus, in *Anabaptismo reprobato* cap. 63. n. 2. 7. seqq. Inter Ministros eorum Monasterii in Westphaliâ eminebant Johannes Leidensis, aliàs cognomine Bocoldus, Beukelsz, Beucelarius, vel Beuckelzoon sartor: Bernhardus Knipperdolling: Johannes Matthias pistor: Johannes Tuysenscherer, aurifaber &c.

3. Quackeri, qui ne fœminas quidem excludunt, de quibus perlegatur Quackerismus Confutatus, Art. 26. Hypothes. n. 1. & 5. p. 452. 459.

4. Pietistæ, de quibus videatur Supplementum Synopseos Art. 28. n. 1. lit. l. & n. 2, p. t. De Hyperpietistis addantur Wigandiana, sub titulo de Ministerio p. 100. & 101.

Thesis II. *Spiritus S. ordinariè non datur, aut operatur, nisi per Verbum externum & Sacramenta, tanquam per efficacia instrumenta, sive media Dei: quæ cum à Ministris Ecclesiæ administrentur, ideò etiam hi, in effectus spirituales, ut sunt regeneratio, justificatio, conversio, &c. verè propriéq; loquendo, ceu causæ ministeriales, influere censendi sunt.*

Ἔκθεσις 1. Quia nemo Christianus & per Christum Filius Dei fieri potest, nisi accepto Spiritu S. Rom. VIII. 9. ideò sciendum, quod Spiritus ille S. vel ordinariè, vel extraordinariè detur. Extraordinariæ donationis exempla habemus in infantibus, ante Baptismum denatis, de quorum salute, præsertim si à Christianis parentibus in lucem prodierint, minimè desperandum esse, in Artic. 2. Th. 3. n. 6. seq. p. 73. statuebamus: quicunque autem salvantur, necessariò Spiritum S. acceperunt. At nunc de ordinariâ donatione unicè agemus.

2. Ordinariè igitur non datur Spiritus S. nisi per Verbum & Sacramenta, ita ut per quæ datur, per ea etiam salutariter operetur, fidem accendendo, conservando & augendo.

3. Conjungimus Verbum & Sacramenta, quia Spiritus S. nunc per hæc operatur v. gr. in infantibus baptizatis; nunc per illud, v. gr, in adultorum conversione Unde alia quæstio est, an Spiritus S. operetur per Verbum? alia, an per solum Verbum? Unius positio non est alterius exclusio.

4. Loquimur autem de Verbo externo, sive scripto, sive prædicato; in cujus locum Fanatici, quando Verbo Dei aliquam efficaciam tribuere videntur, substituunt Verbum internum, quod immediatè à Deo accipi nugantur.

5. Efficacia Verbi non tantùm est significativa, propter lumen, ut adversarii vocant, objecti; sed etiam causativa, propter lumen subjecti.

6. Neque efficacia solummodò Scripturæ competit, in usu spectatæ, quatenus homo illam legit, audit, vel ad illius præscriptum vitam suam componit; verùm & extra usum, quatenus in notitiam hominis non pervenit, aut si perveniat, malitiosè negligitur.

7. Ita tamen, ut extra usum duntaxat efficax sit in actu primo; non secundo: quemadmodum medicamentum in pixide, aut lex naturalis in hominibus sceleratis, â quibus contemnitur.

8. Quando Verbum dicitur instrumentum Dei, vocabulum instrumenti non sumitur in sensu strictiori, juxta rigorem Metaphysicum, ubi instrumentum extra usum nihil agere perhibetur; sed in sensu latiori, pro eo, quo causa superior quomodocunque in productione effectûs, utitur. Sive ut breviùs nos expediamus: Scriptura dicitur instrumentum, respectu externæ dispositionis, in actibus Spiritûs

S. non

S; non respectu internæ affectionis, nempe efficaciæ, extra usum, ex adversariorum mente, deficientis.

9. Accuratiùs loquendo Verbum potius se habet, ut medium Dei. Medium quippe, juxta virtutem internam, quâ extra usum pariter & in usu gaudet, adhibetur v. gr. Legatus ad loquendum pro Principe suo.

10. At *Sacramentum*, quia *extra usum*, ex Canone Ecclesiastico, *nihil est*, & Medium & Instrumentum commodè satis dicitur.

11. Quoties ad effectus suos Verbum & Sacramenta influunt, toties simul influit Deus; sed non vice versâ. Quia ut causa inferior non potest agere sine superiore; ita tamen causa superior potest agere sine inferiore. Sic in conversione hominum, Spiritus Sancti influxus, sæpè præcedit influxum Scripturæ, quoad actus pædagogicos e. gr. quando homines impelluntur ad legendam Scripturam, anteà non visam; tametsi deinde influxus Spiritus Sancti conjungatur cum influxu Scripturæ, quoad actus formales.

12. Cum Verbum & Sacramenta â Ministris Ecclesiæ administrentur, ideo & ipsi Ministri in effectus spirituales influere censendi sunt: non tamen ut causæ principales; sed ut ministeriales. Nam Deus utitur Ministris, & per Ministros, Verbo ac Sacramentis.

13. Vehementer itaque errant, qui in ejusmodi actione vel Ministros, vel Verbum & Sacramenta Deo opponunt; cum potiùs illa vel illi huic subordinari debeant. Deus enim operatur; sed mediatè: ut una numero actio diversimodè â distinctis principiis resultet, ab uno originaliter, ab altero participativè: quemadmodum una numero visio, est ab animâ & oculo; una numero fabricatio â malleo & fabro.

14. Ex quibus patet, effectus spirituales Ministris Ecclesiæ non tantùm impropriè & honoris dicisque causâ attribui; sed verè proprieque loquendo.

βεβαίωσις Probatur I. *Quod Verbum externum sit efficax instrumentum, seu potiùs medium, per quod datur ac operatur Spiritus S.* 1. ex Ps. XIX 8. 9. ubi audimus, quod verbum Dei (1) *convertat*, (2) *simplicem efficiat sapientem*, (3) *cor lætificet*, (4) *oculos illuminet.*

2. Ex 2. Tim III. 15 ubi Scripturis attribuitur, quod (σοφίσαι) *sapientem reddere possint ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu*: ita quidem *ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum* (ἐξηρτισμένος) *sufficienter instructus* v. 17.

3. Ex 1.Cor. IV. 15. ubi Christiani leguntur spiritualiter *generari per Evangelium.*

II. *Quod efficacia Verbi externi, non tantùm significativa, verùm etiam causativa sit.* 1. ex Esai. LV. 10. 11. ubi Verbum externum comparatur *imbri & nivi*, in puncto *efficaciæ*. Quemadmodum ergo imber & nix non tantùm habent virtutem significandi fertilitatem agrorum, sed simul producendi: Ita pariter Scriptura non tantùm habet virtutem significandi fertilitatem piorum cordium, sed quoque producendi.

2. Ex Rom. I. 16. ubi Evangelium, ceu pars Verbi, dicitur *potentia Dei ad salutem*: quæ descriptio non quadrat ad nudum signum. Excipit Schwenckfeldius, per Evangelium hic notari ipsum Christum. Resp. negando. Nam (1) sic non posset dici *Evangelium Christi* v. 16. (2) non agitur de Evangelio, *à quo* revelatur justitia, sed *in quo*, & quidem ceu in scripturâ, ad quam expressè provocatur v. 17. (3) Illud Evangelium indicatur, à quo Paulus denominari optat *evangelizans* v. 15. Hoc verò erat Evangelium de Christo, quod ut pars Scripturæ, Romanis annuntiari debebat v. 9.

3. Ex aliis Scripturæ dictis, Hebr. IV. 12. Joh. VI 63.

III. *Quod verbum Dei externum, etiam extra usum, internam efficaciam, sive virtutem habeat;* ex locis iisdem Nam 1.

Esai

Esai. LV. 10. 11. comparatur imbri & nivi, ratione virtutis. Quemadmodum ergo imber & nix internam virtutem inebriandi terram & ad generationem ac germinationem disponendi, habent; etiamsi in petram vel arenam cadant: Ita Scriptura internam virtutem operandi in corda habet, etiamsi in cor non admittatur, eique malitiosè resistatur.

2. Rom. I. 16. Scriptura innuitur esse potentia, etiam apud eos, quos *pudet Scripturæ*, utpote de quibus Paulus disserit v. 18. seqq. Ab his verò discedens Apostolus, inquit: *Non me pudet Evangelii.* Confer. Gal. VI. 14. Ratio, cur eum non pudeat, redditur: Quia *Evangelium est potentia.* Id quod aut de istis, qui utebantur Evangelio; aut de istis, qui non utebantur, intelligi potest. Non de prioribus: Nam apud hos Evangelium jam erat actus Dei, salutem conferens: Ergo de posterioribus, apud quos potentia nondum traducebatur in actum. Si autem Evangelium est potentia Dei, apud eos, qui non utuntur Evangelio; sequitur utique, Verbum DEI externum esse efficax extra usum.

3. Verbum Dei externum est *semen* Luc. IIX. 11. 1. Petr. I. 23. At semen internam virtutem fructificandi habet, tametsi in agrum ineptum spargatur v. 5. seq. Ergo & Verbum Dei v. 12. seq.

IV. *Quod Sacramenta sint efficacia instrumenta, sive media, per quæ datur ac operatur Spiritus Sanctus.*

1. ex 1. Ioh. V. 8. Quia duo Sacramenta, nempe *Aqua*, id est Baptismus, *& Sanguis*, id est Cœna, (1) *cum Spiritu*, id est Verbo Dei Ioh. VI. 63. *in terrâ* conjunguntur; ita quidem, ut propterea veteres Sacramenta appellaverint, *Verbum visibile*. Ex quo colligimus, quicquid anteà demonstratum est de Verbo, etiam referri posse ad Sacramenta (2) æquè ac Verbum *testantur*; qui ipsissimus Spiritus S. actus est Rom. IIX. 16. (3) cum Verbo (εἰς τὸ ἕν εἰσιν) *in unum*

sunt.

sunt, seu ad eundem finem ordinantur. Unde sequitur, quemadmodum Verbum est efficax medium, ita etiam Sacramenta esse efficacia media.

2 ex 1. Joh. V. 6. Quia per duo hæc Sacramenta, *Christus venit*. Ergo etiam Spiritus S. Tota enim Trinitas simul venit Ioh. XIV. 23.

3. ex inductione. In Baptismo ex *aquâ regeneramur* Ioh. III 5. & per aquam *salvamur* Tit. III, 5. Ergo ibidem Spiritus S. per aquam datur & operatur, In Eucharistiâ accipimus corpus, *quod pro nobis datur*, & sangvinem, *qui pro nobis effunditur*. 1. Cor. X. 16. Ergo ibidem Spiritus S. simul datur, &, nisi malitiosè resistamus, fidem operatur.

V. *Quod Spiritus S. ordinariè nec detur, nec salutariter operetur, nisi per Verbum externum & Sacramenta.*

Quando enim via salutis monstratur, nullibi aliò, nisi ad hæc media remittimur, videlicet (1) ad Verbum Ioh. V. 39. (2) ad Baptismum Ioh. III 5. (3) ad Cœnam 1. Cor. XI. 23. seqq. A revelationum extraordinariarum expectatione avocamur Luc. XVI, 29. seqq. itemque 2. Petr I. 18. 19. quo in loco, Verbum Dei dicitur esse (βεβαιότερον) *firmius*, quàm extraordinaria revelatio, discipulis in monte facta.

VI. *Quod Ministri Ecclesiæ, verè propriéq; loquendo, in spirituales effectus, nempe regenerationem, justificationem, conversionem &c, influant.*

1. ex 1. Cor. III 4. seqq. Quia (1) *per Ministros creditur* v. 5. Fides igitur, quâ regeneramur &c. est effectus Ministrorum, (2) *Ministri plantant & rigant* v, 6. 7. 8. Ab iis igitur æquè est effectus in Ecclesiâ, atque ab hortulanis in horto. Non obstat, quod Deus dicitur *esse omnia* v, 7. Apostolus enim Deum considerat, ut causam principalem; cui Ministri, ut causæ instrumentales, non opponuntur, sed subordinantur. (3) Ministris in horto Ecclesiæ adscribitur, *labor* *pro-*

proprius v. 8. cui respondet effectus proprius. (4) Ministri vocantur (συνεργοὶ Θεοῦ) *cooperatores Dei*, v. 9. Si igitur Deus verè influit, quando operatur; etiam Ministri verè influunt, quando cooperantur.

2. ex 1. Cor. IX. 22. 1. Tim. IV. 16. Quia Ministri auditores *salvare* leguntur.

3. ex aliis Scripturæ dictis Dan. XII. 3. Joh. XX. 23, Matth. XIIX. 18.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, de quibus actum est in Explicatione circa finem.

2. Fanaticorum, ut Schwenckfeldii, Weigelii, Quackerorum, aliorumque novellorum Prophetarum, qui (1) Verbum externum parvi pendunt, suosque ad Verbum internum ablegant, (2) de Sacramentis abjectè sentiunt ac loqvuntur, (3) Ministerio Ecclesiæ efficaciam denegant.

3. Inter Fanaticos specialiter Hermanni Rathmanni, qui Scripturam negabat ullam habere efficaciam salutarem, nisi objectivam atque in usu, & quatenus â Spiritu S. elevetur. Hinc comparabat eam statuæ Mercuriali, picturæ, indici in horologio &c Refutatus est ab Academiis Germanicis, quarum Responsa conjunctim prodierunt, sub titulo: *Censuren und Bedencken von Theologischen Facultäten und Doctoren/ zu Wittenberg/ Königsberg/ Jena/ Helmstädt/ über M. Hermanni Rathmanni außgegangene Bücher &c. Jenæ 1626. 4to.*

4. Itemque Pietistarum, qui Rathmannum excusant, imo & seqvuntur, de quibus evolvatur Supplementum Synops. Art. 3. Th. 1, 2, 3 & 4. Specialiter quod Minister Ecclesiæ tantùm in aures, non verò etiam in cor auditorum influat, docetur ibid. Art. 28. Th. 7. & Art. 18. Th. 5.

III. VINDICATIO.

Accuſamur

I. Quod inconſideratè in hoc articulo poſuerimus, *Fidem donari per Sacramenta*; cum Sacramenta porrigi non debeant, niſi fidem jam habentibus, ſive credentibus. Sic Johannes â Daventrià, quem refutat Grauerus in Aug. Conf. Nimirum fides utique donatur per Sacramenta, tum quoad prima initia, uti patet ex infantibus, qui per Baptiſmum primam conſeqvuntur fidem; tum quoad continuationem & incrementa, quod videre eſt in adultis, ideò ad Euchariſtiam accedentibus, ut fides conſervetur & augeatur.

II. Quod Luthero contradixerimus, utpote neganti, Sacramenta conferre gratiam. Sic iterum Johannes à Daventriâ, cui reſpondit Menzerus in Exegeſi. Nempe quod Lutherus intelligit ſecundum quid, ſcilicet de Sacramentis in opere operato ſpectatis; malè accipitur ſimpliciter.

III. Quod in Apologiâ, receſſerimus ab hoc Articulo. Nam in Articulo ipſo per Spiritum S. dicitur dari fides; in Apologiâ autem per fidem perhibetur dari Spiritus S. Ita Joh. â Daventriâ, Caſſander in Conſult. & Hugo Grotius, in Notis ad Caſſandr. Reſpondemus, utrumque verum eſſe; ſed diverſo reſpectu: Per Spiritum S. datur fides, ut hæc primitus inſit; per fidem verò datur Spiritus S. ut hic efficaciter operetur.

IV. Quod Calvinianorum doctrinæ de abſoluto decreto patrocinemur, in illis verbis: *Ubi & quando viſum eſt Deo.* Ita Johan. Crocius ſuper Auguſt. Conf. Reſp. Negando, quia in Verbis illis, non excluditur ordo, quem Deus in operatione ſuâ obſervare conſtituit; ſed tantùm indicatur libertas circa illum ordinem, quoad circumſtantias loci & temporis, de quo vid. Form. Concord. p. 1115. (812.)

ARTI-

ARTICULUS VI.

DE NOVA OBEDIENTIA.

I. EXPLICATIO.

De Bonis Operibus bis agitur in Augustanâ Confessione, nimirum in Articulo VI. & XX. quorum ille brevior est; hic prolixior. Multa igitur, quæ in præsenti articulo adferri possent, consultò ad sequentem illum rejicimus.

In Confessione variatâ rursus Melanchton, alia prorsus verba substituit. Ita enim articulus iste in Corpore doctrinæ (p. 5.) proponitur: *Item docent, quod, cum fide reconciliamur, necessariò sequi debeat justitia bonorum operum, quæ Deus nobis mandavit, sicut & Christus præcepit: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, non solùm quod legi obediendum sit, sed etiam quomodò placeat hæc obedientia; ne conscientiæ incidant in desperationem, cum intelligunt se non satisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi satisfacit, sed quia persona est in Christo, reconciliata fide, & credit sibi reliquias peccati condonari. Semper igitur sentiendum est, nos consequi remissionem peccatorum, & personam pronuntiari justam, id est acceptari gratis propter Christum, per fidem. Posteà verò placere etiam obedientiam erga legem, & reputari quandam justitiam, & mereri præmia. Non enim potest conscientia opponere judicio Dei propriam mundiciem, aut opera, sicut Psalmus testatur: Non intres in judicium cum servo tuo; quia non justificabitur coram te omnis vivens. Et Johannes ait: Si dixerimus, quod peccatum non habeamus, ipsi nos seduci-*

seducimus. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra. Et Christus inquit: Cum feceritis omnia, dicite: Servi inutiles sumus. Postquam autem persona reconciliata & justa fide, id est, accepta est; placet & obedientia, & reputatur esse quædam justitia, sicut Johannes inquit: Omnis qui in eo manet, non peccat. Et 2. Cor. I. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Ac debet hæc obedientia repugnare pravis cupiditatibus, & subinde spiritualibus exercitiis fieri purior, & cavere, ne quid committamus contra conscientiam, juxta illud: Summa legis est dilectio, ex puro corde & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Qui verò obtemperant pravis cupiditatibus, & agunt contra conscientiam, versantur in peccatis mortalibus, nec fidei justitiam, nec justitiam bonorum operum retinent, juxta illud Pauli: Qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. In his notari meretur (1) quod Dictum ex Matth. XIX. 17. à Christo πρὸς ἄνθρωπον, ad retundendam operum, de quibus v. 16. quæstio erat, fiduciam, prolatum, accipiatur absolutè, pro normâ hominum quorumcunque: (2) quod Dictum à nostris ex Ambrosio allegatum, in hoc articulo omittatur, & ad Articulum IV. transferatur.

Cæterùm in invariatâ Augustanâ Confessione p. 14. (II.) agitur de bonorum Operum

- I. Causâ efficiente, quæ est Fides. *Docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere.*
- II. Normâ, quæ est lex divina. *Et quod oporteat B. O. mandata â Deo, facere.* Habemus hic descriptionem bonorum Operum, verè talium: Bona enim Opera dicuntur, *quæ â Deo mandata sunt.*
- III. Necessitate. *Oportet facere.* Additur ratio necessitatis istius
  - 1. positivè: *propter voluntatem Dei.*
  - 2. remotivè. *Non ut confidamus, per ea opera justificationem coram Deo mereri.* Falsitas hujus rationis ostenditur,

1. ex

{ 1. ex Scripturâ. *Nam remissio* &c.
{ 2. ex consensu antiquitatis. *Idem docent & veteres* &c. De allegatione Ambrosii quædam specialiora adferemus in Sect. 3. seu Vindicatione.

Quæ contra hunc articulum moverunt Adversarii, diluuntur in Apologiâ p. 149. (89.) sqq. Analysin verò eorum, cum necessariis observationibus, jam suppeditavimus superiùs, ad Art. IV.

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Lex, sive uti in August. Confess. appellatur, Mandatum Dei, est adæquata bonorum Operum norma, ita ut nullum Opus verè bonum sit, nisi quod Deus mandavit. Proinde bonitas operis nec ex conformitate cum consiliis, quæ sic vocantur, Evangelicis, nec ex solâ intentione operantis &c. æstimari debet.*

Ἔκθεσις 1. De Bonis Operibus acturi, ante omnia monemus, ea à nobis intelligi, quæ reverà; non quæ tantùm apparenter talia sunt: isto autem nomine censentur, quæ voluntati ipsius Dei, non quæ judicio solorum hominum congruunt. Nam cogitationes hominum sæpè à cogitatione Dei recedunt. Es. LV. 8, 9.

2. Quemadmodum igitur, omne peccatum est ἀνομία; ita omne opus bonum est ἐννομία. Si enim Bonum esse, haberiq; debeat, necesse est, ut cum Νόμῳ sive Lege conveniat.

3. Loquimur autem de lege Dei; non hominum: quia ab hominibus aliquando leges feruntur, contrariæ legibus Dei, quibus qui non obtemperat, bonum Opus facit. Act. IV. 19.

4. Cum Lex Dei triplex sit, moralis, ceremonialis & forensis, quarum prima ex intentione Dei, apud omnes homines, perpetuæ obligationis est; secunda autem & tertia apud solos Israëlitas temporariæ obligationis esse debuit; ideo sciendum,

dum, Opera legi ceremoniali & forensi conformia, non posse bona censeri, nisi apud eos, & quoadusque lex ista obligabat.

5. Lex moralis, præsertim prouti in Decalogo, tanquam epitome suâ exhibetur, angusta est quoad verba; sed augusta quoad sensum. Quare (1) non requiritur, ut opus in lege exprimatur specialiter; sed sufficit si attingatur generaliter: quia sub genere omnes species continentur; (2) non requiritur, ut opus exprimatur primò & immediatè; sed sufficit, si attingatur consequenter & mediatè, nimirum per ordinaria exempla & promissiones; (3) non requiritur, ut opus exprimatur directè; sed sufficit, si attingatur indirectè; videlicet per simile & oppositum: cum similium similis & oppositorum opposita sit ratio; (4) non requiritur, ut opus exprimatur quoad singula adjuncta & circumstantias, quæ libertati Christianæ relinqvuntur; sed sufficit, si proponatur quoad essentialia & rem ipsam.

6. Propter hanc normam, ipsæ etiam Renatorum virtutes rectè dicuntur opera legalia: non ratione principii, quasi Lex illas ab invitis extorqveret; sed ratione objecti, quia Renati in illarum exercitio non proprium judicium, sed divinæ voluntatis præscriptum seqvuntur.

7. Cum lex dicitur adæquata bonorum Operum norma, eo ipso excluduntur omnia alia, quæ ab adversariis quomodocunque pro normâ venditantur, ut Consilia Evangelica, Intentio bona operantis &c.

8. Nomine Consiliorum Evangelicorum, aut intelliguntur consilia de gratiâ, qualia in libris utriusque Testamenti extant, quotiescunque adhortationes ad credendum proponuntur; aut consilia de operibus, de quibus porrò pluribus erit dicendum.

9. Nam si consilia illa de operibus, non ab abstracto, nempe Evangelio; sed à concreto, nempe Evangelistis, qui

scriptis

scriptis suis etiam moralia, strictè loquendo ad Evangelium non pertinentia, inseruerunt, Evangelica vocarentur, concedere possemus, ea dari: verùm in sensu orthodoxo; non heterodoxo.

10. Juxta Orthodoxos, Consilium & Lex differunt, quia hæc mandat, illud svadet: hæc spectat ad omnes; illud ad paucos: hæc perfectionem pro scopo habet; illud utilitatem, præsertim externam: hæc sine peccato negligi non potest; bene tamen illud e. g. 1. Cor. VII. 1. 7. 28. 32. Juxta heterodoxos, Consilium & Lex differunt, quia hujus materia est facilior, utpote ex naturâ desumta; illius difficilior, utpote naturam quodammodò superans: hujus objectum est bonum; illius autem melius, quippe quod aliquid supra legem exigit: hæc observata, habet præmium & neglecta, pœnam; illud observatum habet excellentius præmium, at non observatum nullam habet pœnam.

11. Sola intentio non qualificat opus, ut bonum, malumve dicatur; sed intentio unà cum mediis.

12. Cultus Dei debet esse voluntarius. Ps. CX. 3. 2. Cor. IIX. 12. sed secundum normam; non verò electitius, h. e. præter normam susceptus: Quæ extra legem præstantur, ad ἐθελοθρησκείαν pertinent.

13. Status christianorum in N. T. non præfertur statui fidelium in V. T. quoad amplitudinem debiti & obligationis: alioqui status V. T. tolerabilior fuisset statu N. T. verùm quoad amplitudinem gratiæ & benedictionis.

Βεβαίωσις Probatur 1. ex Deut. XII. 32. ubi Deus opera nostra usque adeo ad legem alligavit, ut (1) jusserit *custodire hanc ad faciendum* (2) & quidem *in omni verbo*, quod præcepit, sine ullâ diminutione (3) nec quicquam ei *addere*. Lex igitur (1) est norma operum, quippe cui Opera conformari jubentur, (2) est adæquata norma, quippe quæ se

exten-

extendit ad omnia opera, neque additamentum patitur. (3) hac ipsâ de causâ excludit consilia Evangelica & intentionem in electitio opere: Cæteroqui enim ei aliquid adderetur. Contra ἐθελοθρησκείαν legantur specialiter Num. XV. 39. Deut. XII. 8. Es. XXIX. 13.

2. ex Matth. XXIIX. 20. ubi Christus indicat, quodnam sit objectum doctrinæ, sive prædicationis in articulo de operibus, nempe omne quod mandatum est. *Docete*, inquit, omnes gentes *servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ex quo argumentamur: Quicquid est adæquata norma prædicationis de bonis operibus, illud etiam est adæquata norma ipsorum bonorum operum, utpote juxta tenorem prædicationis faciendorum. Atqui mandatum Dei, seu Lex. Ergo. Si autem lex est adæquata norma, excluduntur aliæ normæ.

3. ex aliis scripturæ dictis. Deut. IV. 2. V. 32. Jos. XXIII. 6. Ezech. XX. 18. Mich. VI. 8. 1. Tim. I. 5.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui (1) normam bonorum Operum dicunt esse Evangelium Christi, tanquam Legislatoris. Conc. Trident. Sess. 6. Can. 21. (2) Consilia Evangelica crepant, ipsique legi, in judicio de præstantiâ Operum præferunt. Bellarm. de Monach. (3) ex Intentione operantis, de qualitate operis judicant, atque ideo cultus electitios probant.

Thesis II. *Opera, quæ non præsupponunt fidem, ut sunt Irregenitorum & Christianorum nominetenus talium, qualiacunq; & quantacunq; in oculis hominum videantur, coram Deo non sunt verè bona.*

Ἔκθεσις 1. De operibus bonis aliud est judicium hominum, juxta externa formatum; aliud judicium Dei, in Scripturâ revelatum.

2. Proinde distinguimus, inter Opera bona philosophicè, sive

...ive merè moraliter; & Theologicè, sive etiam spiritualiter sic dicta. Illa in vetustate carnis possunt fieri & consequenter etiam in infideles cadunt: Hæc verò non nisi in novitate Spiritus peraguntur & consequenter fidelium propria sunt.

3. Operum bonorum nomine non tantùm censentur Opera externa; sed & interna, ut pœnitentia, bonum propositum, motus spiritualis animi &c.

4. Non tamen loquimur de pœnitentiâ, quatenus dolorem quemcunque, super vitam anteactam notat Jer. IX. 5. sed quatenus significat contritionem salutarem. 2. Cor. VII. 10.

5. Similiter & motus boni, aut referuntur ad pædagogiam; aut ad ipsam salutem æternam. De his dubium non est, quin ad bona opera pertineant; de illis ulteriùs dispiciendum.

6. Pædagogia igitur vel finem salutarem excludit v. g. cum Judæus optat legere N. T. ut habeat, quod cavilletur; vel finem ejusmodi includit, e. gr. cum Judæus optat legere N. T. ut videat, utrum in illo tanquam impletum contineatur, quod in V. T. ut implendum, prædicebatur. Priores motus non merentur dici bona opera.

7. Quoad posteriores multum interest, utrum motus ejusmodi sint adhuc ancipites & fluctuantes, ut Act. XXVI. 28. an jam fixi & scopum Deo probatum obtinentes. Hos bonorum operum nomine dignamur; nequaquam verò illos.

8. Observandum insuper, quod Opera Renatorum & Irregenitorum differant, (1) Efficiente principali: Opera enim Irregenitorum proveniunt â lumine naturæ & voluntate, reliquiis propriarum virium utcunque suffultâ: Opera verò Regenitorum â mente per verbum illustratâ & voluntate supernaturalibus viribus per Spiritum S. instructâ. (2) Causâ impulsivâ: Irregeniti ad agendum moventur solis præ-

miis & pœnis; Renati præcipuè amore & filiali timore Dei. (3) qualitate Subjecti: Opera irregeniti ſunt perſonæ Deo inviſæ, adeoque propter perſonam diſplicent: Opera Regeniti ſunt perſonæ Deo reconciliatæ, adeoque pr pter perſonam placent. (4) Objecto: Irregeniti verſantur c rca particulam legis divinæ externâ obedientiâ implendam; Regeniti totam legem divinam, etiam internâ obedientiâ implere ſibi proponunt. (5) Formâ: Opera Irregenitorum fiunt ſine fide: Opera Regenitorum ſunt cum fide & ex fide. (6) Fine: Irregeniti actiones ultimò dirigunt ad gloriam, aut utilitatem, vel ſuam, vel ſuorum; Regeniti, ad gloriam Dei. (7) conſequentibus Præmiis: Opera Irregenitorum temporali remuneratione afficiuntur; Opera Regenitorum etiam æternâ. 1. Tim. IV. 8. Conf. Gerhard. L. de B. O. n. 10.

9. Irregenitis annumeramus Chriſtianos nominetenus tales, ut ſunt Hypocritæ & Hæretici, qui cum non ſint participes vitæ ſpiritualis, neque opera ſpiritualiter bona edere queunt.

10. Moderatio, qualis penes irregenitos & Chriſtianos nominetenus tales reperitur, legi equidem conformis eſt: ſed extrinſecus; non intrinſecus: quoad materiam; non quoad formam: juxta ſubſtantiam facti; non ex officio facientis.

11. Hinc opera talia, aut conſiderantur poſitivè, quà rectitudinem actus præſentem; aut privativè, quà rectitudinem actus deficientem. Priori modo dona ſunt Dei; non poſteriori.

12. Patet ex dictis, quod diſtinguamus inter actum operis & inter adjunctum illius actus: cum fide deſtitutus, id quod legi conforme eſt, facit, opus ipſum per ſe non dicitur peccatum; ſed tamen propter defectum adhærentem.

13. Interim non poteſt Deo placere, ſcilicet abſolutè, ut bonum in ſe; quamvis nonnunquam placere dicatur, ſcilicet comparatè, ut minus malum in collatione cum alio malo,

ceu

ceu majori. Huc ſpectat illud Auguſtini: *Minùs Fabricius quàm Catilina punietur; non quia iſte bonus; ſed quia minùs malus: non veras virtutes habendo; ſed à veris virtutibus non plurimum deviando.* Atque eâdem ratione etiam Deus opera irregenitorum temporalibus præmiis remuneratur; non tanquam verè bona; ſed tanquam minùs mala. Exod. I. 21. Ezech. XXIX. 20.

14. Imprimis notandum, quod opera in theologicis non conſiderentur legaliter, ut recta; ſed evangelicè, ut bona & Deo placentia. Ubi æternæ veritatis permanet illud: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hebr. XI. 6.

15. Hinc ſi vel maximè irregenitus videatur agere bonum; non tamen agit benè, quia non ex fide agit: obſervetur autem Canon: *Bona opera non ex nominibus, ſed ex adverbiis judicantur.*

16. Cæterùm quod ad fidelem attinet, non perſona Deo placet propter opera; quippe imperfecta: ſed opera placent propter perſonam; quippe Deo reconciliatam.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex Eph. II. 10. quo in loco ſubjectum bonorum Operum deſcribitur. Debet eſſe (1) *Dei* (ποίημα) *factura*: non ſolùm per creationem; ſed imprimis quoque per converſionem & juſtificationem. Vid. v. 8. (2) *creatum in Chriſto JEſu* per regenerationem, quæ nova quodammodò creatio eſt. (3) *præparatum à Deo*, ſcilicet per Spiritum S., omnis ſanctificationis autorem. Hæc deſcriptio ad irregenitos & Chriſtianos nominetenus tales applicari nequit: ex quo colligimus, eos non eſſe ſubjectum bonorum operum

2. ex Tit. II. 14. Quia ideo *Chriſtus ſe ipſum dedit pro nobis, ut mundaret ſibi ipſi populum peculiarem, zelatorem pulchrorum operum.* Ex quo colligimus, non promiſcuè hominem quemvis, abſque prævia mundatione Chriſti Jeſu, *fide*

apprehensi, (Act. XV. 9.) pulchra opera perficere posse. Observandum enim, quod sibi invicem opponantur (1) homo communis & populus peculiaris, (2) immundus & à Christo mundatus, (3) peccatorum mancipium & pulchrorum operum zelator.

3. ex dictis istis Scripturæ, in quibus Deus opera impiorum, quæ videntur bona, tanquam non bona rejicit, v. gr. *Orationem* Ps. CIX. 7. *Sacrificium* Es. I. 13, &c. Quó respiciens Augustinus L. 3. ad Bonif. c. 10. scribit: ***Sine fide etiam, quæ videntur bona opera, in peccatum vertuntur.***

4. ex aliis Scripturæ testimoniis. Matth. VII. 17. Joh. XV. 5. Rom. XIV. 24.

Αντίθεσις est 1. Pelagianorum veterum & recentium, qui irregenito tribuunt facultatem perficiendi bona Opera, ex residuis naturæ viribus.

2. Pontificiorum, qui (1) negant, opera omnia justificationem præcedentia, verè esse peccata. Concil. Trident. Sess. 6. Can. 7. (2) docent, opera quædam bona, nempe motus internos & bonum propositum, esse ante fidem.

3. Socinianorum, qui (1) animi probitatem requirunt ante conversionem. (2) Opera omnia, cum dictamine rectæ rationis convenientia, â quocunque demum fiant, pro verè bonis habent.

4. Syncretistarum, qui (1) distingvunt inter opera bona è viribus naturæ & ex fide profecta. (2) dicunt τὸ velle bonum præcedere conversionem.

5. Pietistarum, qui (1) requirunt, ut cor prius â peccatorum sordibus purgetur, quàm fidei capax fieri queat. Piet. Sect. Art. 15. n. 14. & Supplem. Synops. Art. 20. th. 4. (2) purgationem naturæ â peccatis ipsi Illuminationi, quæ Justificatione prior est, anteponunt. Ex quo sequitur, animum prius â peccati sordibus purgari, quàm homo regeneretur.

Piet.

Piet. Sect. Artic. 12. n. 8. & Supplem. Synopſ. Artic. 18. th. 8. lit. ε. & ζ.

Theſis III. ***Fides vera, tametſi neceſſariò fructus parere debeat, nec ſine bonis operibus in Juſtificato exiſtere queat, non tamen ipſa formaliter eſt obedientia legalis, ſub ſpe vitæ æternæ, voluntati divinæ præſtita.***

Ἔκθεσις 1. Fides vera opponitur fidei apparenti, quæ tantùm in labiis conſiſtit, nec quicquam, aut certè parum cum corde commercii habet.

2. Illa Fides nos liberat â legis maledictione; nequaquam verò ab obligatione.

3. Hinc Fide juſtificatus, nihilominus ſecundum legem operatur: non tamen ſerviliter & metu pœnæ; ſed filialiter & amore juſtitiæ.

4. Neceſſitas, cujus hic mentio fit, non eſt coactionis, quæ cum libertate conſiſtere nequit Rom. IIX. 2. ſed (1) mandati, â parte Dei (2) debiti, â parte hominum (3) conſequentiæ, â parte rei ipſius, nempe bonorum operum, quæ non poſſunt non ex fide pullulare.

5. Bona iſta opera neceſſariò ex Fide reſultantia, apud teneriores infantes ſunt interna; apud adultos partim interna, partim externa.

6. Obedientes Deo & expectantes adventum Chriſti, ſalvantur Tit. II. 11. ſeq. ſed non per illam obedientiam & expectationem, tanquam Fidem.

7. Nec obſtat, quod Fides vocetur *Obedientia* Rom. I. 5. Apoſtolus enim hic non loquitur de Fide, quâ creditur; ſed quæ creditur h. e. de doctrinâ, cui obediendum eſt.

8. Etſi autem Fides cum obedientiâ nihil commune habeat conſtitutivè; manet tamen inter utramque perpetuum

vinculum consecutivè: quia obedientia ex Fide fluit, ut effectus ex causâ.

9. Apud quosdam Theologos, etiam Orthodoxos, Fides dicitur Forma bonorum operum: quæ phrasis recepta quidem, sed non satis accurata est. Si igitur tolerari debeat, dextrâ explicatione indiget, videlicet, ut intelligatur Forma externa; non interna.

Βεβαίωσις. Probatur 1. *Quod Fides sine bonis Operibus in justificato existere nequeat*, ex Jacob. II. 17. Quia *Fides sine operibus est mortua* (καθ' ἑαυτὸν) *secundum se ipsam*, i. e. qvâtenus solitariè sumitur & â charitate sejungitur, ut ἀφ' ἑαυτῶν Joh. XV. 4. Add. Gal. V. 6. & Johannis Hnsii versiculus: *Intrà nulla Fides, si non opera exerit extrà.*

2. *Quod Fides formaliter considerata non sit legalis obedientia* 1. ex 1. Tim. I. 5. Quia (1) *Fides* & *Charitas* sive Obedientia distingvuntur. Neque in ullâ lingvâ credere significat obedire. (2) Fides describitur ut principium charitatis, sive obedientiæ. Nam finis præcepti dicitur esse charitas (ἐκ πίστεως ἀνυποκρίτου) *ex fide non fictâ.* Quicquid verò ex fide resultat; id non est formaliter idem cum fide. (3) Charitas sive obedientia derivatur ex *corde puro.* Purificatio autem fit per fidem Act. XV. 9. Unde sequitur, Fidem esse priorem Obedientiâ, & consequenter non esse formaliter ipsam obedientiam.

2. ex 1. Cor. XIII. 13. Quia Obedientia sub nomine *Charitatis*, itemque *Spei*, opponitur *Fidei*; ex quo sequitur, quod Fides non sit ipsa Obedientia, sive ut hic vocatur, Charitas & Spes.

Ἀντίθεσις est eorum 1. Qui Fidem in justificato sine operibus existere posse opinantur. Sic olim Simoniani, Basilidiani, Carpocratiani, Gnostici &c. ac posteà Libertini. Neq; praxi

praxi suâ aliud docent, qui Christianos se esse gloriantur, & nihilosecius impiè vivunt.

2. Qui Fidem definiunt, quod sit *Obedientia sub spe vitæ æternæ*. Ita Sociniani, quibus applaudunt ex Pietistis D. Breithauptius, Achilles & Lic. Brenneisenius, quorum verba adducuntur in Suppl. Synops. Art. 20. th. 3. Add. Pietis. Sect. Art. 15. n. II.

III. VINDICATIO.

Accusamur

I. Quod in hoc Articulo talia tradamus, quæ B. O. vel omnino aboleant, vel ad minimum contemtui exponant. Sic Bellarminus in Judic. de Libr. Concord. Mendac. 1. Johannes â Daventriâ &c. Resp. Calumnia ista ex inspectione vel primæ duntaxat lineolæ, ipsius articuli, in fumum abit.

II. Quod perperam allegaverimus Ambrosium; cum Commentarii in Epistolas Pauli adeoque & specialiter in 1. ad Corinthios, unde testimonium in Confessione allegatum petitur, non sint Ambrosii. Ita Bellarminus L. I. de Justif. c. 25. Respondemus: Tum commentarios illos pro Ambrosianis communiter habitos esse, prouti etiam sub Ambrosii nomine allegantur ab ipso Bellarmino L. I. de Rom. Pont. c. 25. L. 2. c. 5. L. 3. c. 5. L. 1. de Clericis c. 19. Quod igitur Bellarmino facere licuit, id Bellarminus Confessoribus nostris vitio vertere nequit. Neque dictum illud, tametsi verba Ambrosii non sint, quoad sensum & rem ipsam, â doctrinâ Ambrosii dissentit; quod Chemnitius in P. 2. Locor. Theol. ostendit. Imo si ad Ambrosium Mediolanensem non spectant; quo medio termino Antagonistæ evincent, non pertinere ad alium aliquem Ambrosium, tametsi ille Mediolanensis non fuerit. Neque enim in textu, unde Ambrosius ille cognomen traxerit, expressum reperitur.

ARTI-

ARTICULUS VII. & VIII.

DE ECCLESIA.

I. EXPLICATIO.

Cum Ecclesia dupliciter considerari queat, partim ratione intrinsecæ constitutionis; partim ratione externæ societatis, in quâ bonis mali cohabitant: ideo placuit Confessoribus, in duos distinctos articulos dispescere, quæ de Ecclesiâ traduntur, ita ut Ecclesia in septimo Articulo, juxta priorem considerandi modum expendatur; in octavo juxta posteriorem.

In variatâ Confessione, Melanchton quoad rem, â Confessione invariatâ & genuinâ non dissentit; alia tamen verba multoties substituit & in Articulum septimum, qvæ ad octavum pertinent retulit, quando *de malis & hypocritis, congregationi sanctorum admissis*, loquitur.

Cæterùm in genuinæ Confessionis Articulo VII. p. 15. (11) agitur de Ecclesiæ

- I. Existentiâ. *Item docent, quod Ecclesia sit*
- II. Essentia. *Est autem Ecclesia—Sacramenta*; In quâ definitione
  - 1. Genus est *Congregatio.*
  - 2. Differentia desumitur
    - 1. â Subjecto, sive Materiâ ex quâ, ut sunt *Sancti.*
    - 2. â Notis sive signis, ut sunt
      - 1. *recta Evangelii doctrina.*
      - 2. *recta administratio Sacramentorum.*

a

III. Ad-

a

III. Adjunctis, quando prædicatur esse

1. *Una.* Additur etiam, ex quo de unitate illâ judicandum. Id quod proponitur

1. Positivè

1. per præmissam assertionem. *Ad veram unitatem Ecclesiæ satis est, consentire de doctrinâ Evangelii & administratione Sacramentorum.*

2. per adjectam demonstrationem. *Sicut Paulus inquit: Una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium.*

2. remotivè. *Nec necesse est ubiq; esse similes traditiones humanas, sive ritus, aut ceremonias ab hominibus institutas.*

2. *Sancta.*

3. *Perpetuò mansura.*

RESP. JOHANNE Sacersdorff / Gedan.

Similiter in genuinæ Confessionis Articulo IIX. p. 15. (11. 12.) agitur de externâ societate Ecclesiæ,

I. Θεθικῶς,

1. Quod bonis mali cohabitent. *Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum & verè credentium; tamen cum in hac vitâ multi hypocritæ & mali admixti sint.*

2. Quod Verbum & Sacramenta per malos administrata, sint efficacia. *Licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur.*

II. Αντιθετικῶς. Damnant Donatistas & similes v. g. Wiglevistas p. 131. (150.)

In APOLOGIA p. 220. (144.)

I Principaliter respondetur duplici cavillationi Adversariorum. Improbabant enim

a

I. quod nostri statuerent, *Ecclesiam propriè esse congregationem Sanctorum*, Idcirco,

1. Status controversiæ iterum iterumque formatur p. 220. 222. 231. (144. 146. 150.)
2. Thesis Orthodoxa aliquot argumentis propugnatur, nempe quia
   1. fundatur in Scripturâ Sacra. Eph. I. 22. 23. V. 25. 26. p. 222. (145.)
   2. consentit Symbolo Apostolico p. 122. (145)
   3. necessaria est ad consolationem p. 223. (145.)
   4. indicatur, mentione factâ Catholicismi p. 223. (146.)
   5. approbatur in Jure Canonico. p. 223. (146.)
   6. firmatur testimonio Scriptorum Ecclesiasticorũ
      1. ex antiquioribus Hieronymi p. 224. (146.)
      2. ex recentioribus Lyræ p. 229. (149.)
   7. per eam discernitur Ecclesia
      1. à politiâ externâ. p. 223. (146.)
      2. à populo legis. p. 225. (146.)
      3. à regno Diaboli. p. 226. (147.)
   8. jure præfertur definitioni Ecclesiæ, quam somniant Pontificii p. 229. (149.)
3. Objectioni, quod Ecclesia, qualem describimus, *sit civitas Platonica*, respondetur p. 227. (148.)

II. quod nostri statuerent, diversitatem traditionum & ceremoniarum, non solvere unitatem Ecclesiæ. p. 233. (151.) Idcirco

1. Status controversiæ formatur p. 235. (152.)
2. Thesis orthodoxa aliquot argumentis propugnatur, nempè quia

a b

1. Stul-

a b

1. Stultæ opiniones de traditionibus irrepſerunt in Eccleſiam. p. 233 (151.)
2. Traditiones non ſunt cultus neceſſarius ad juſtitiam p. 233. ſq. (151. 152.)
3. Salvâ Eccleſiæ unitate, ſæpè in diverſis locis diverſæ obtinuerunt traditiones p. 237. (154.)
4. Adverſarii mutarunt traditionem de cœnâ, quamvis ab ipſo Chriſto profectam. p. 240. (155.)

3. Objectioni, *quod univerſales ritus ab Apoſtolis proveniant*, reſpondetur p. 237. (153.)

II. Incidenter quædam notatu digna inſperguntur, videlicet

1. quod Pontificii foveant errores fundamentum evertentes. p. 248. (148.)
2. quod multi apud illos palam ſint Athei. p. 231. (150.)
3. quod iidem non plectant impiè de poteſtate Pontificis ſcribentes. p. 231. (149.)
4. quod omnipotentia Papæ tributa ſignum ſit Antichriſti, à Daniele prædicti. p. 230. (149.)
5. quod quæ de verâ Eccleſiâ dicuntur, perperam referantur ad Regnum Pontificium. p. 231. (150.)
6. quod non debeamus offendi, indignitate Miniſtrorum. p. 231 (150.)

II. DEMONSTRATIO.

Theſis I. *Tametſi in hâc vitâ, ſocietas Eccleſiæ externa, malos bonis admiſtos complectatur, propriè tamen loquendo, & ratione ſocietatis internæ, Eccleſia eſt congregatio Sanctorum.*

Ἔκθεσις 1. Eccleſiæ vox impræſentiarum non notat locum congregationis, ut 1. Cor. XI. 18. ſed cœtum congregatorum.

 2. Ne-

2. Neque eadem vox ſumitur in ſenſu generali, pro cœtu hominum quorumcunque, etiam tumultuantium, ut Act. XIX 39; verùm in ſenſu ſpeciali, pro cœtu Dei colendi gratiâ conveniente; quam ob cauſam dicitur *Eccleſia Dei* 1. Cor. I. 2. vel *Eccleſia in Deo*. 1. Theſſ. I. 1.

3. Juxta hanc notionem, Eccleſia diſtingvitur in militantem, quæ hujus vitæ eſt; & triumphantem, quæ alterius vitæ eſt. Pontificii addunt Eccleſiam in purgatorio laborantem, quæ prorſus cerebrina eſt.

4. Porrò militantis Eccleſiæ nomen ſynechdochicè ſignificat partem, nempe aut ſolum Presbyterium, Matth. XIIX. 17. aut ſolos auditores. Act. XX. 28; propriè autem totum gregem, nempe Presbyterium cum Auditoribus, quæ acceptio hujus loci eſt.

5. His præſuppoſitis, obſervandum, quod Eccleſia bifariam ſpectetur, ratione ſocietatis internæ & externæ.

6. Ad ſocietatem externam pertinent tam mali, quàm boni; modò illi eandem doctrinam profiteantur, neque per excommunicationem abſciſſi ſint.

7. Ita Sanctis admiſcentur Hypocritæ, Epicurei &c. qui propter ſocietatem externam, dicuntur eſſe in Eccleſiâ; non de Eccleſiâ: Reſpectu oris hærent in regno Chriſti; reſpectu cordis commorantur in regno Diaboli.

8. Societatem Eccleſiæ internam conſtituunt Sancti, qui eandem fidem in Chriſtum verè habent, & per opera charitatis, erga Deum ac proximum demonſtrant: tametſi Sanctitas eorum, quamdiu præſens vita durat, quoad opera charitatis, imperfecta maneat.

9. Sanctitatem iſtam non evertunt peccata imbecillitatis; ſed tantùm malitioſæ pravitatis. Quod autem Sanctis nunc deeſt, condonatur propter imputatam Chriſti ſanctitatem. 1. Cor. I. 30. VI. 11. Eph. V. 26.

10. Ex

10. Ex dictis patet, cum Theologi distingvunt inter membra Ecclesiæ viva & emortua, sive putrida, quod illa ad societatem internam; hæc non nisi ad externam referantur. De utrisque nervosè Gerhardus, *Confess. Cathol. h. l. Viva membra pertinent ad Ecclesiam simpliciter & propriè; emortua autem secundum quid & impropriè: illa respectu interioris & spiritualis cum Christo unionis; hæc respectu exterioris professionis & societatis: illa in corde; hæc in apparenti specie: illa judicio Dei; hæc judicio hominum: illa ut de anima & corpore Ecclesiæ; hæc ut de corpore & non de anima: illa ut veræ & sanæ corporis partes; hæc ut scabies & mali in corpore humores.*

11. Potest autem aliquis esse verum Ecclesiæ organon; etiamsi non sit verum membrum: uti baculus est organon hominis; quamvis membrum non sit. Sic in Ecclesiâ se habent mali Ministri.

12. Catechumeni nondum baptizati, in Christum tamen credentes, vera & viva Ecclesiæ membra sunt: nam ut homo inseritur Christo per Baptismum; ita insertio ista non peragitur per solum Baptismum, sed & per Verbum.

Βεβαίωσις, Probatur I. *Quod societas Ecclesiæ externa, malos bonis admistos complectatur.* 1 ex Matth. VII, 21. quo in loco Christus (1) mentionem facit eorum, qui in externa societate Ecclesiæ sunt: Nam eandem fidem cum veris Christianis profitentur, *Christo dicentes: Domine, Domine.* (2) simul indicat, eos malos esse: id quod patet ex consequente, quia *non intrabunt in regnum cælorum:* itemque ex ratione consequentis: quia opponuntur *facientibus voluntatem Patris cælestis.*

2. ex variis similibus, quæ videantur in Apolog. p. 220. (144.)

II. *Quod Ecclesia, ratione societatis internæ & propriè loquendo,*

quendo, sit congregatio Sanctorum: ex iis, quæ prolixiſſimè diſputantur in Apologia p. 222. uſq; ad 232. (145. uſq; ad 151.)

Ἀντίθεσις eſt eorum I. qui negant malos ullo modo ad Eccleſiam pertinere, quin imo hanc cauſam ſuæ receſsionis à nobis allegant, quod palàm malos in cœtu noſtro feramus. Sic Anabaptiſtæ, Quakeri, Labadiſtæ, Browniſtæ & proh dolor! Pietiſtæ, quorum verba & facta recenſentur in Piet. Sect. Art. 1. n. 13. & Concluſion. n. 3. Erweiß der Spenerischen Uberenlung n. 6. Supplement. Synopſ. Art. 27. th. 1. & 4.

II. Qui negant Eccleſiam rectè definiri Congregationem Sanctorum. Sic Pontificii, tempore oblatæ Confesſionis, quibus in Apologiâ reſpondetur. Add. Bellarminus l. 3. de Eccl. c. 7. 9. Iidem Papam, tametſi flagitioſisſimus ſit, non ſolùm pro membro, ſed etiam pro capite Eccleſiæ habent.

III. Qui ſolos prædeſtinatos Eccleſiam conſtituere cenſent. Sic Reformati in Catecheſi Heidelbergenſi.

Theſis II. *Notæ genuinæ & adæquatæ, per quas Eccleſia vera nunc dignoſcitur & â falsâ diſtingvitur, ſunt pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum adminiſtratio. Ex quo patet, notas quindecim â Bellarmino enumeratas & ex mente ejus intellectas, ut ſpurias rejici, nempe (1) Nomen Catholiciſmi, (2) Antiquitatem, (3) Durationem nunquam interruptam, (4) Amplitudinem, (5) Succesſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis usq. deductam, (6) Conſpirationem doctrinæ cum Eccleſiâ antiquâ, (7) Unionem membrorum inter ſe & cum capite, (8) Sanctitatem doctrinæ, (9) Efficaciam doctrinæ, (10) Sanctitatem vitæ, maximè penes Clericos, (11) Gloriam miraculorum, (12) Lumen propheticum (13) Confesſionem adverſariorum, (14) Infelicem exitum hoſtium, (15) Felicitatem temporalem.*

Ἔκθεσις

ἐκθεσις 1. Vera Ecclesia falsæ dupliciter opponitur, vel contradictoriè, ut non-Ecclesiæ, vel privativè, ut corruptæ Ecclesiæ.

2. Corruptio autem illa aut totalis, aut partialis est. Ecclesia totaliter corrupta propriè loquendo non ampliùs meretur nomen Ecclesiæ. At Ecclesia partialiter corrupta, adhuc meretur hocce nomen: si non respectu ejus, quod corruptum est; saltem respectu ejus, quod adhuc integrum superest. Sicuti v. gr. visus partialiter corruptus, in cœcutiente, retinet nomen visûs.

3. De notis veræ Ecclesiæ acturi, præsupponimus, eam impræsentiarum non considerari, juxta internam communionem cum Christo: sic enim videri & ab hominibus quoad membra sua infallibiliter cognosci nequit: sed juxta externam societatem membrorum inter se.

4. Quæritur autem de notis genuinis & adæquatis, quæ cum notato reciprocantur, adeoque subjecto suo soli & semper competunt; non de notis spuriis, & inadæquatis, quæ subjecto suo vel prorsus non competunt, vel eodem latiores, aut angustiores sunt.

5. Genuinæ & adæquatæ notæ necessariò sunt infallibiles, videlicet respectu subjecti docilis; non indocilis. Docile verò subjectum vocatur, quod Spiritum S. in Scripturâ loquentem audit, & sequitur: Reliqui omnes, qualescunque sint, indociles censentur.

6. Quamvis ergo subjectum indocile, v. g. Judæus, Turca, Paganus &c. ex Notis nostris non actu cognoscat veram Ecclesiam; sufficit, quod cognoscere possit. Nam & hedera suspensa, manet nota vini vendibilis; licet â cœco aut oscitante viatore non inquiratur, vel attendatur, quid hedera suspensa significet.

7. Neque obstat, quod Turcis &c. Ecclesia videatur esse notior

notior ipsis notis, à nobis Ecclesiæ assignatis: nam ut verum hoc est, de notitiâ Ecclesiæ confusâ; ita falsum est de notitiâ ejus distinctâ.

8. Cognoscitur autem Ecclesia ex Notis suis, quà cœtum definitè; quà membra indefinitè: ita ut tametsi soli Deo notum sit, qui præcisè homines viva Ecclesiæ membra sint. 2. Tim. II. 19. certò tamen colligamus, ubi vera Christi Ecclesia est, ibi dari viva Ecclesiæ membra.

9. In recensione Notarum Ecclesiæ, apud Orthodoxos nulla est sententiarum diversitas, si spectemus rem ipsam; quamvis diversitas talis occurere videatur, si hæreamus in nudis vocibus. Nam qui plures notas recensent, illi aut unam ex nostris in plures dividunt, aut notis essentialibus, de quibus nunc unicè loquimur, notas accidentales, quæ extra controversiæ statum sunt, associant.

10. Notæ nostræ nulli sectæ competunt ὄντως sive realiter; quamvis apud heterodoxos, saltem ex opinione sociorum, adsint φαινομένως sive apparenter.

11. Ut ad specialia descendamus, prima inter Notas est Verbi prædicatio: non quæcunque; sed pura h. e. menti Spiritus S. conveniens.

12. Quænam verò sit mens Spiritûs S. non ex testimonio Ecclesiæ, præsertim particularis, quæ errare potest; sed ex ipsâ Scripturâ omnis erroris experte, constat.

13. Illa etiam puritas admittit gradus: cum Verbum nunc magis purè, nunc minus purè doceatur, atque inde Ecclesia vel magis pura, vel minus pura, rectè censeatur.

14. Circa secundam Ecclesiæ notam, observandum est: cum Sacramenta se ut Verbum visibile habeant, quod Nota isthæc ad primam, si cui videatur, reduci queat. Istud si fiat, unica tantùm Nota Eccesiæ, nempe pura tractatio Verbi generaliter sic dicti, quod porrò in audibile & visibile subdividatur,

..., superit. Enimverò nunc Sacramenta Verbo specialiter sic dicto opponuntur.

15. Cæterùm legitima Sacramentorum administratio non absolvit Notam Ecclesiæ seorsim; sed unà cum puritate Verbi conjunctim. Fieri enim potest, ut cœtus aliquis legitimè administret Sacramenta, qui tamen, in fidei articulis, corruptione laboret.

16. Quod si verò quis â Sacramentis solitariè spectatis argumentari voluerit, non procedat positivè h. m. Adest legitima Sacramentorum administratio. E. & vera Ecclesia: sed remotivè h. m. Non adest legitima Sacramentorum administratio: E. nec vera Ecclesia.

17. Quod & ipsum tamen non valet, nisi quando & quamdiu Deus vult, ut Ecclesia Sacramentis utatur. Si enim Deo sic placeat, Ecclesia potest carere Sacramento, aut alterutro, ut fiebat inter Israelitas, in deserto circumcisionem intermittentes; aut utroque, ut ante Abrahamum, qui primus de Sacramento utendo â Deo mandatum accepit.

18. Legitima Sacramentorum administratio, non æstimanda est ex accidentibus Sacramenti; sed ex ipsâ essentiâ. Sic Corinthii legitimè utebantur Cœnâ, quamvis eam minùs reverenter tractarent. 1. Cor, XI. 17.

19. Quænam verò sint essentialia Sacramenti, non pendet à definitione Ecclesiæ; verùm Scripturæ. Ecclesiæ quidem est de legitimâ Sacramentorum administratione docere; sed non aliter, quam ipsa fuit â Deo docta.

20. Quod ad spurias Ecclesiæ Notas, ab adversariis allegatas, attinet, ordine eas percurremus. Et quidem circa nomen Catholicismi, vulgatum est illud: *A nomine infirmum argumentum deduci:* maximè si nomini non respondeat nominatum; quo in casu *nomen sine re, est sonorum mendacium.*

21. Cum in Symbolo Constantinopolitano Ecclesia vocatur *una, sancta & catholica*: descriptio ista non petebatur à Notis; sed ab adjunctis Ecclesiæ.

22. Antiquitas, hoc nomine digna, conjunctam habet primam cœlestis doctrinæ puritatem: nomine autem hoc indigna est antiquitas, si recessit â primâ cœlestis doctrinæ puritate; qualem Pontificiis non invidemus.

23. Concedimus, Ecclesiam semper durasse, semperque duraturam esse: si non visibiliter; saltem invisibiliter. Conferatur Thesis quarta in his articulis.

24. Amplitudo promittitur Ecclesiæ Ps. XIX. 5. Rom. X. 18. sed quoad successivam propagationem; non quoad simultaneam constitutionem.

25. Successio doctrinalis ab Apostolis derivata, magni â nobis æstimatur: Successio autem personalis & localis, exigui momenti est.

26. Si per Ecclesiam antiquam, intelligatur ea, quæ Apostolorum temporibus fuit, non refragabimur, quò minùs conspiratio doctrinæ cùm hac Ecclesiâ, inter notas referatur. At quia Pontificii provocant ad Ecclesiam longiùs ab Apostolorum temporibus & doctrinâ remotam, nos conspirationem istam, præsertim, quando â Scripturâ sacrâ recedit, parum aut nihil moramur.

27. Unionem Spiritûs inter membra Ecclesiæ & caput ejus genuinum, nempe Christum, necessariam esse docemus; nequaquam verò unionem loci, inter membra Ecclesiæ & caput ejus fictitium, nempe Romanum Pontificem. Conf. Esaiæ V. 18.

28. Si adversarii doctrinam illam prædicarent sanctam, quæ cùm Scripturâ sacrâ convenit, circa notam hancce, nulla foret dissensio: At quia sanctitatem, ex opinione & definitione Pontificis Romani æstimant, non possumus ei, inter notas Ecclesiæ, relinquere locum.

29. Do-

29. Doctrina Ecclesiæ veræ semper est efficax, quoad actum primum: non semper quoad actum secundum. Obstinata enim hominum malitia passim obstat, quò minus quod in se ad efficiendum potens est, effectum â Spiritu S. intentum sortiatur.

30. Sanctitas vitæ, quam Adversarii in Legendis suis crepant, sæpissimè est apparens, quotiescunque videlicet se exerit in superstitioso opere: quandoquidem Sanctitas vera, semper in charitatem diffundere se debet, ex fideli corde.

31. Miraculi vox tripliciter sumitur (1) Generaliter, pro insolito naturæ aut artis opere: ita septem *miracula mundi* celebrantur apud Plinium L. 36. H. N. c. 5. Add. Valerius Max. L. 1. c. 8. (2) specialiter, pro opere miro Angelorum, Hominumve, quod per applicationem agentis naturalis ad objectum passivum, modo occulto nobisque incognito, producitur, vel (ut in præstigiis) produci videtur. Sic Augustinus L. X. Confess. c. 35. ait: *In spectaculis miracula exhiberi.* (3) Specialissimè, pro opere, *quod fit præter* (aut rectiùs supra) *ordinem* (addo & vires) *totius naturæ creatæ*, uti definitur â Thomâ P. 1. qu. 110. art. 4. ad 2.

32. De miraculis, in postremâ significatione sic appellatis, porrò observandum (1) rariùs esse edita (2) & quidem non sui causâ, sed ad aliud quid majus significandum (3) post confectum majus opus, cessasse (4) edita esse in objectis seriis (5) propter infideles (6) & quidem in confirmationem veritatis anteà prædicatæ (7) inservîisse Ecclesiæ plantandæ; non plantatæ. Ex collatione horum requisitorum cum operibus, de quibus inter nos & Pontificios quæritur, facilè signa mendacia, aut tantùm mirabilia, â veris miraculis discernentur.

33. Prophetia ordinaria, consistens in enarratione Scripturæ, à nobis inter notas Ecclesiæ refertur; non Prophe-

phetia extraordinaria, consistens in prædictione futurorum.

34. Hæc enim non est Ecclesiæ character, sive perpetuum indicium; sed solummodò privilegium, sive temporarium beneficium.

35. Ex Confessione Adversariorum nascitur aliquod præjudicium; non verò infallibile signum.

36. Quando nostrates laudant Ecclesiam Romanam, illud fit respectu dogmatum utrinque concessorum; non autem respectu dogmatum inter nos & Pontificios adhuc controversorum.

37. Infelix hostium exitus, rectè dicitur adversariorum pœna; nullatenus verò Ecclesiæ, de quâ dubitatur, nota.

38. Perpetua felicitas comitatur Ecclesiam triumphantem; non militantem.

39. Defensores Ecclesiæ, aliquando præ hostibus felicitatem temporalem obtinuerunt: sed ita, ut felicitas ista fuerit prærogativa personarum certarum specialis; non nota Ecclesiæ generalis.

Βεβαίωσις. Probatur I. *Quod Notæ genuinæ & adæquatæ, per quas Ecclesia vera dignoscitur, & à falsâ distingvitur, sint pura verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio.* 1. ex Act. II. 41. 42. Unde ita argumentamur: Per quod constituitur Ecclesia vera, per id etiam dignoscitur & à falsâ Ecclesiâ distingvitur. Atqui per puram verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem. Ergo. Minor probatur, ex descriptione Ecclesiæ Apostolicæ, quæ constituebatur (1) per puram Verbi prædicationem. *Receperunt sermonem* v. 41. *erantq; perseverantes in doctrinâ Apostolorum.* v. 42. (2) per legitimam Sacramentorum administrationem, nempe (α) Baptismi. *Baptizati sunt* v. 41. (β) Cœnæ Dominicæ. *Erant perseverantes in fractione panis.* v. 42. quibus verbis synecdochicè dispensatio totius Eucharistiæ describitur.

2. ex 1. Cor. XII. 12. 13. Unde Syllogismum paulò ante formatum repetimus: Per quod constituitur &c. Atqui per puram &c. Ergo. Minor probatur ex descriptione Ecclesiæ Apostolicâ. Consideratur enim ut corpus mysticum: *Sicut corpus* naturale *unum est & membra habet multa* &c. *Ita & Christus*. h. e. corpus Christi mysticum, per Metonymiam Subjecti. Deinde exponitur, per quæ media corpus illud coalescat & conservetur, nempe (1) per legitimam, Sacramentorum administrationem (α) Baptismi, (ἐν ἑνὶ πνεύματι) *in uno spiritu* (sive quod idem est, per unum Spiritum, tanquam causam efficientem regenerationis: ἐν pro διὰ ut Rom. V. 9. Col. II. 18.) *Nos omnes in unum corpus* (h. e. ut essemus unum corpus, sive ut Christo incorporaremur Gal. III. 27.) *baptizati sumus* (β) Cœnæ Dominicæ. *Omnes in unum Spiritum* (h. e. ut esset nobis unus idemque Spiritus, *qui Christi Spiritus dicitur* Rom. IIX. 9.) *potati sumus*: quibus verbis synechdochicè, dispensatio Eucharistiæ indicatur. (2) per puram Verbi prædicationem, quæ in hoc dicto explicitè quidem non ponitur, implicitè tamen subintelligitur, mentione factâ (α) Sacramentorum, tanquam sigillorum Verbi (β) Spiritus S. qui per verbum auditur, donatur & accipitur, ita ut propterea ipsum Verbum vocetur *Spiritus*. Johann. VI. 63.

3. ex requisitis Notarum genuinarum ac adæquatarum: competunt enim notato (1) verè, (2) soli, (3) semper, (4) ita ut notiores sint notato.

II. *Quod Notæ XV. à Bellarmino enumeratæ, ut spuriæ, meritò rejiciantur*, videlicet 1. *Nomen Catholicismi*. Non enim competit veræ Ecclesiæ (1) soli. Nam Ariani ita vocabantur, & cum prævalerent, orthodoxos *Homousianos*, *Athanasianos*, *Basilianos* &c. appellare solebant. Atque etiamnum in Oriente Græci vocantur Catholici; cum è contrario Pontificii ibidem

ibidem commorantes nomine Latinorum contenti ene... gantur (2) semper. Quia Ecclesia fuit, priusquam catholica salutaretur; quæ vox primùm in hac significatione â Paciano, seculi IV. scriptore, usurpata legitur.

2. *Antiquitas.* Non competit veræ Ecclesiæ (1) semper. Quia aliquando nova fuit. Marc I. 27. Act. XVII. 19. (2) soli: quia & Synagoga Diaboli satis antiqua est; quin imo & Christus antiqua multa rejiciebat. Matth. V. 21. 27. 33. 38. 43.

3. *Duratio nunquam interrupta:* propter easdem rationes, quas contra antiquitatem adduximus. Addimus illud Augustini de Catechizandis Rudib. c. 19. *Duæ civitates, una iniquorum, altera sanctorum, ab initio generis humani usq; in finem seculi perducuntur.*

4. *Amplitudo:* Competit potiùs Ecclesiæ malignantium, quàm Ecclesiæ Christi. 1. Joh. IV. 5. Hæc enim describitur, *grex pusillus* Luc XII. 32. illa depingitur ut grex magnus & amplissimus. Apocalyps. XIII. 8.

5. *Successio Episcoporum, ab Apostolis usque deducta.* Nulli hodie Ecclesiæ competit, ne quidem Romanæ. Nam & in hac, loco verorum Episcoporum, sæpè hæretici & mancipia Diaboli sederunt, â quibus utique interrupta fuit Episcoporum successio. v. g. Zephyrinus Montanista, Liberius Arianus, Cœlestinus & Athanasius II. Nestoriani, Vigilius Eutychianus, Honorius I. Monotheleta, Sylvester Magus &c. Hujusmodi casibus obnoxias fore Ecclesias, ab Apostolis licet plantatas, vaticinatus est Paulus Act. XX. 29. 30.

6. *Conspiratio doctrinæ cum Ecclesiâ antiquâ: scilicet non Apostolorum, sed Patrum in seculis sequentibus.* Non potest demonstrari: Quia multa Patrum scripta interierunt: quæ verò supersunt in plurimis inter se pugnant, prouti egregiè ostendit Joh. Dalæus, de *Usu Patrum.* At nota debet esse notior notato.

7. Unio

7. *Unio membrorum inter se & cum capite.* Non competit veræ Ecclesiæ soli: quia & penes cœtum Diaboli reperitur. Matth. XII. 25. 26. Ut de eo sileamus, quod Pontificii per caput intelligant Pontificem Romanum, quem nos pro capite nec agnoscimus, nec unquam agnoscemus.

8. *Sanctitas doctrinæ, scilicet ex opinione & definitione Pontificis Romani æstimata.* Non competit veræ Ecclesiæ, sed ab eâ æquè ac â verbo Dei, longissimè aliena est; id quod ex inductione plerorumque articulorum fidei, dispalescit.

9. *Efficacia doctrinæ.* Non competit veræ Ecclesiæ (1) semper, propter obstinatam malitiam perversorum, in externâ ejus societate commorantium. Unde oriuntur querelæ Es. LIII. 1 (2) soli. Nam & doctrina servorum Diaboli, ex permissione Dei, quandoque efficax est Vid. Act. IIX. 10.

10. *Sanctitas vitæ, maximè penes Clericos.* Cum sanctitas externa atque in oculos incurrens intelligatur, ea non competit Ecclesiæ soli; verùm & hæreticis communis est. 2. Cor. XI. 13. 14

11. *Gloria miraculorum.* Non competit veræ Ecclesiæ (1) soli. Eam quippe & Pagani sibi vendicarunt & hæretici Præ cæteris videatur de Antichristo Apoc. XIII 13. (2) semper. Miracula enim tantùm pertinent ad Ecclesiam plantandam. De plantatâ satisque confirmatâ Ecclesiâ inquit Augustinus L. 22. de C. D. c. 8. *Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Et L. de verâ Relig. c. 25. Cum Ecclesia Catholica, per totum Orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret & eorum consvetudine frigesceret genus humanum quorum novitate flagravit.*

12 *Lumen propheticum.* Non competit Ecclesiæ (1) soli. Nam & penes infideles esse potest, quod patet ex Bileamo Num.

Num. XXIV. 16. (2) ſemper. Quia nullibi, ut donum perpetuum ei promiſſum eſt, nec quod indeſinienter adfuerit, hiſtoricorum teſtimonio comprobari poteſt.

13. *Confesſio Adverſariorum.* Non competit Eccleſiæ (1) ſemper & omni tempore. (2) quoad omnes fidei articulos.

14. *Infelix hoſtium exitus.* Non competit Eccleſiæ (1) ſoli: Nam & multi, qui infideles opgugnarunt, infeliciter perierunt, ut Fridericus Ænobarbus, Imperator Romano-Germanicus, Conſtantinus Conſtantinopolitanorum Imperatorum ultimus, Sebaſtianus Luſitaniæ Rex &c. (2) ſemper. Hypotheſis enim hæc pugnat cum doctrinâ de cruce, quæ teſte Spiritu S. præcipuè Chriſtianos premit. Pſ. XXXIV. 20. Matth. XVI. 24. Actor. XIV. 22.

15. *Felicitas temporalis*, propter easdem rationes, quas contra præcedentem Notam urſimus. Conf. 2. Tim. III. 12. Sir. II. 2.

Ἀντίθεσις eſt eorum I. Qui nullas Eccleſiæ notas dari ſtatuunt, ut Sociniani & Arminiani.

II. Qui ſanctitatem vitæ pro unicâ Eccleſiæ notâ habent, ut Weigeliani, ſimilesq; Fanatici & ſpeciatim Pietiſtæ, quando ex vitâ potiùs de doctrinâ, quàm ex doctrinâ de vitâ judicandum eſſe tradunt, in Supplem. Synopſ. Artic. 2. ad lit. k. Mirum ſanè, quòd Spenerus in ipſâ meridie, ubi veram Eccleſiam reperiret, velut accensâ Diogenis laternâ, inquiſiverit. Ib. Art. 27. th. 1.

III. Qui plures & diverſas â noſtris, Eccleſiæ notas comminiſcuntur, ut Pontificii, ex quibus alii tres, alii quatuor, alii quinque, alii ſex, alii ſeptem, alii viginti, alii centum notas adducunt, Vid. Schertzeri Syſtem. loc. 25. §. 18. p. 712.

Theſis

Thesis III. *Ut una dicatur Ecclesia, non requiritur identitas traditionum & ceremoniarum, ab hominibus institutarum; neque unio membrorum cum Romano Pontifice, ceu visibili Capite: sed sufficit, si homines Ecclesiam constituentes â Deo per eadem salutis media, nempe Verbum & Sacramenta, in idem consortium Sanctorum adoptati, eâdem fide inter se cohæreant, atque ad eundem finem, videlicet gloriam Dei, propriamq́; salutem tendant.*

Ἔκθεσις 1. Tametsi respectu accidentium, aliter atque aliter dividatur Ecclesia: v. g. (1) ratione diversi status, in militantem & triumphantem (2) ratione quantitatis, in universalem & particularem (3) ratione qualitatis, in visibilem & invisibilem &c; nihilosecius, quatenus Ecclesia in se & essentialiter spectatur, per totum orbem non nisi una est.

2. Unitati huic non officit membrorum Ecclesiæ in hierarchias distinctio, aut etiam intervallum locorum & temporum. Nam quoad eos, qui in mundo dispersi habitant, Ecclesia est totum collectivum; at quoad eos, qui accrescunt quotidie, est totum successivum, cujus partibus in continuo fluxu succedunt novæ partes.

3. Multò minùs unitatem istam tollit diversitas in traditionibus & ceremoniis: si videlicet traditiones illæ & ceremoniæ hominibus primam originem debeant: aliter enim judicandum est de traditionibus, quæ ex Dei præcepto ad nos pervenerunt, qualis est traditio de Cœnâ sub utrâque administrandâ. 1. Cor. XI. 23. vid. Apolog. A. C. p. 239. (155.)

4. Alia quæstio est, an conducat, propter tranquillitatem, similesque utilitates, easdem habere ceremonias? & alia, an necessarium sit? Priorem admittimus; posteriorem inficiamur. Vid. Apolog. A. C. p. 235. (152.)

5. Cum Ecclesia sit corpus mysticum, requiritur unio membrorum cum capite: sed cum capite vero, nempe Christo Eph. I. 22 non putatitio, quale est Romanus Pontifex.

6. Proinde si quæratur, an Ecclesia necessariò habeat caput? affirmamus: Si autem quæratur; an necessariò habeat caput visibile? negamus.

7. Ad veram autem Ecclesiæ unitatem requiritur (1) identitas principii, quod est Deus trinunus, Pater Eph. I. 3. 4. Filius Matth. XVI. 18. & Spiritus S. Act. XX. 28. (2) identitas mediorum â parte Dei, nempe Verbi & Sacramentorum, de quibus in præcedenti controversiâ actum est. (3) identitas medii â parte hominum, videlicet Fidei. (4) identitas Finis, qui est gloria Dei & salus uniuscujusque.

8. Christianis, salvâ unitate, dissentire licet de Articulis ad fundamentum nullâ ex parte pertinentibus; nequaquam verò de fundamentalibus.

Βεβαίωσις. Probatur I. *Quod ad unitatem Ecclesiæ non requiratur identitas traditionum & ceremoniarum, ab hominibus institutarum*; ex argumentis, quæ in Apolog. A. C. â p. 233. usque ad p. 239. (& in veteri editione â p. 151. ad p. 155.) exhibentur.

II. *Quod ad unitatem Ecclesiæ, non requiratur unio membrorum cum Romano Pontifice, ceu visibili capite*; ex Apolog. p. 229. 230. (149. 150.) Quia aliud est Ecclesia; aliud regnum Pontificium. Addantur Articuli Smalcaldici, in qvibus clarè nostri ostendunt, Pontificem Romanum non esse caput veræ Ecclesiæ, sed infensissimum ejus hostem & ipsissimum Antichristum. p. 490. sq. 526. sq. (312. sq. 340. sq.)

III. *Quod ad unitatem Ecclesiæ sufficiat, si homines Ecclesiam constituentes, â Deo per eadem salutis media adoptentur & foveantur, eâdem fide cohæreant & ad eundem finem ordinentur*; ex Eph. IV. 3. seq. ubi unitas Ecclesiæ deducitur

(1) ex

(1) ex unitate Dei, tanquam principii. *Unus Spiritus* v 4. *unus Dominus* v. 5. *unus Deus & Pater omnium, qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis* v. 6. (2) ex unitate mediorum â parte Dei. *Unum Baptisma.* v. 5. *unitas Spiritus in vinculo pacis.* v. 3. (3) ex unitate medii, â parte hominis. *Una fides.* v. 5. (4) ex unitate finis. *Vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.* v. 4.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui ad unitatem Ecclesiæ requirunt (1) identitatem traditionum & ceremoniarum. (2) unionem membrorum cum Romano Pontifice, ceu capite: de quo pleni sunt libri eorum, qui de Hierarchiâ Ecclesiasticâ in lucem prodierunt.

Thesis IV. *Ecclesia in Paradiso cum genere humano cœpit, et si intervallum temporis â lapsu usq; ad protevangelium excipiamus, semper duravit, ac ad consummationem usq; seculi durabit: ita tamen, ut sub respectu ad externum publicumq; religionis veræ exercitium, vel visibilis, vel invisibilis esse, rectè statuatur.*

Ἔκθεσις 1. Alia quæstio est, an in statu integritatis fuerit Ecclesia? & alia, an Ecclesia illa fuerit Christiana? Priorem concedimus: posteriorem negamus. Qui enim Christo, ut mediatore, non indigebant, illi nec â Christo, ut mediatore, denominabantur.

2. Hinc Christiana Ecclesia cœpit cum protevangelio, nisi quod fideles V. T. pro Christianis habendi sunt, propter fidem in Christum venturum; fideles autem N. T. propter fidem in Christum præsentem. Certè Eusebius fideles V. T. expresse *Christianorum* nomine complectitur L. I. Demonstr. Evangel. c. 5.

3. Distinctio Ecclesiæ in eam quæ est V. & quæ est N. T. non est generis in species; sed subjecti in accidentia.

4. Ecclesia V. & N. T. convenit (1) quoad causam efficientem, quæ utrobique Deus est: (2) quoad modum justificationis per fidem: (3) quoad objectum fidei, quod est Christi meritum: (4) quoad normam doctrinæ, quæ est Verbum Dei hominibus sufficienter revelatum: (5) quoad bona membris Ecclesiæ promissa, ut sunt remissio peccatorum, gratia fœderalis, adoptio, unio cum Christo, inhabitatio Spiritus S., vita æterna.

5. Inde quamvis cœtus fidelium in V. T. dicatur Synagoga & cœtus fidelium in N. T. Ecclesia; id tamen non est perpetuum. Nam & cœtus fidelium in N. T. aliquando vocatur Synagoga. Jac. II. 2. Hebr. X. 25. & cœtus fidelium in V. T. Ecclesia Act. VII. 38. Quin imo vocabulum קָהָל quod Synagogam significat, à LXX. frequenter redditur Ecclesia. Conf. Deut. XXXI. 30. Jud. XX. 2.

6. Ecclesia V. & N. T. differt (1) circumstantiâ Messiæ Testatoris, qui tunc erat incarnandus & exhibendus; nunc incarnatus & exhibitus (2) objecto promissionum. Tunc enim præter promissiones de rebus spiritualibus & cœlestibus, suppetebant etiam promissiones de rebus secularibus & terrenis; nunc autem Christiani, ut Christiani, tantùm habent promissiones primi illius generis. (3) modo obsignandi promissiones. Tunc enim acquiescebant in umbrâ & typo; nunc gaudemus de re ipsâ & antitypo. (4) ceremoniarum qualitate & varietate, quæ tunc multò onerosior erat, quàm nunc est (5) ratione revelationis. Tunc enim comparativè erant tenebræ; nunc verò lux (6) latitudine: Tunc enim Ecclesia penè apud solos Israëlitas inveniebatur; nisi quod pauci proselyti se iis associaverint: nunc per totum orbem diffusa est (7) duratione: Illa desiit, cum Christus omnia in cruce consummasset; hæc ad consummationem seculi perpetuò manebit.

7 Ita

7. Ita tamen ut vel viſibilis, vel inviſibilis exiſtat, pro diverſitate ſtatus ſui. Abſit, ut duas fingamus Eccleſias, quarum una videatur, altera non videatur, prouti calumniantur Adverſarii; cum nos unam eandemque Eccleſiam, non niſi propter duos diverſos reſpectus modosque conſiderandi, ita diſpeſcamus.

8. Præ cæteris obſervandum, quod diſtinctio hæcce â Theologis diverſimodè exponatur ac intelligatur, videlicet aut ſub reſpectu ad diverſitatem ſocietatis Eccleſiaſticæ; aut ſub reſpectu ad exercitium religionis. Juxta priorem ſenſum Eccleſia viſibilis eſt, quæ omnes vocatos, eandem ſocietatem fidelium externâ profesſione amplectentes, comprehendit: Eccleſia autem inviſibilis eſt, quam ſoli electi, Chriſto internâ unione cordis adhærentes, conſtituunt. Juxta poſteriorem ſenſum, Eccleſia viſibilis eſt, quæ exercitio veræ religionis externo atque in ſenſus incurrente liberè gaudet; inviſibilis autem, quæ ſub jugo hoſtium veritatis, exercitio tali caret, & inter impios latitat: quæ acceptio noſtri fori eſt.

9. Ex dictis patet, diſtingvi inter Eccleſiam liberam & presſam. Illa actu videtur, in cœtibus publicè congregatis; hæc videri poteſt, quamvis aliquando actus ſecundus viſionis, per impedimenta à Tyrannis objecta, intercipiatur.

10. Ita inviſibilis fit: ſed duntaxat reſpectu hominum; non reſpectu Dei. 2. Tim. II. 19.

11. Videntur homines, qui conſtituunt veram Eccleſiam; ſed non quatenus conſtituunt, ſeu in exercitio puræ religionis.

12. Exemplum inviſibilis Eccleſiæ habuimus ante Lutherum: ubi Eccleſia erat ſub Papatu; ſed non erat ipſe Papatus. Idem adhuc uſu venit in Hiſpaniâ, Italiâ &c.

13. Quæ de Eccleſiâ prædicantur ſub certâ ratione, ſcilicet quatenus viſibilis eſt; ineptè transferuntur ad Eccleſiam ſub omni ratione, quaſi neceſſarium ſit, eam ſemper talem eſſe v.g. poni ſuper monte. Matth. V. 14. Eſ. II. 2. Βέβαι

βεβαίωσις. Probamus I. *Ecclesiam in Paradiso cum genere humano cœpisse*, ex Gen. II. 15. seqq. Quia ibi reperiebantur (1) cultus Dei; de quo nemo fortè dubitabit; (2) leges de cultu v 15. 17. 22 seq. (3) subjecta, ad cultum Deo offerendum obligata. v. 22.

II. *Fideles in V. T. à Protevangelii tempore ad Ecclesiam Christianam pertinuisse*, (α) ex Act. XV. 11. Quia in N. T. *credimus salvari per gratiam Domini JEsu Christi, quemadmodum & illi*, nempe Patres in V. T. de quibus agebatur in v. 10. Unde argumentamur: Qui eodem modo nobiscum salvati sunt, nempe per gratiam Jesu Christi, illi nobiscum ad eandem Ecclesiam Christianam pertinuerunt. Atqui fideles in V. T. Ergo. Vindiciæ hujus Oraculi videantur in Exercitatione nostrâ Theologicâ, de Concilio Hierosolymitano Cap. 18. n. 6. (β) ex aliis Scripturæ locis, quæ sequentibus argumentis materiam præbent: Fideles in V. T. (1) habuerunt idem fidei objectum cum Christianis Hebr IV. 2. (2) eodem modo justificati ac salvati sunt. Act. X. 43. (3) in eandem spem vitæ æternæ, per Christum consequendæ, erigebantur. Joh. V. 39. Addantur exempla Gen. XLIX. 18. Job. XIX. 25. sq. Ergo ad Ecclesiam Christianam pertinuerunt.

III. *Ecclesiam usque ad consummationem Seculi perpetuò esse mansuram*. I. ex Matth. XVI. 18. Quia (1) Christus eam vocat *suam* Ecclesiam. Est autem Christi, tanquam *Capitis* sui Eph. I. 22. 23. seq. *Regis* sui Luc. I. 33 sq. *Sponsi* sui Hos. II. 19. Joh. III. 29. Ex quo concludimus: Cujus Caput, Rex, & Sponsus perpetuò manebit, id ipsum quoque perpetuò manebit: Quid enim Caput sine membris? Quid Rex sine subditis? Quid Sponsus sine sponsâ? Subsumimus: Atqui Ecclesiæ Caput &c. Ergo. (2) Fundata est *super petram* immobilem, nempe Christum, quem Petrus confessus erat. Hic enim *petra* dicitur Es. XXIIX. 16. I. Petr. II, 6. itemque

funda-

fundamentum Ecclesiæ, 1. Cor. III. 11. Sic quoque dictum hoc exponunt Augustinus de Verbis Domini Serm. 13. T. 10. item Hilarius, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus &c. Pontificii per petram, de quâ agitur, Petrum Apostolum intelligi contendunt; sed perperam: Nam in textu originali Petrus est masculini, Petra autem fœminini generis: Si ergo de Petro locutus esset Christus, procul dubiò dixisset: *super hunc Petrum*, non (ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ) *super hanc petram*. Deinde Petrus denominatur à petrâ: Terminus autem denominans, â quo descendit terminus denominativus, non potest de subjecto denominato prædicari in abstracto. Addimus & illud; quod Petrus lapsus sit; cum quo Ecclesia necessariò corruisset, si super eum ædificata esset. Vid. Matth. XVI. 22. 23. XXVI. 70. 72. 74. Gal. II. 11. (3) *Adversus eam non prævalere debent portæ inferorum*, id est machinatio & potestas Diaboli, omniumque ejus satellitum, tyrannorum & hæreticorum. Metaphora ex eo deducta est, quod in portis olim judicia & consultationes instituerentur.

2. Ex aliis Scripturæ dictis. Ps. XLVI. 3. seq. Es. XIV. 32.

III. *Ecclesiam propter defectum externi publiciq́ veræ religionis exercitii, quandoque invisibilem esse.* 1. ex 1. Reg. XIX 10. 18 ubi narratur (1) quod Deus tempore Achabi, in regno Israëlitico, habuerit Ecclesiam *septem mille animarum* (2) quod deficiente exercitio religionis publico, seu, ut verba Scripturæ habent, *derelicto pacto Domini, destructis altaribus & occisis Prophetis*, Elias Ecclesiam illam non invenerit. (3) quod idem Propheta putaverit, *se esse solum*, cum quo *Jesebel* omne semen Ecclesiæ radicitus evellere conetur. Si autem ne Propheta quidem tunc videre potuit Ecclesiam; multò minùs eam alii videre potuerunt: Prophetæ enim præ cæteris vocabantur *Videntes*.

2. ex

2. ex 2. Par. XV. 3. ubi talis facies Ecclesiæ futura esse prædicitur, ut Israelitæ sint sine (אֱלֹהֵי אֱמֶת) *Deo veritatis*, id est, sine Deo, veritatem publicè per prædicationem verbi manifestante: item *sine Sacerdote docente* & *curâ legis*: quod impletum est tempore Athaliæ, Ahas, Manassis. Conf 2. Paral. XXXIV. 15.

3. ex Matth. XXVI. 56. ubi de Fugâ discipulorum, tempore passionis Christi, informamur. Ipsi Pontificii fatentur, Christo mortuo, fidem in solius Mariæ pectore conservatam esse; quod ut indicent, quando illius memoria revertitur, extinctis reliquis lucernis, unam tantùm in altari fulgere sinunt.

Ἀντίθεσις est 1. Pontificiorum, qui 1. distinctionem Ecclesiæ in visibilem, & invisibilem, irrident & suggillant. 2. Fideles in V. T. ad Ecclesiam Christianam pertinuisse negant & tres vias ad salutem comminiscuntur, nempe per Naturam, per Legem & per Gratiam seu Christum. 3. quæ de perpetuitate Ecclesiæ universalis prædicta sunt, Ecclesiæ particulari, nempe Romanæ, alligant.

2. Socinianorum inficiantium 1. quod Ecclesia in statu integritatis fuerit. 2. quod Fideles veteris Testamenti Christianis accensendi sint. 3. quod Ecclesia perpetuò manserit, aut mansura sit.

3. Aminianorum, qui similiter omnimodam defectionem Ecclesiæ possibilem esse censent.

4. Anabaptistarum, Weigelianorum, similiumque Fanaticorum, qui sub invisibilis Ecclesiæ nomine nobis obtrudere conantur cœtus absque omni Verbo & Sacramentis.

Thesis

Thesis V. *Quamvis in Ministro Ecclesiæ deligendo, accurata ratio habenda sit orthodoxiæ, probitatis & eruditionis; nihilominus Verbi & Sacramentorum efficacia in Ecclesiâ, non dependet â fide & sanctitate, vel etiam ab intentione, aut aliâ qualitate Ministri, proindeq; Ministerio malorum, in externâ Ecclesiæ societate adhuc comprehensorum, uti licet, præsertim si boni nequeant haberi.*

Ἔκθεσις 1. Alia quæstio est: qualis debeat esse Minister Ecclesiæ? & alia: qualis possit esse? Nemo sanus affirmaverit, Ministrum debere esse malum; interim de efficaciâ ministerii quæritur, si Minister sit malus.

2. Frustrà igitur objicitur, 1. Tim. IV. 12. Ps. L. 16. Nam in his locis de officio Ministri agitur; non de effectu ministerii.

3. Cum autem malitia duplex sit, doctrinæ & vitæ, ita ut Minister ab illâ heterodoxus, ab hac flagitiosus vocetur, & heterodoxia nunc lateat, nunc pateat; idcirco disquiritur, an & quando Ministro malo uti liceat? quem nodum in sequentibus aphorismis solvemus.

4. Ita videlicet procedendum (1) Ministro flagitioso uti licet, usque ad ejus remotionem. (2) Doctrinâ Ministri, qui heterodoxus est, uti licet; sed non quatenus heterodoxus est. Sic ante Lutherum, per textus Biblicos, ab heterodoxis prælectos, Deus sanctum semen in Ecclesiâ sparsit & conservavit. (3) In Sacramento Baptismi, si Minister orthodoxus haberi nequeat, heterodoxo uti licet, dummodo verba institutionis, in legitimo sensu adhibeantur. (4) In Sacramento Cœnæ, tamdiu Ministro heterodoxo uti licet, quamdiu heterodoxia ejus latet; non autem cum patet: quia Eucharistia Symbolum est convenientiæ in doctrinâ, cum eo à quo accipitur.

5. De efficaciâ Ministerii dupliciter quæri potest, vel comparativè, ut sensus sit: An Minister notoriè in vitâ malus, eo-

dem cum fructu, munus suum exsequi præsumatur, q. pius? vel absolutè, ut sensus sit; An qui usi sunt Ministro in vitâ notoriè malo certi esse queant, Deum æquè per malum Ministrum, media salutis ex præscripto Dei dispensantem, agere apud fideles, ac per bonum? Posterior quæstio affirmatur; prior negatur: quia Minister notoriè malus exemplo suo plus destruit, quàm ædificat. Conf. Rom III. 19. sq.

6. Canon iste: *Quod quis non habet, alteri dare non potest:* valet de causâ principali; non de instrumentali, quæ elevatur, ad producendum opus, suâ virtute superius. Nam uti v. gr. Organon Musicum exhilarat animos, quamvis ipsum non lætetur: & statua Mercurialis viam monstrat, quamvis ipsa eam non calcet: ita similiter malus Minister ad salutem perducere potest hominem, quamvis ipse extra orbitam salutis versetur.

7. Ut de intentione aliquid adjiciamus, hæc requiritur equidem ad Ministri personam & officium; nequaqvam verò ad Sacramenti integritatem & activitatem. Add. quoque ex Thesi I. Observ. II. p. 195.

Βεβαίωσις. Probatur I. *Quod in Ministro Ecclesiæ deligendo, accurata ratio habenda sit Orthodoxiæ, probitatis & eruditionis.* 1. ex Tit. I. 5 sqq. ubi Titus, in constitutione Presbyterorum, ab Apostolo Paulo attendere jubetur (1) ad orthodoxiam, an *firmiter adhæreant fideli sermoni* v. 9. (2) ad probitatem, ut sint ἀνέγκλητοι, quasi dicas *inaccusabiles*, quos nemo, ob notorium aliquod crimen, in jus vocare queat v. 6. 7. ut sint *unius uxoris mariti;* quibus verbis Polygamia simultanea rejicitur; non successiva: ut *liberos habeant bene educatos* v. 6. ut non sint *sibi placentes, iracundi, vinosi, percussores, turpem quæstum facientes* v. 7. ut sint *temperantes, justi, pii, continentes.* v. 8. (3) ad eruditionem, an possint *exhortari doctrinâ sanâ & contradicentes convincere.* v. 9.

2. ex

2. ex aliis Scripturæ locis, in quibus à Ministro requiritur (α) Orthodoxia Matth. VII. 15. 1. Joh. IV. 1. 2. Joh. 10. (β) Probitas vitæ 1. Tim IV. 12. 1. Petr. V. 2. (γ) Eruditio 2. Tim. II. 2. Sirac. XIIX. 19.

II. *Quod efficacia Verbi & Sacramentorum, non dependeat à fide ac sanctitate, aliâve qualitate Ministri, quodque adeò ministerio malorum uti liceat* 1. ex Matth. XXIII. 2. seqq. quem locum etiam Augustana Confessio allegat. Commendatur in eo ministerium *Scribarum & Pharisæorum*, tanquam efficax, ita ut ad illud auditores Christi remittantur v. 2. 3. Nihilo tamen secius de malitiâ eorum prolixæ texuntur querelæ, imprimis (1) de hypocrisi v. 4. 5. (2) de ambitione v, 6. 7 (3) de invidiâ v. 13. (4) de avaritiâ v. 14. (5) de crudelitate v. 34. 35. (5) de traditionum ineptissimarum cumulatione v. 16. sqq. A quibus omnibus Christus suos dehortatur v. 3.

2 ex aliis Scripturæ locis Rom. III. 3. Phil. I. 16. 18.

3. ex Analogiâ: Minister non suo, sed Christi nomine, Verbum & Sacramenta administrat. Ergo suo vitio, si cætera rectè se habeant, media nomine Christi adhibita non potest reddere irrita.

III. *Quod efficacia Sacramentorum non dependeat, ab intentione Ministri.* 1. ex 1. Cor. III. 5. 6. 7. ubi Ministri describuntur ut instrumenta Dei. Nam (α) *per illos creditur, ut cuiq; dat Dominus* v. 5. (β) *eorum plantatio & rigatio non prodest, nisi in quantum Deus dat incrementum* v. 6. (γ) Deus *per eos agit* v. 7. Unde concludimus: Qui se in operationibus spiritualibus, ut instrumenta habent, à parte eorum defectus intentionis non evertit efficaciam, à causâ principali dependentem. Aqui Ministri. Ergo.

2. ex Rom. III. 2. 3. quod sequenti argumento materiam præbet. Si *fides*, seu constantia in promisso Dei, *non evacuatur*

per infidelitatem hominum & quidem hominum illorum, *quibus credita sunt eloquia Dei;* utique efficacia Sacramentorum, per quæ Deus bona promissa nobis offert, non dependet ab intentione Ministrorum, quæ infidelibus plerumque deest. Atqui verum est prius: Ergo & posterius.

Ἀντίθεσις est 1. Donatistarum & Anabaptistarum, qui negant, licitum esse uti ministerio malorum, utpote omni efficaciâ (ex illorum mente) destituto.

2. Pontificiorum, qui intentionem Ministri ad integritatemSacramentorum requirunt & consequenterSacramento, sine intentione Ministri celebrato, nullam efficaciam concedunt. Iidem tamen, velint nolint, admittere coguntur, de intentione istâ apud homines, qui Sacramenta accipiunt, nullam esse certitudinem: Nam Antoninus Florentinus & alii in libellis confessionalibus, exMinistris quærere jubent, utrum semper intentionem habuerint, nec ne? Quo examine non opus foret, si intentionem semper foverent. Qui autem incertus est de intentione Ministri, idem, juxta Pontificiorum hypothesin, etiam incertus est, de ipso Sacramento: atque ita nemo eorum certò affirmare potest, quod baptizatus, imo ne quidem quod ex matrimonio legitimo natus sit; cum & matrimonium inter Sacramenta referant.

3. Pietistarum, qui Ministrum, si è statu gratiæ exciderit, Ecclesiæ parum aut nihil prodesse contendunt. Unde nata est eorum distinctio, inter prædicatores ex naturâ & ex gratiâ (unter Natur-und Gnaden-Predigern.) Plura videantur in Supplement. Synops. Art 28. th. 4. Pietism. Sectar. Art. 3. n. 14. Wigandian. de Ministerio n. 4. p. 102. sq.

III. VINDICATIO.

Accusamur

I. Quod recesserimus ab Augustanâ Confessione, siquidem hæc doceat, *unam, sanctam, catholicam Ecclesiam perpetuò man-*

suram

suram esse. Art. 7. cum nos ex adverso doceamus, eandem aliquando esse invisibilem. Invisibilem verò Ecclesiam non esse Ecclesiam; cum in eodem Articulo Ecclesia definiatur *congregatio Sanctorum, in quâ Evangelium rectè docetur & rectè administrantur Sacramenta*; quæ utique necessario in visum incurrat. Resp. In prioribus verbis Ecclesia, cum dicitur *perpetuò mansura* esse, consideratur generaliter, in abstractione à visibili & invisibili; in posterioribus, cum describitur *à Verbi & Sacramentorum exercitio*, consideratur specialiter, juxta statum florentem. Quod verò inde excidere possit, indicatur in Articulo IIX. mentione factâ eorum temporum, in quibus *cathedram Mosis* occupaverant *Scribæ & Pharisæi.* Vid. plura in D. Alberti Refutatione Confessionis Anti-Augustanæ P. II. c. 3. p. 132. seqq.

II. Quod aut deseruerimus veram Ecclesiam, aut Ecclesia Pontificiorum ante Lutherum fuerit vera Ecclesia. Resp. Cum Mentzero in Exeg. Aug. Confess. Art. 8. §. 22. *In Ecclesiâ Christianâ diligenter & accuratè distingvimus id, quod ad ipsam, ut ita loquar, substantiam Ecclesiæ pertinet & illud, quod aliunde invasit; h. e. inter Christum, ipsius Verbum & Sacramenta, & inter Papam, humanas glossas & traditiones.* Papam cum glossis & traditionibus suis deseruimus; non veram Ecclesiam, quæ & ante Lutherum, quamvis glossis & traditionibus Papalibus miserè deformata, extitit. Conf. Thesis II. in Ἐκθ. Observ. 1. & 2. p. 197.

III. Quod magna sit dissensio de capitibus fidei inter Theologos nostros; quæ dissensio Formulam Concordiæ pepererit: Ex eo autem sequi, penes nos non esse veram Ecclesiam; quandoquidem in Ecclesiâ verâ, juxta Aug. Confess. debeat *rectè doceri Evangelium*: quod apud dissentientes fieri nequeat; cum veritas non nisi una sit. Resp. Nulla est dissensio inter Theologos utrinque nostros; sed inter Theo-

logos hinc nostros, & inde heterodoxos, qui *egressi sunt ex nobis, quod non essent de nobis* 1. Joh. II. 19. Vid. Præfat. in Form. Concord. itemque D. Alberti in Refutatione Confessionis Anti-Augustanæ P. II. c. 3. §. 4. sqq. p. 136. ubi inter alia, ex Lindani Panopliâ, memorabile testimonium de dissensione inter Pontificios adducitur. Ita enim ille: *Discors concordia, inter concordes Catholicos, Catholicæ matris filios, discorditer concordes, discordi concordiâ concorditer dissentientes & concordi discordiâ discorditer orthodoxè consentientes.*

IV. Quod Apologia Augustanæ Confessionis p. 237. (153) ipsaque Confessio p. 68. (42. 43.) diei dominicæ originem derivent ex constitutione Ecclesiasticâ; cum Danhauerus aliiq; Theologi ex nostratibus, eandem deducant, ex institutione divinâ. Resp. Distinguimus inter observationem unius diei in hebdomadâ & inter observationem præcisè diei primi in hebdomadâ. De illâ intelligendi sunt Theologi, qui originem diei dominicæ ad Deûm referunt; de hac autem libri nostri Symbolici. Videantur plura in D. Carpzovii Isagoge p. 320.

ARTICULUS IX.

DE BAPTISMO.

I. EXPLICATIO.

In variatâ Confessione (1) post verba illa: *De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem*; additur: *tanquam Ceremonia à Christo institutâ*: quæ propter Refotmatos rectiùs omittuntur. Tametsi enim Baptismus sit Ceremonia, non tamen est nuda & mera Ceremonia; sed simul efficax medium, quo utitur Deus in salvandis hominibus: (2) pro illis, *quod pueri sint baptizandi, qui per*

...r Baptismum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei; substituitur: *quod infantes sint baptizandi, & quod infantes per Baptismum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei & fiant filii Dei:* Quæ ambiguè dicuntur & duplicem sensum admittunt, aut quod Infantes per Baptismum tantùm commendentur Deo & deinde alio modo recipiantur &c. aut quod uterque effectus à Baptismo proficiscatur. Prius illud non Reformatis solùm, sed & Socinianis, Anabaptistis &c. qui de Baptismo abjectè sentiunt, patrocinatur. (3) Reliqua, quæ adjiciuntur, ferri possent, ut post verba jam demum allegata: *Sicut Christus testatur, loquens de parvulis in Ecclesiâ. Matth. XIIX. Non est voluntas Patris vestri, qui in cœlis est, ut pereat unus ex parvulis istis.* Item in Antithesi, quod Anabaptistæ doceant, infantes sine Baptismo *& extra Ecclesiam* salvos fieri.

Cæterùm in genuinâ Confessione p. 16. (12.) agitur de Baptismi

- I. Adjuncto, nempe necessitate. *De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem.*
- II. Effectibus
  - 1. respectu Dei. *Quodque per Baptismum offeratur gratia Dei.*
  - 2. respectu Hominum. *Quod per Baptismum oblati Deo, recipiantur in gratiam Dei.*
- III. Subjecto. *Et quod pueri sint baptizandi:* videlicet adultis, si ex infidelitate convertantur, non exclusis; sed inclusis.

APOLOGIA p. 241. 342. (156. 157.) continet tria, videlicet

- I. Quod approbatus sit hic Articulus. *Nonus Articulus —— ad salutem.*
- II. Quod nulli inter Evangelicos dentur Anabaptistæ. *Et quoniam Evangelium —— munitus est.*
- III. Quod Baptismus parvulorum jure retineatur,

1. Pro-

1. propter Baptismi finem. *Et cum plerosque alios e, res Anabaptistarum —— ut applicetur eis promissio salutis.*
2. propter Christi mandatum. ***Juxta mandatum Christi: Baptizate omnes gentes.***
3. propter consequentias alias,
   1. Quia offertur omnibus salus, *Ubi sicut offertur—cum Baptismo offertur.*
   2. Quia Deus dat Spiritum S. sic baptizatis. *Secundò manifestum est——fanaticas opiniones.*

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Necessitas Baptismi duplex est, præcepti & medii; ut propterea omnes, quandocunque fieri potest, ad eum suscipiendum obligentur.*

Ἔκθεσις 1. Necessarius est Baptismus, non tamen respectu Dei; sed respectu hominum. Homines tenentur uti Baptismo; quamvis Deus non teneatur semper agere per Baptismum, aut non agere nisi per Baptismum.

2. Agnoscimus, Baptismum institutum esse, pro Ecclesiâ nascente; sed non agnoscimus, Baptismum institutum esse pro solâ Ecclesiâ nascente; verùm etiam pro crescente & proficiente.

3. Cum Baptismus ceremonia aut ritus dicitur, intelligimus ceremoniam universalem; non particularem: ritumq; perpetuum; non temporarium.

4. Cavendum, ne à silentio Scripturæ, scilicet quod hic vel ille non legitur esse baptizatus; argumentemur ad negationem rei ipsius, scilicet quod hic vel ille non sit baptizatus.

5. Qui-

5. Quidam per Verbum renati sunt, ante susceptionem Baptismi: quibus equidem Sacramentum hocce non profuit ad fidei vitæque spiritualis acquisitionem; sed tamen ad ejusdem confirmationem & incrementum.

RESPON. CAROLO Schmidt Gedan.

6. Baptismus dicitur necessarius necessitate præcepti; quia ex mandato Christi institutus est. Hoc verò præceptum seu mandatum urgere licet de iis, qui ex voluntate instituentis sub illo comprehenduntur; sed extendere non licet ad eos, qui ex voluntate instituentis ab illo excipiuntur. Non igitur præceptum istud violarunt fideles ex gentibus, qui ante resurrectionem Christi, sine Baptismo decesserunt; cum Baptismus tunc nondum gentibus præceptus fuerit: neque etiam violavit Johannes Baptista, utpote qui non jussus est baptizari; sed baptizare.

7. Quod ad reliquos attinet; non videndum quid in primitivâ Ecclesiâ à multis factum sit; sed quid fieri debuerit. Nam *multitudo errantium*, qui Baptismum temerè, usque ad extremum vitæ, differebant, *non parit errori patrocinium.*

8. Baptismus dicitur necessarius, necessitate medii; quia Deus in applicatione salutis Baptismo ceu medio uti solet. Loquimur autem de medio salutis ordinario: præter quod Deo suppetere media extraordinaria, nemo nostrum inficias ibit.

9. Quemadmodum enim Deus agit per Sacramenta; ita non alligatur Sacramentis. Quapropter infantibus sine Baptismo decedentibus, promiscuè salutem denegare, haudquaquam audemus. Vid. Art. II. Aug. Conf. de Peccato Thes. III. in Ἐκθ. § 6. sq. p. 75.

10 Ex Thesi patet, non adstruere nos necessitatem Baptismi absolutam; sed conditionatam. Ad ejus enim susceptionem omnes obligari dicuntur, *quandocunque fieri potest.* Cæteris qui Baptismum obtinere nequeunt, subvenit axioma: *Non privatio damnat, sed contemtus.*

Βεβαίωσις. Probatur, *quod Baptismus necessarius sit* I. *necessitate praecepti* 1. ex Matth. XXIIX. 19. 20. Marc. XVI. 15. Nam Discipuli Christi jubentur baptizare (1) *omnes gentes* (2) *in universo mundo* (3) *usque ad consummationem seculi*. Quamdiu enim promissio & gratiosa Christi assistentia durare debet, tamdiu mandatum ejus discipulos obligat. Quod autem de Baptismo aquae, non doctrinae, impraesentiarum agatur, patet (1) quia conjunguntur *docere & baptizare* (μαθητεύσατε βαπτίζοντες). Nisi ergo ταυτολογίαν fingere velimus, necessarium est, ut concedamus, quod aliud sit *docere*, & aliud *baptizare* (2) quia Christus eum Baptismum in perpetuum usum instituit, quem non solùm ipse acceperat, verùm etiam Discipuli ejus hactenus administraverant, & posteà administrabant. At ille erat Baptismus aquae: quod patet de Christo, ex Matth. III. 16. & de Discipulis ejus, ex Joh. IV. 1. Act. IIX. 38. X. 47. (3) quia Baptismus discipulorum & Christi, ejusdem naturae fuisse indicatur, cum Baptismo Johannis, qui sine dubio erat Baptismus aquae, contradistinctus doctrinae. Conf. Joh. IV. 1. (4) quia cum Baptismus propriè significet lotionem aquae, impropriè autem alia; impraesentiarum, ubi Christus Discipulis valedicturus praecipit, quomodò post ascensionem ejus in Ecclesiâ se gerere debeant, locum habent axiomata: *Analogum per se positum stat pro significatione famosiori*: item: *A proprietate verborum, praesertim in propriâ sede articulorum fidei, non est temerè recedendum.*

2. Ex alio Scripturae dicto. Actor. II. 37. *Baptizetur unusquisque.*

II. *Necessitate medii* 1. ex Joh. III. 5. Nam (1) sine Baptismo nemo ordinariè potest ingredi regnum coelorum. (2) per Baptismum & Spiritum homo regeneratur. Conf. Tit. III. 5. Si ergo regeneratio est necessaria Joh. III. 3. etiam id, per quod homo regeneratur, est necessarium. (3) Juramen-

...ramentum Christi, Nicodemo de medio salutis sollicito (Joh. III. 4.) præstitum, indicat, medium illud ordinariè esse necessarium.

2. Ex aliis Scripturæ dictis. Act. II. 16. 1. Petr. III. 21.

Ἀντίθεσις est 1. Socinianorum, qui (1) negant Baptismum aquæ à Christo esse institutum (2) eundem pro liberâ ceremoniâ habent (3) omnem ei virtutem adimunt.

2. Weigelianorùm, qui similiter libertatem assumendi Baptismum, aut ab eo abstinendi, adstruunt.

3. Quackerorum, qui Baptismum planè tollunt, & non nisi temporariam ceremoniam fuisse, blaterant. Vid. Quackerismus Confutat. Art. 23. Hypoth. n. 2. p. 354.

Thesis II. *Baptismus in Scripturâ S. non institutus est pro solis adultis, verùm etiam pro infantibus, utriusque sexus; qui proinde, nisi illi in quorum potestate sunt, dissentiant, possunt & debent baptizari.*

Ἔκθεσις 1. Quod Baptismus institutus sit pro adultis, concedimus: quod pro solis adultis, negamus.

2. Confirmatur autem institutio Baptismi ex Traditione; sed non exclusivè: quia in ipsâ etiam Scripturâ fundatur.

3. Etsi enim in Scripturâ de Baptismo infantum, non habeamus mandatum speciale; sufficit tamen, quod de omnibus hominibus baptizandis, suppetat mandatum generale.

4. Hæc æquè ac multa alia in Scripturis κατὰ διάνοιαν & implicitè continentur; tametsi κατὰ ῥητὸν & explicitè haud legantur.

5. Non diffitemur, in Ecclesiâ plantandâ priùs informatos esse homines, quàm baptizatos: Nam cum Sacramenta sint thesauri Ecclesiæ, oportebat priùs colligi Ecclesiam, quàm thesauri ejus dispensarentur: At nunc agitur de Ecclesiâ plantatâ, quæ actu existit & thesauros suos liberaliter, etiam infantibus, dispensat.

6. A circumcisione ad Baptismum valet consequentia, cum de fine agitur; non cum de subjecto. Illa enim ad masculos restricta est; hic verò ad utrumque sexum pertinet. Gal. III. 28.

7. Distingvimus inter infantes fidelium & infidelium. Illi, tametsi tantùm alterutro parente fideli gaudeant, sine dubio baptizandi sunt; quoad hos, aliter comparatum est.

8. Dispiciendum scilicet, utrùm adhuc in potestate infidelium parentum sint? an legitimè in potestatem fidelium v. gr. per adoptionem, emtionem, bellicam captivitatem &c. pervenerint? Quamdiu infidelium liberi in parentum suorum potestate sunt, baptizari nequeunt, nisi parentibus consentientibus, & quod eos à religione Christianâ seducere nolint, promittentibus. Alioqui enim Evangelium, uti Politias non abolet, ita nec Oeconomias disturbat; sed parentes suo jure in liberos frui permittit. At cum infidelium liberi, in fidelium potestatem concesserunt, baptizari possunt & debent.

9. Pædobaptismo imprimis obvertitur, quod fœdus, quale in Baptismo pangitur, inituri, utrinque capita fœderis intelligere debeant. Sed hoc ne inter homines quidem semper locum obtinet; cum sæpe tutores promittant pro pupillis infantibus: quantò minus valebit de fœdere inter Deum & hominem; quia Deus etiam cum irrationalibus creaturis fœdus pepigisse legitur. Gen. IX. 9. 10.

10. In reliquis argumentis, petitio ejus quod in principio est, committitur. E. gr. quod Sacramenta tantùm ad perfectos pertineant: quod Sacramenta tantùm instituta sint ad commemorationem: quod in infantes non cadat fides: quod Baptismi & Eucharistiæ sit eadem ratio &c.

Βεβαίωσις. Probamus, *Infantes posse & debere baptizari.* 1. ex Matth. XXIIX. 19. & Marc. XVI. 16. Quia (1) *omnes gentes* jubentur baptizari, quo nomine etiam infantes comprehenduntur. Non obstat, quod præmittitur mandatum, de

docendis gentibus. Nam in Græco habetur verbum μαθητεύσατε *discipulos facite*: id quod apud adultos prædicatione verbi, apud infantes ipsâ administratione Baptismi fit. (2) De sensu præcepti, ex ejus executione, apud morigeros tutò judicatur. Si igitur Apostoli, qui præceptum acceperant, infantes baptizarunt; sequetur iis præceptum esse, ut infantes baptizarent. Antecedens autem constat ex eo, quod integras familias baptizasse leguntur, in quibus non potuerunt non infantes fuisse Act XVI. 15. 33. XIIX. 8. 1. Cor. I. 16. (3) Modus & forma Baptismi, quandò *in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* conferri jubetur, indicat, eundem quoque ad infantes pertinere. Nam Baptizati sic in fœdus SS. Trinitatis recipiuntur 1. Petr. III. 21. cujus fœderis infantes quoque esse capaces, constat ex Gen. VII. 7. (4) Infantes ordinantur ad finem Baptismi, nempe salutem Marc. X. 14. Ergo etiam ad medium, nempe Baptismum.

2. Ex Act. II. 38. 39. Quia (1) (ἕκαστος) *unusquisque* baptizari jubetur. Ergo & infantes (2) Promissio fœderalis *liberis* promiscuè facta legitur, sine distinctione ætatis: quibus autem facta est promissio fœderalis, ad illos pertinet medium, per quod homines recipiuntur in fœdus Dei; cujusmodi apud infantes, qui Verbi haud sunt capaces, nullum aliud est, nisi Baptismus. (3) Uti in V. T. *promissio* fœderalis applicabatur liberis adhuc infantibus, per Circumcisionem; ita in N. T. iisdem applicanda est per Baptismum. Nam gratia N. T. non est arctior gratiâ V. T. & Baptismus N. T. in locum Circumcisionis successit Col. II. 11. 12. (4) Baptismus æquè ac promissio destinatur omnibus, *quoscunque advocaverit* Deus. Jam verò etiam infantes advocavit & quidem ad ultimum promissionis hujusce finem, nempe *salutem æternam* Matth. XIIX. 14. XIX. 14. Marc. X. 14.

3. Ex reliquis argumentis, in Apologiâ Auguſtanæ Confeſſionis adductis p. 240. ſq. (156. 157.) quæ compendiosè excerpta videantur in Explicatione p. 221.

Αντίθεσις eſt 1. Anabaptiſtarum, qui inde nomen acceperunt, quod in infantiâ baptizatos, tanquam Sacramenti hujus incapaces, rebaptizent. Tales apud nos ſunt Mennoniſtæ.

2. Socinianorum, qui cum Anabaptiſtis idem ſentiunt.

3. Pontificiorum, qui (1) Pædobaptiſmum ſolâ traditione niti contendunt (2) liberos infidelium, invitis ignarisve parentibus, ſi fieri queat, baptizandos eſſe ſvadent & in terris infidelium clanculum baptizant.

4. Browniſtarum in Angliâ, qui infidelium infantibus jus ad Baptiſmum denegant.

5. Quackerorum, de quibus conſulatur Quackeriſmus Confutatus Art. 23. Hypoth. 4. p. 361.

6. Pietiſtarum nonnullorum, quorum verba referuntur in Supplement. Synopſ. Art. 25. Theſ. 2. Ex Hyperpietiſtis Dippelii pronunciata exhibentur in Wigandianis de Baptiſmo n. 2. §. 3. p. 131. ſq.

Theſis III. *Baptiſmus non eſt mera ceremonia & nudum ſignum; ſed efficax medium, per quod Baptizatis gratia adoptionis, id eſt regeneratio, juſtificatio, renovatio, liberatio à morte & Diabolo æternaque ſalus offertur & niſi hypocritæ fuerint, etiam actu confertur ac veluti ſigillo obſignatur.*

Ἔκθεσις 1. Baptiſmum eſſe ceremoniam, largimur; eſſe meram ceremoniam, inficiamur.

2. Sic quoque verum eſt, Baptiſmum ſignificare aliquid; ſed falſum eſt, omnem ejus virtutem in ſignificando conſiſtere.

3. Id

3. Id quod adversus illos negamus, qui Sacramenta faciunt nuda signa: si non nuda à significatione; saltem nuda à re signatâ.

4. Nos Baptismo salutares effectus adscribimus: qui tamen non proveniunt, ex aquæ vi naturali & elementari; sed ex ejusdem vi supernaturali & sacramentali.

5. Neque enim sub respectu ad tales effectus, aqua consideranda est, tanquam res terrena, quæ rei cœlesti opponitur; sed quæ cum re cœlesti unitur.

6. Ita quidem ut effectus isti proveniant à Deo, tanquam à causâ principali simulque à Baptismo, tanquam à causâ instrumentali.

7. Baptismus etiam est signum ejusmodi effectuum: non tamen merè significativum; verùm simul exhibitivum.

8. Ut ad specialiora deveniamus, per Baptismum consequimur gratiam adoptionis; quo nomine comprehenditur Regeneratio, Justificatio, Renovatio, Liberatio à morte & Diabolo, & æterna salus, de quibus distinctiùs acturi, omnia ad sequentes aphorismos revocabimus.

9. Homo regeneratur per Baptismum; non tamen per solum Baptismum: Quia eadem efficacia etiam Verbo divino attribuitur 1 Petr. I. 23.

10. Remissio peccatorum & Justificatio in Baptismo non infunditur; sed à Christo acquisita offertur: ut Baptismus sit quasi manus Dei, nobis peccatorum veniam dispensantis.

11. Actualis peccatorum remissio, præteritum tempus respicit: cum nequeat dici remissum, nisi quod est commissum: At promissio de certitudine remissionis etiam ad futurum tempus se extendit.

12. In peccato quatuor concurrunt, à quibus liberandi sumus, nempe Reatus seu Imputatio, Dominium seu Regnum, Sensus ac denique Radix. A primis duobus liberamur

mur per Baptiſmum, & quidem à Reatu, quatenus Baptiſmus eſt *lavacrum regenerationis*; à Dominio autem, quatenus Baptiſmus eſt *lavacrum renovationis*: à duobus reliquis liberamur per mortem.

13 Per Baptiſmum *teguntur* peccata, juxta modum loquendi biblicum Pſ. XXXII. 1. Enimverò non tantùm teguntur; ſed & verè tolluntur, quamvis alio modo, quàm Adverſarii, volunt.

14. Ut iſta accuratius explicentur, ſciendum, quod peccatum dupliciter ſpectari queat, abſolutè ſeu ſecundum ſe & reſpectivè ſeu in ordine ad ſubjectum, id eſt perſonam, quæ à peccato afficitur & propterea ad pœnam obligatur. Utrobique quoad materiale & formale ejus, ulteriori circumſpectione opus eſt.

15. Peccati abſolutè ſumti materiale eſt qualitas; formale autem eſt ἀνομία ſeu illegalitas. Hoc ſenſu formale peccati per Baptiſmum, non quidem plenè tollitur; ſed tamen ita debilitatur, ut à renato per Spiritum S. magis magisque mortificari queat.

16. Peccati reſpectivè ſumti materiale eſt ipſa illegalitas; formale autem eſt reatus, ſeu meritum pœnæ. Hoc ſenſu formale peccati per Baptiſmum plenè tollitur: non quidem à peccato; nam reatus peccato inſeparabiliter adhæret; ſed tamen à ſubjecto peccati, id eſt ab homine.

17. Alii diſtingvunt inter reatum activè conſideratum, quatenus reum facit, & paſſivè ſic dictum, quatenus à reo habetur. Peccatum nunquam eſt ſine reatu paſſivo: At peccator poſt remiſſionem in Baptiſmo factam, eſt ſine reatu activo. Peccatum nunquam eſt veniale in ſe Pſ. V. 6. ſed tamen veniale fit, reſpectu perſonæ, cui condonatur.

18. Cum ergo peccatum per Baptiſmum legitur *aboleri*, *ſepeliri* &c. Rom. VI. 4. id non intelligendum eſt, de actu; ſed

sed de reatu: non de fomite; sed de labe: non secundum esse absolutum; sed secundum esse respectivum: non ut non sit; sed ut non obsit, seu ut non imputetur: non quà annihilationem; sed quà remissionem: non quà vitium; sed quà supplicium.

19. Peccata, quæ per Baptismum remittuntur, sunt inæqualia: at gratia quæ offertur, aut confertur baptizatis, est æqualis: si non in accidentalibus e. gr. ut omnes baptizati loquantur novis lingvis; ut omnes miracula patrent &c. quemadmodum nonnullis in primitivâ Ecclesiâ contigit. Act. XIX. 5. 6. saltem in essentialibus v. gr. ut omnes baptizati Christum induant. &c.

20. Renovatio, quæ per Baptismum contingit, in hâc vitâ inchoatur; in alterâ demum vitâ consummabitur: ut proinde non fiat in instanti; sed successivè.

21. Quare cavendum, ne status viæ seu militiæ, in quâ jam degimus; confundatur cum statu patriæ, seu victoriæ, quam aliquando consequemur, ubi nullum remanebit peccatum. Cant. IV. 7.

22. In statu viæ seu militiæ, per Baptismum totus homo sanctificatur; sed non totum hominis. Consequimur primitias novitatis; sed cum quibus supersunt reliquiæ vetustatis. Interim vetustas inhærens remittitur & per sanctitatem Christi imputatam ita tegitur, ut totus homo coram Deo sanctus reputetur Ps. LI. 9. Es. I. 18.

23. Peccatum & justitia, tenebræ & lux, nequeunt simul esse 2. Cor. VI. 14. scilicet quoad eosdem gradus; bene tamen quoad diversos gradus, ut in Renatis justitia dominetur & peccatum, actu præsens, supprimatur ac opprimatur.

24. Quod à Deo fit, perfectum est, nempe quà principium agens; licet idem illud certo respectu imperfectum dicatur, nempe quà subjectum patiens. Ita Deus per Baptismum

mum operatur renovationem perfectè; licet ea in nobis, propter reliquias veteris hominis, sit imperfecta. Nam *receptivum non recipit, juxta modum imprimentis; sed juxta modum receptivitatis suæ.*

25. Per Baptismum quoque liberamur à morte: non solùm æternâ; sed etiam temporali: si non quatenus hæc est finis vitæ naturalis; tamen quatenus est janua mortis æternæ. Nam per Baptismum applicatur nobis mors Christi; quo ipso mors temporalis credenti in svavem *somnum* convertitur, juxta Christi verbum Joh. IIX. 51. V. 24.

26. Liberatio à Diabolo, in Baptismo non contingit per novam ex captivitate hac eductionem; sed per victoriæ Christi applicationem, ut baptizati cum Christo dicere queant: *Venit Diabolus & in me non habet quicquam* Joh. XIV. 30.

27. Æterna salus per Baptismum, tam quoad jus confertur; quàm quoad ipsam possessionem. Sicuti enim Baptismus viventi spem salutis æternæ facit; ita morienti rem ipsam, seu id quod speravit, actu præstat.

28. Non obstat, quod iidem effectus etiam Christo & & Fidei nostræ adscribantur: Nam respectus, sub quo idem prædicatum, de diversis subjectis enunciatur, semper est alius atque alius. A Christo enim hæc sunt, ut à causâ meritoriâ; â Fide ut à causâ organicâ apprehendente; à Baptismo, ut â causâ mediâ offerente & obsignante. Quapropter rectè Germani: GOtt gibts: Christus erwirbts: Der Glaube ergreiffts: Der Heil. Geist bestätigts: Die Sacrament versiegelns: Die gute Wercke bezeugens.

29. Bona hæc, de quibus actum est, ratione intentionis divinæ, per Baptismum omnibus offerri & conferri debent: At ratione eventûs, culpâ & vitio hominum fit, ut haud paucis tantùm offerantur; non verò etiam conferantur.

30. Distingvimus ergo inter Baptismi essentiam & fructum.

Quicun-

Quicunque juxta mandatum Dei, aquâ tingitur, verè baptizatur; quamvis non omnibus, qui ita tinguntur, prosit Baptismus. Excipiuntur enim hypocritæ.

31. Interim Baptismo hypocritæ, tanquam indigni, non denegamus omnem usum; sed tantummodò usum salutarem. Nam hypocrita quoque per Baptismum separatur ab iis, qui foris sunt, extra Ecclesiam, ut non solùm ejus liberi propiorem accessum ad Ecclesiam habeant; sed etiam ipse, si resipiscat, novo Baptismo non indigeat.

Βεβαίωσις. Probatur I. *Generaliter, quod per Baptismum adoptemur in filios Dei*, ex Gal. III. 26. 27. Unde concludimus: Qui ideo dicuntur per fidem filii Dei esse, quia in Baptismo Christum induunt, illi per Baptismum adoptantur in filios Dei. Atqui omnes Christiani. E. Pro illustrandâ majori, observandum (1) quod de filiis adoptivis sermo sit. Nam Filius Dei naturalis, non nisi unus est (2) quod particula (γὰρ,) *Enim*, significationem habeat causalem, atque indicet, cur pro filiis Dei habeamur, nempe quoniam baptizati sumus (3) quod *induere Christum* dicamur, propter mysticam, sed arctam cum eo unionem, per quam participes reddimur, omnium beneficiornm ab ipso partorum, inter quæ est adoptio. Joh. I. 12.

II. Specialiter 1. *qvod per Baptismum regeneremur*, tx Tit. III. 5. Quia est *lavacrum regenerationis*. Add. Joh. III. 5.

2. *quod per Baptismum peccata nobis remittantur*, ex Act. II. 38. Quia Petrus Auditores suos admonet, ut *baptizentur in remissionem peccatorum*. Add. Act. XXII. 16. Ezech, XXXVI. 25. Zach. XIII. 1.

3. *quod per Baptismum justificemur*, ex Art. IV. Thes. II. p. 138. Quia Justificatio formaliter in remissione peccatorum consistit. Si autem per Baptismum nobis peccata remittuntur, utique etiam per Baptismum justificamur. Add. Ephes. V. 26. seqq. 1. Cor. VI. 11.

4. *quod*

4. *quod per Baptismum renovemur*; ex Tit. III. 5. quia est *lavacrum renovationis*. Add Rom. VI. 14.

5. *quod per Baptismum liberemur à morte*, ex Gal. III. 27. & Joh. XI. 25. 26. Quia per Baptismum *Christus induitur*, qui est *vita*, nunquam per mortem abolenda. 1. Joh. I. 2 Si igitur Christus induitur, etiam vita induitur & consequenter mors tollitur.

6. *quod per Baptismum liberemur à Diabolo*, ex Gal. III. 27. coll. 1. Johan. III. 18. Quia per Baptismum *Christus induitur*, qui *destruxit opera Diaboli*. Si ergo Christus induitur, eo ipso simul opera Diaboli, quæ nos alioqui pessundarent, destruuntur.

7. *quod per Baptismum æterna salute potiamur*, ex Marc. XVI. 16. *Quia qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ubi Baptismus non tantùm habetur pro adjuncto subjecti salvandi; sed etiam pro verâ causâ salutis. Sic enim Paulus Tit. III. 5. *Deus salvos nos fecit per lavacrum* &c. Addatur 1. Petr. III. 21.

Ἀντίθεσις est 1. Anabaptistarum, quorum verba à nobis recitantur in Wigandianis. p. 126.

2. Pietistarum quorundam & ex Hyperpietistis Democriti seu Dippelii, de quibus agitur ibidem l. c.

3. Socinianorum, qui Baptismo omnem salutarem efficaciam denegant, eundemque pro merâ ceremoniâ & qualicunque Christianismi notâ habent.

4. Reformatorum, qui Baptismo nudam significandi virtutem relinqvunt.

5. Pontificiorum, qui censent (1) Baptismo ita tolli peccata, ut ne sint quidem ampliùs (2) efficaciam ejus tantùm se extendere ad præterita peccata; non etiam ad futura. (3) eum non obsignare gratiam Dei, nec sigilli rationem habere.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accuſamur

I. Quod Latinum & Germanicum Exemplar Aug. Conf. inter ſe diſcrepent. Illud habet, quod Baptiſmus *neceſſarius ſit ad ſalutem*; hoc ſolummodò, **daß ſie nöthig ſey:** In illo accuſantur Anabaptiſtæ, quod affirment, *pueros ſine Baptiſmo ſalvari*; in hoc, **daß ſie lehren/ daß die Kinder-Tauff nicht recht ſey:** In illo gratia quæ per Baptiſmum offertur, deſcribitur à cauſâ ſuâ; vocatur enim *Gratia Dei:* In hoc ſimpliciter dicitur **Gnade.** Reſp. Diverſitatem eſſe in vocibus; non in rebus. Quomodò Confeſſores in Germanico Exemplari velint intelligi, expoſuerunt in Latino; & vice verſâ. Utrumqve enim ſimul Imperatori oblatum eſt.

II. Quod noſtri tunc falsò gloriati fuerint, ſe nullos habere Anabaptiſtas. Apolog. p. 241. (156.) Sic Joh. Cochlæus & Andreas Fabricius. Reſp. Id ab Adverſariis dici; non probari. Nam & calamo à Luthero contra Anabaptiſtas decertatum eſt, & armis à Principibus reliquiſque Statibus Evangelicis. Tametſi ergo quidam Anabaptiſtæ egreſſi ſint ex nobis; nunquam tamen fuerunt de nobis. 1. Joh. I. 19.

ARTICULUS X.

DE

COENA DOMINI.

I. EXPLICATIO.

In Confeſſione variatâ, Melanchton Calvinianis, quibus inordinato pacis ſtudio placere geſtiebat, gratificaturus, Articulum huncce, verbis quibusdam omiſſis, ita contraxit: *De Cœnâ Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur*

beantur corpus & sangvis Christi, vescentibus in Cœnâ Domini. Extrusit igitur ista: (1) *quod corpus & sangvis Christi verè adsint*, (2) *quod improbentur secus docentes.* Hodie tamen à Calvinianis & illa conceduntur: *quod corpus & sangvis verè adsint;* sed, ut subdolè intelligant, *coram oculo fidei.* Hac enim reservatione mentali nobis illudunt, nisi eos arctiùs constringamus, mentemque nostram presſiùs exponamus, scilicet quod verè adsint, *quoad substantiam, in, cum & sub Pane ac Vino.* Vid. Apolog. p. 242. (157.)

In genuinâ Confessione p. 16. (12.) de Sacramento hoc agitur

- I. Θετικῶς. Describitur enim
  - 1. à Causâ Efficiente. *Cœna Domini.*
  - 2. à Materiâ cœlesti. *Docent, quod corpus & sangvis Christi verè adsint.*
  - 3. â Formâ, quæ consistit
    - 1. in δόσει seu datione. *Et distribuatur.*
    - 2 in λήψει seu acceptione. *Vescentibus.*
- II. Ἀντιθετικῶς. *Improbant secus docentes*, nempe Zwinglianos, è quorum cohorte, quatuor Civitates, Argentina, Constantia, Memminga & Lindavia peculiarem Confessionem in hoc articulo, ab Augustanâ dissentientem, Cæsari offerentes, repellebantur.

IN APOLOGIA p. 242. seq. (157. 158.) legitur

- I. Quod approbatus sit hic Articulus, sed tantùm quoad ea, quæ expressè à nostris ponuntur. Sic enim Confessores intelligi volunt, uti ex propriis eorum verbis constat: *Decimus articulus——qui Sacramentaliter accipiunt* p. 242. (157.) De cætero Pontificii in judicio suo, adhuc aliquid desiderabant, hisce verbis: *Si modò credant, sub qualibet specie, integrum Christum adesse.* Id

a respe-

a

respectu Sacramentalis adessentiæ, nequaquam nostri admittebant, ut constat ex Aug. Conf. P. II. Abusu 1.

II. Quod constanter sententia ista defendatur,

1. propter autoritatem Scripturæ Sacræ. 1. Cor. X. 16. *Hanc sententiam constanter——verè corpus Domini.* p. 243. (157.)

2. propter consensum Orientalis Ecclesiæ, qui elicitur

1. ex Canone Missæ. *Et comperimus non tantùm——ipsum corpus Christi fiat.* p. 243. (157.) Qvalis autem *mutatio*, hìc intelligatur, ex sequenti Thesi, eiusque expositione patebit.

2. ex Theophylacto, Bulgarorum Episcopo, quem seu propter vitium Scribæ, seu quia Beta Græcorum, â nonnullis ut Vav Latinum pronunciatur, *Vulgarium* nominant. *Et Vulgarius scriptor——verè in carnem mutari.* p. 244 (157.)

3. ex Cyrillo Alexandrino. *Et longa est sententia Cyrilli——participatione naturali.* p. 245. (157. 158.)

III. Quod velint, ut mens eorum omnibus innotescat. *Hæc recitavimus——ultrà non dominabitur* p. 140. (158)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Materia terrena Cœnæ Dominicæ est Panis verus, cujuscunque frumenti, qualitatis ac quantitatis, & Vinum verum, cujuscunque coloris: Hoc ut non necesse est aquâ dilui; ita tamen, si dilutum fuerit, propter-eà ad Sacramentalem usum non redditur ineptum.*

Ex θεσις

Ἔκθεσις 1. In re terrenâ Cœnæ, tam Pane, quàm Vino, non conceditur variatio quoad ſubſtantiam; ſed tamen quoad accidentia.

2. Panis verus dicitur, qui ex farinâ & aquâ, invicem ſubactis, conſtat & virtute ignis in maſticabilem conſiſtentiam piſtus eſt. Non ergo ſola conjunctio aquæ & farinæ, verum panem efficit; niſi etiam maſticabilis conſiſtentia, virtute ignis parata, accedat. Hinc amylum (Krafftmehl) nec per ſe, nec in linteo, panis dici poteſt.

3. Non intereſt, cujuscunque frumenti ſit panis; modò piſtus ſit ex frumento. Nam farina ex radicibus, quâ in Americâ utuntur, meritò rejicitur.

4. Concedimus, triticum rectè præferri hordeo, farri &c. Negamus verò triticum neceſſariò adhibendum eſſe, excluſo penitus hordeo, farre &c. præſertim in caſu neceſſitatis. Pauperiores in Palæſtinâ pane hordeaceo contenti erant 2. Reg. IV. 42. Joh. VI, 9. ut proinde incertum ſit, quo panis genere Chriſtus cum Diſcipulis fuerit uſus.

5. Sic nec intereſt, cujuscunque qualitatis ſit panis, azymuſne, an fermentatus. Fermentum myſticum in vitâ & doctrinâ prohiberi, ex Matth. XVI. 6. 1. Cor V. 7. novimus: At fermentum vulgare in adminiſtratione Cœnæ prohiberi, nondum adverſarii demonſtrarunt. Nobis certum & exploratum eſt, quæ inferebant obligationem ceremonialem in V. T. minùs rectè torqueri, contra libertatem Chriſtianam, in N. T.

6. Hinc non quæritur, an Chriſtus in adminiſtratione Cœnæ uſus ſit pane azymo? quod affirmamus, ex Luc. XXII 7. aut an pane azymo adhuc uti liceat? quod ſimiliter concedimus, propter Chriſti exemplum atque Eccleſiæ, præſertim occidentalis, perpetuam praxin; ſed an uſus ejusmodi ſit neceſſarius? quod negamus.

7. Deni-

7. Denique nihil intereſt, cujuscunque quantitatis ſit panis: atque ideo placentulas orbiculares in adminiſtratione Cœnæ tutò adhibemus.

8. Concedimus, eas uſurpari à Pontificiis; negamus verò earum uſum, conſtituere partem errorum Pontificiorum.

9. Neque enim omne quod Papiſtæ habent, propterea formaliter Papiſticum & conſequenter abominandum eſt. Quin imo ex Patribus conſtat, placentulas tales, priùs fuiſſe adhibitas, quàm quiſpiam, pro capite Eccleſiæ agnoſceretur.

10. Cæterùm quando uſûs Pontificii mentionem injicimus, danda eſt opera, ut hunc ab abuſu ſeparemus; qualis locum habet, cum placentulæ, juxta Pontificiorum hypotheſin, in corpus Chriſti tranſubſtantiatæ, domiunculis includuntur, circumgeſtantur, adorantur &c.

11. Eædem placentulæ, à vulgari pane non differunt eſſentialiter; ſed duntaxat accidentaliter. Nam & ſatiant, ſi copioſè accipiantur; quod tamen in Cœnâ haud opus eſt, juxta Canonem Nicenum: *Non multum ſumimus, ſed parum: quia non ad ſatietatem, ſed propter ſanctificationem hæc ſumimus.*

12. Interdum placentulas iſtas, cum vulgo, Hoſtias appellamus: non tamen proriè, quaſi eſſent ipſum Sacrificium, quotidie Deo offerendum, ut Pontificii ſentiunt; ſed impropriè, & qvidem per metonymiam, quia ſunt ſignum & medium, quo Deus utitur, in communicando Chriſti corpore, quod eſt vera pro mundo hoſtia.

13. Si quis igitur, poſt informationem debitam, de placentulis orbicularibus, nihilominus ſcandalizetur, ſcandalum ejus eſt acceptum; non datum.

14. *Unitas* verò panis, cujus meminit Apoſtolus 1. Cor. X. 17. non eſt numerica; ſed ſpecifica, talis ſcilicet, qualis eſt unitas Baptiſmi. Epheſ. IV. 5.

15. Neminem propterea impugnamus, quia pane alterius frumenti, qualitatis, aut quantitatis utitur; sed quia eodem sub opinione necessitatis utitur, atque Ecclesiis nostris, ut necessariò utendum, obtrudit.

16. Vinum verum est genimen vitis: Proindeque intelligitur vinum naturale; non factitium v. gr. succus ex melle, pomis &c.

17. Pontificii Vino aquam miscent, quod *Crama* vocant, eiusdemquè ritûs necesſitatem propugnant, quamvis ipse Thomas P. III. qu. 74. art. 6. *fateatur, probabiliter tantùm credi, Dominum in vino aquâ mixto, Sacramentum instituisse.*

18. Nos libenter admittimus, in Ecclesiâ primitivâ vinum aquâ dilutum fuisse: vel ideo, quod vina orientalia essent calidiora; vel etiam ad cavendam ebrietatem, quod post cœnam Dominicam convivia, quæ *Agapæ* vocabantur, instituebant, de quibus 1. Cor. XI. 21. At hoc negamus, nudo primitivæ Ecclesiæ facto, omnes successores, ad necessariam imitationem obligari.

19. Non igitur damnamus eos, qui vinum aquâ temperarunt, aut adhuc temperant; sed hoc obtinere conamur, ne alii nos damnent, qui vinum aqvâ non temperamus. Nam quæstio non est; an aqua affusa vitiet Sacramentum? verùm an aqua affundenda efficiat Sacramentum? Aliud est, facere aliquid circa Cœnam ex libertate; aliud urgere aliquid in Cœnâ faciendum, ex necesſitate.

20. Si propterea in Evcharistiâ necessariò utimur aquâ, quia Evcharistia repræsentata est per aquam ex petrâ fluentem Num. XX. 8. sq. sequeretur etiam, necessariò utendum esse carnibus, quia Evcharistia repræsentabatur, per carnes agni paschalis.

21. Neque obstat, quod de latere Christi aqua & sangvis fluxit Joh. XIX. 34. Nam hoc mysterio significa-

batur

batur duplex N. T. Sacramentum; non duplex liquor in partiali materiâ unius ejusdemque Sacramenti.

22. Reliqua Adversariorum argumenta allegoriis nituntur v. gr. ex Prov. IX. 5. ubi vulgata habet: *Bibite vinum, quod miscui vobis* &c.

Βεβαίωσις. Probamus I, Generaliter, *Materiam Cœnæ terrenam esse Panem verum & Vinum verum, ita ut materiam aliam substituere non liceat* 1. ex 1. Cor. XI. 23. seqq. ubi describitur (1) factum Christi: *Accepit panem* v. 23. *Similiter & calicem* v. 25. in quo non alium liquorem nisi vinum fuisse, patet ex Luc. XXII. 17. 18. (2) Præceptum ejus, quo obligamur ad imitationem: *Hoc facite* (scilicet quod me facere vidistis) *in mei commemorationem* v. 24. 25. 26. (3) Praxis Apostolica: Paulus *tradidit suis*, quod *accepit à Domino* v. 23. Accepit autem materiam, quâ Christus usus est: Ergo eandem tradidit suis. Usque adeo nulli hominum mutare licet, quod Christus instituit.

2. Ex Matth. XXVI. 26. 27. 29. ubi Christus Cœnam instituens expressè loquitur de pane & genimine vitis.

II. Specialiter, 1. *Panem fermentatum non derogare veritati Sacramenti:* Quia qualitas panis nullibi determinata est. Imo probabile est, Apostolos in quotidianâ administratione Cœnæ, quotidianum panem adhibuisse Act. II. 42. XX. 7.

2. *Placentulas orbiculares, licitè in administratione Cœnæ retineri.* Quia (1) iis competit definitio panis (2) quantitas panis nullibi à Christo, aut Apostolis, definita legitur. (3) usum illum præstant, propter quem Cœna instiruta est, nimirum ut sint participatio corporis Christi 1. Cor. X. 16. (4) commonefaciunt nos, quod panis Evcharisticus non inserviat pascendo ventri, sed sanctificationi animæ & corporis.

3. *Mixturam aquæ, in Cœnâ, non esse necessariam.* Quia nec

Christus Cœnam instituens, nec Apostolus institutionem illam repetens, mixturæ hujusmodi ullo verbo mentionem fecit. Certum verò est, actiones in Sacramento necessarias, ibi determinari, ubi de Sacramento, ceu in loco classico, ex professo agitur.

Αντίθεσις est 1. Pontificiorum, qui (1) Cramatis, seu aquæ cum vino permistionis necessitatem propugnant (2) loco vini alium liquorem indulgent, qualem Innocentius IIX. Norwegis permisisse scribitur à Volaterrano.

2. Calvinianorum, qui placentulas nostras orbiculares improbant, quas vocant *spumam panis*, *nebulas nummulares*, *chartaceas crustulas*, *farinacea folia* (Siegel-Plätzlein/Schaum-Brodt/ Nebel-Küchlein/ Papier-Küchlein) &c. Non longè ab his abit ex Hyperpietistis Dippelius, cujus verba recitantur in Wigandianis de Cœnâ. n. 1. p. 134.

3. Græcorum, qui non nisi panem fermentatum Cœnæ idoneum esse censent, & propterea Latinos, ab ipsis dissentientes, Azymitas vocant.

Thesis II. *Materia cœlestis in Cœnâ Dominicâ est verum corpus & verus sangvis Christi, quoad substantiam præsens: cujus unio cum Pane & Vino, non in transubstantiatione, nec in locali quadam coëxistentiâ, nec in nudâ σχέσει seu analogiâ; sed in reali ac verâ conjunctione consistit: quâ fit, ut per os corporis, simul cum pane, per verba institutionis consecrato, corpus Christi & cum vino pariter consecrato sangvis ejus dispensetur & accipiatur.*

Ἔκθεσις 1. Materia seu res cœlestis, in Cœnâ Domini, est verum corpus & verus sangvis Christi; cui opponitur corpus non verum & sangvis non verus.

2. Illa Materia, non tantùm verè coram oculo fidei exhibetur: sed etiam verè, quoad substantiam adest.

3. Ita

3. Ita tamen, ut præsentia ipsa non sit naturalis & localis; sed supernaturalis & sacramentalis, juxta modum soli Deo cognitum & ex hujusdem voluntate dependentem. Rem scimus; modum ignoramus: propter nostram verò ignorantiam, non licet dubitare de Dei potentiâ.

4. Quando eadem præsentia in Apologiâ Augustanæ Confessionis p. 242. 243. (157.) vocatur *substantialis & corporalis*: non respicitur ad modum dandi & sumendi; sed ad objectum quod datur & sumitur, nihilque aliud indicatur, nisi quod Christi substantia & corpus verè adsint.

5. Sic & unio inter materiam terrenam & cœlestem vocatur Sacramentalis, eoque ipso contradistingvitur unioni naturali, essentiali & personali.

6. Consistit autem in conjunctione reali & verâ adeoque propriè sic dictâ eorum, quæ uniuntur, nempe Panis & Corporis, itemque Vini & Sangvinis; ita ut cum Pane Corpus & cum Vino Sangvis propriè dispensentur & accipiantur: nimirum proprietate non physicâ, seu compositionis; sed grammaticâ, seu significationis.

7. Modus manducandi & bibendi in Cœnâ potest dici physicus seu naturalis, ratione elementorum absolutè spectatorum, scilicet Panis & Vini; nequaquam verò ratione elementorum respectivè consideratorum, quatenus simul exhibent Corpus & Sangvinem Christi.

8. Corpus & Sangvis Christi non considerantur, ut nudi hominis; sed ut θεανθρώπε, seu ejusmodi hominis, *in quo tota plenitudo Divinitatis habitat corporaliter.* Col II. 9.

9. Etsi verò idem illud corpus semper sit naturale, i.e. materiâ & formâ constans; non tamen post exaltationem est in statu naturali.

10. Atque hinc in Cœnâ corpus cum pane non unitur visibiliter & localiter; sed invisibiliter & illocaliter. Quo observa-

ſervato nihil contra nos obtinent, quæ objiciuntur, *de reditu Christi ad judicium* Act. I. 11. & quod *Christus non ſemper habeatur* Marc. XIV. 7. Nam qui redibit, nec ſemper habetur, viſibiliter & localiter; idem tamen in Sacramento nunc etiam præſens eſt inviſibiliter & illocaliter.

11. Multò minus ad rem faciunt, quæ adferuntur de *tranſitu ex hoc mundo* Joh. XIII. 3. XVI. 28. Nam ejusmodi verbis non exprimitur mutatio loci inferioris in ſuperiorem, ſed mutatio ſtatus ſervilis in glorioſum.

12. Materia cœleſtis & terrena diſpenſantur & accipiuntur ſimul. Neque enim alia manducatio eſt Panis & alia Corporis; ſed eſt una manducatio utriusque. Similiter non eſt alia bibitio Vini & alia Sangvinis; ſed eſt una bibitio utriusque.

13. Accipitur autem materia cœleſtis ore corporis, atque inde manducatio & bibitio dicitur oralis, videlicet ratione organi, quo corpus & ſangvis ſumuntur; non ratione modi, quaſi corpus in ore dentibus comminuatur, aut ſangvis guttatim per jugulum dimittatur.

14. Obſervandum igitur, quod Panis & Corpus accipiantur eodem actu; ſed non eadem ratione: Panis enim accipitur immediatè, naturaliter & ſenſibiliter; Corpus autem mediante pane & quidem ſupernaturaliter, inviſibiliter, myſticè ac incomprehenſibiliter. De Vino & Sangvine idem eſto judicium.

15. Acceptioni, id eſt manducationi & bibitioni ſacramentali, opponitur acceptio naturalis & ſpiritualis eo ſenſu, ut acceptio ſpiritualis ſit corporis ſine pane, & ſangvinis ſine vino; acceptio naturalis ſit panis ſine corpore, & vini ſine ſangvine; acceptio autem ſacramentalis ſit corporis, in, cum ac ſub pane, & ſangvinis in, cum ac ſub vino.

16. Sciendum tamen, quod acceptio ſpiritualis, de quâ Joh.

Joh. VI. 35. 51. 53. 54. 63. non tollat sacramentalem. Nam digni corpus & sangvinem Christi utroque modo participant, nempe sacramentaliter & spiritualiter; quemadmodum indigni è contrario corpus & sangvinem Christi tantùm participant sacramentaliter, nequaquam verò spiritualiter.

17. Quando ab uno vel altero ex Orthodoxis, sacramentalis accepto dicitur spiritualis: non respicitut ad materiam; sed ad finem Coenæ.

18. Neque τὸ Sacramentale nomen trahit à Sacramento. V. T. typico; sed à Sacramento N. T. antitypico. Ibi umbræ erant; hic res ipsa Col. II. 17.

19. Fundamentum unionis sacramentalis est consecratio: quâ voce non indicatur magica immutatio; sed juxta mandatum Christi facta Symbolorum ab usu vulgari, ad usum sacramentalem, separatio & destinatio.

20. Consecratio fit per verba institutionis, quorum debita repetitio, non historicam duntaxat narrationem; sed & efficacem symbolorum sanctificationem infert.

21. Hancce verò efficaciam, non adscribimus verbis institutionis, sub respectu ad causam ministerialem, id est prouti recitantur à Ministro; sed sub respectu ad causam principalem, id est prouti recitari mandantur à Christo.

22. Apud nos aliæ preces addi solent: quæ ad accidentalia Sacramenti pertinent; uti recitatio verborum Coenæ ad essentialia.

23. Vidimus in quo reverà consistat unio; nunc expendamus in quo perperam consistere dicatur. Removemus ergo Transsubstantiationem, Coëxistentiam localem & σχέσιν seu Analogiam nudam.

24. Ut ab eo quod primum est incipiamus, non omnis mutatio est transsubstantiatio. Unde cum in Apologiâ Augustanæ

gustanæ Confessionis, approbantur; *qui panem verè in carnem mutari docent*, non intelligitur mutatio essentialis, quoad substantiam; sed accidentalis, quoad finem & usum. Sic enim panis & vinum verè statuuntur mutari, quando non ad nutriendum corpus, in quod assumuntur; sed ad exhibendum corpus & sangvinem Christi, assumenti per novum & antehac inauditum officium applicantur.

25. Addimus, quod & vocabulum Transsubstantiationis apud antiquos latiùs accipiatur, quàm apud recentiores, strictam significationem, jam inde à temporibus Lombardi, amplectentes. Nam Theophylactus alibi Transsubstantiationis nomine utitur *de fidelibus in Christum mutandis, itemq; de Corporibus nostris ex statu corruptionis in statum gloriæ perducendis.*

26. Nec obstat, quod nonnulli Patres panem naturâ mutari tradunt. Nam per naturam intelligunt proprietatem naturalem, ita ut naturæ vocabulum non constitutivè, sed consecutivè accipiatur, prorsus quemadmodum Chrysostomus serm. de Virtut. & Vitiis scribit: *Elisæi lignum potuit undarum mutare naturam, quas quidem superficie suâ, quasi tergo, ferrum sustinere coëgit.*

27. Quando verò in Germanico Exemplari Augustanæ Confessionis P. I. Art. 10. Corpus & Sangvis dicuntur esse, **unter der Gestalt des Brodts und Weins/** id est *sub specie Panis & Vini*; tum per speciem non intelligitur figura & accidentaria qualitas; sed ipsa natura ab aliis speciebus distincta, ad indicandum, quod aliæ species non debeant substitui.

28. Ad alterum progressuri, concedimus, rem cœlestem & terrenam coëxistere; sed non localiter, seu circumscriptivè.

29. In Germanicâ autem cantione, **Verborgen im Brodt so klein/** τὸ **Verborgen** non sumitur nominaliter, quasi

corpus

corpus in pane absconderetur; sed adverbialiter, quod *in, cum & sub pane*, absconditâ nobisque impervestigabili ratione fit.

30 Superest tertium, nempe ut de σχέσει seu analogiâ agamus. Inter nos ergo & Reformatos, disputatur de ipsâ præsentiâ corporis & sangvinis Christi; non tantùm de modo præsentiæ. Nam impropria præsentia, quam Adversarii admittunt, propriè loquendo nulla est præsentia.

31. Largimur equidem, rem cœlestem repræsentari ac significari per terrenam; ita tamen, ut nihilosecius impugnemus illos, qui præsentiam rei cœlestis, in nudâ hujusmodi repræsentatione, seu significatione, consistere opinantur.

32. Panis & Vinum sunt signa corporis & sanguinis Christi: sed non signa rei absentis; verùm præsentis: non signa tantùm rememorativa; verùm & demonstrativa: non signa nudè significantia; verùm simul exhibentia.

33. Quod si igitur Reformati quærant, an Corpus & Sangvis in Cœnâ adsint significativè & effectivè? concedimus; si quærant an solùm significativè & effectivè? negamus. Adsunt enim etiam objectivè.

34. Sic officium secundarium panis & vini est, ut sistat analogiam istam, quod, quemadmodum Panis & Vinum alit corpus; ita Corpus & Sangvis Christi alat animam: Enimverò officium primarium in eo consistit, ut mediante pane caro, & mediante vino sanguis Christi, distribuatur.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Materiam cœlestem in Cœnâ Domini esse verum corpus, quoad substantiam præsens, itemque verum sangvinem, quoad substantiam præsentem*: ex verbis Institutionis: *Hoc est corpus meum: Hic est calix in sanguine meo.* Ne tropum subesse credamus, obstat (1) quia novum fidei mysterium traditur, quod ut rectè intelligeretur, necessariò verbis propriis & perspicuis exponendum erat. (2) quia eadem

verba, à tribus Evangeliſtis itemque Apoſtolo Paulo, in eodem planè ſenſu, repetuntur. Matth. XXVI. 26. 28. Marc. XIV. 22. 24. Luc. XXII 19. 20. 1. Cor. XI. 24. 25. (3) quia nullibi articulus iſte fidei aliter proponitur: certum verò eſt, ſingulos articulos alicubi in Scripturâ verbis propriis exhiberi (4) quia ſunt verba teſtamentaria 1. Cor. XI. 15. Nam Teſtator eſt Chriſtus, jamjam in mortem tradendus: Hæredes ſunt Chriſtiani, teſtamentum non contemnentes: Bona legata ſunt remisſio peccatorum & juſtitia fidei: Teſtes ſunt Apoſtoli: Sigilla ſunt corpus & ſanguis Chriſti. Quemadmodum verò V. T. ſanciebatur & confirmabatur corpore & ſanguine Chriſti typico & quoad umbram præſenti; ita N. T. ſancitur & confirmatur corpore & ſanguine Chriſti vero & quoad ſubſtantiam præſenti. (5) quia deſcriptio corporis & ſanguinis nobis omnem dubitationem adimit: Illud enim corpus præſens eſt, *quod pro nobis dabatur*; itemque ille ſanguis, *qui pro nobis effundebatur*; (6) quia adverſus opinionem impoſſibilitatis nos armat conſideratio ſapientiæ, veritatis & potentiæ ejus, qui inſtituit.

II. *Unionem Corporis & Sanguinis cum Pane & Vino non conſiſtere (α) In Tranſubſtantiatione* 1. ex 1. Cor. X. 16. 17. Quia (1) Panis dicitur eſſe (κοινωνία) *communio corporis*. Communio autem non eſt unius ſecum ipſo, nempe corporis cum corpore, & ſanguinis cum ſanguine; ſed ad minimum duorum, nempe corporis cum pane, & ſanguinis cum vino: Relatum enim requirit exiſtentiam correlati. At Tranſubſtantiatione admiſſâ, non niſi res cœleſtis adeſſet, deſtructâ penitus re terrenâ. Quomodo igitur duraret communio? (2) Panis non tantùm ante conſecrationem iſthoc nomine gaudet; ſed & poſt conſecrationem. Nam illud, de quo in ipsâ Cœnæ adminiſtratione jam participaverant Corinthii, adhuc vocatur panis & quidem notanter *ILLE PANIS* v. 17. de quo anteà

tea dictum est, *quod frangatur* v. 16. Πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν: præcessit ὃν κλῶμεν.

2. ex Rationibus. (1) per Transubstantiationem introducitur panis & vini destructio: Destructio autem tollit unionem. (2) positâ Transubstantiatione accidentia panis & vini forent sine subjecto. (3) Symbola etiam consecrata corrumpuntur: ubi subjectum corruptionis necessariò statuetur corpus & sanguis Christi, nisi præter corpus & sanguinem, panis quoque & vinum superessent.

(β) *In locali quadam Coëxistentiâ*, ex 1. Cor. X. 16. 17. Quia omnes de eodem pane, qui est communio corporis participant: Quod si igitur Corpus cum Pane localiter, seu quod idem est, circumscriptivè coëxisterent; sequeretur, Eucharistiâ in diversis locis administratâ, idem corpus simul circumscribi diversis locis: quod absurdum. Vt de eo nihil dicamus, quod localis coexistentia, cum omnipræsentiâ carni Christi communicatâ, consistere nequeat.

(γ) *in nudâ* σχέσει *seu Analogiâ*, ex eodem. Quia (1) *Panis* dicitur esse communio corporis; non figuræ corporis: Similiterque vinum in calice dicitur esse communio *sanguinis*; non figuræ sanguinis. (2) Communio panis & corporis præsupponit unionem, inter panem & corpus. Nam unio se habet ut antecedens; communio autem ut consequens. Ubi autem est unio, ibi non est nuda σχέσις, seu analogia. Idem judicium feratur de vino & sanguine. (3) Nuda σχέσις evertit communionem, utpote quæ solam adessentiam materiæ terrenæ infert: Nihil autem communionem habet secum ipso, uti paulò ante contra Transubstantiationem monuimus.

III. *Unionem Corporis & Sangvinis cum Pane & Vino consistere, in reali ac verâ conjunctione Panis & Corporis, itemque Vini & Sangvinis, ad simultaneam & quidem oralem propriamque manducationem & bibitionem*: ex eodem: Quia *panis*,

qui manducandi gratiâ *frangitur*, eſt communio corporis Chriſti & *Calix cui*, vini bibendi gratiâ, *benedicitur*, eſt communio ſangvinis Chriſti. Communio autem præſupponit Unionem. Excipitur (1) per communionem intelligi ſignum communionis. Reſp. Hoc admiſſo, juxta hypotheſin Reformatorum, talem emergere ſenſum: *Panis eſt ſignum communionis ſigni corporis*. Nam illi etiam vocem corporis, exponunt de ſigno corporis (2) ſermonem eſſe de communione ſpirituali per fidem. Reſp. Obſtare, quod hæc communio obtineat apud fideles & infideles v. 20. 21. ſecus atque communionis ſpiritualis natura patitur. (3) per communionem intelligi ſocietatem inter fideles. Reſp. Hanc ſocietatem deduci quidem ex communione, tanquam conſequens ex antecedente; ſed formaliter non eſſe ipſam communionem: Nam hæc expreſsè dicitur eſſe inter panem & corpus; itemque inter poculum vino repletum & ſanguinem.

Αντίθεσις eſt 1. Pontificiorum, qui in Evchariſtiâ per conſecrationem, vi verborum Chriſti, panem in corpus & vinum in ſanguinem eſſentialiter mutari docent, ita ut ſola accidentia panis & vini, inprimis color, odor & ſapor, remaneant.

2. Calvinianorum, qui ſubſtantialem corporis & ſangvinis præſentiam negantes, nudè figurativam & ſignificativam præſentiam ſubſtituunt.

3. Anabaptiſtarum, Socinianorum &c. qui in causâ Sacramentariâ, Calvinianorum veſtigiis, hac in parte, inſiſtunt.

4. Pietiſtarum quorundam & qui propè inſaniunt, Hyperpietiſtarum, de quibus videantur Wigandiana *de Cœnâ Domini* n. 1. p. 133. ſq. & n. 2. p. 137. ſq.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accusamur

I. Quod *fœda Exemplarium Augustanæ Confessionis varietas, aut fraudulenta verborum mutatio*, in hoc articulo obveniat, ut Johannes Cochlæus loquitur, qui quod hæc datâ operâ acciderint, sibi putat *licitum esse suspicari.* Sed cum ostendere nequeat, in quibus verbis illa varietas aut mutatio acciderit, utique & suspicio ejus illicita est. *Si* enim *accusare sufficit, quis innocens erit?*

II. Quod ab hoc Articulo discesserimus: cum Augustana Confessio & inprimis Apologia, Transubstantiationem probet, quam Formula Concordiæ improbat. Ita Colonitsch in Confessione Antiaugustanâ, cui sufficienter respondit D. Alberti in Refut. p. 142. sqq. Add. in Demonstratione nostrâ Thes. II. Observ. 24. 27. p. 245. 246.

III. Quod concomitantiam (Papisticam) Corporis & Sanguinis Christi ratihabeamus. Sic Thomas Henrici in Anatom. Aug. Confess. Contrarium verò evincetur super P. II. Aug. Conf. in Abusu I.

ARTICULUS XI.

DE CONFESSIONE.

I. EXPLICATIO.

MElanchton seriem articulorum immutavit. Hunc enim *de Confessione*, qui nobis undecimus est, duodecimum fecit, atq; eum qui nobis duodecimus est, *de Pœnitentiâ*, in locum undecimi reposuit. De cætero in *Articulo de Confessione* nihil quoad rem variavit; in verbis quoque exigua est diversitas. Tametsi enim in illis, quod *non necessaria sit omnium delictorum enumeratio*, omiserit τὸ *omnium*; mox tamen restituit in sequentibus: *Est enim impossibilis enume-*

enumeratio omnium delictorum : ubi in invariatâ Confessione *omnium* non extat. Pro verbis: *Juxta Psalmum:* habetur in variatâ: *Juxta illud.*

Duo autem in hocce articulo p. 16. (12.) obveniunt.

Docent enim nostri:

I. Quod *Absolutio*, atque ita etiam, quæ absolutionem præsupponit, Confessio *privata in Ecclesiis retinenda sit.*

II. Quod *in Confessione enumeratio omnium delictorum necessaria non sit.* Id quod rationibus stabilitur

1. ab Absurdo. *Est enim impossibilis.*
2. à Testimonio Scripturæ. *Juxta Psalmum: Delicta quis intelligit?* Extant hæc Ps. XIX. 13.

IN APOLOGIA p. 246. (158.)

I. Respondetur Adversariis, qui

1. Nonnulla probabant. *Undecimus Articulus, de retinendâ Absolutione in Ecclesiâ probatur* p. 246. (158.)
2. Plura improbabant, aut corrigebant, juxta Constitutionem, *Omnis utriusq;*, quæ invenitur in Decretalib. Gregorii L. 5. Tit. 38. de Pœnitentiis & Remissionibus c. 12. Postulabant ergo à nostris,

I. *Ut quamvis omnia peccata enumerari non queant, tamen diligentia adhibeatur, quo colligantur, & illa, quæ in memoriam redigi possunt, recenseantur.* Respondent nostri:

1. *Sic apud nos doceri homines, ne laquei injiciantur conscientiis* p. 249. (159.)
2. *Prodesse, si rudes assuefiant, ut quædam peccata enumerent, quò facilius doceri possint.* ibid.
3. Enumerationem peccatorum, non esse necessariam de jure divino. *Verùm disputamus nunc, quid sit necessarium——remissionem* p. 249. (160.)

a b c 4. Ad-

a b c

4. Adversarios carnificinam exercuisse in piorum conscientias. *Tota Ecclesia——nihil movebant.* ibid.

5. Panormitanum & alios sentire nobiscum. *Nos igitur sentimus——JCtis.* ibid.

6. Constitutionem Juris Pontificii humanam esse & impossibilia exigere. *Nec volumus imponere——quis intelligit.* ibid.

7. Pastorum prudentiæ rectiùs committi, quàm à Summistis addisci, quomodò examinandi sint rudes; *Si sint boni——impossibilem esse* p. 250. 251. (160. 161.) Cæterùm tria in Summistis carpuntur,

1. quod tantùm peccata supputant, Christo & fide neglectis
2. quod peccata fingunt, ubi nulla sunt.
3. quod multos ad desperationem adigunt.

2. *Ut quotannis fiat Confessio* p. 146. (158.) Respondent nostri,

1. *plurimos apud nos sæpè in anno uti Sacramentis* p. 159.
2. *eos qui docent, de dignitate & fructibus Sacramentorum, ita dicere, ut invitent populum, ut sæpe utantur Sacramentis.* ibid.
3. *extare etiam de hac re multa à nostris scripta, ut adversarii, si qui sint boni viri, haud dubiè probent & laudent.* ibid.
4. *denuntiari Excommunicationem flagitiosis & contemtoribus Sacramenti.* ibid.
5. *hæc ita fieri & juxta Evangelium & juxta veteres Canones.* ibid.
6. certum tempus nec â nostris, nec à Canonibus præscribi. *Sed certum tempus——si non fecerint, abstineant.* ibid.

a b c

7. In

a b c

7. Inidoneos apud nos non cogi ad Sacramentum. *Christus ait——utantur.* ibid.

3. Ne quis alieno Sacerdote, nisi facultate ab Ordinario obtentâ, utatur. Respondent nostri, ista nec apud Adversarios observari; unde bella inter Pastores & Monachos exorta sint. *Posteà qualis——belligerabantur.* p. 249. (160.)

II. Incidenter ostenditur, quid boni præstiterit nostra doctrina in hoc articulo. *Constat nos beneficium——Sophistæ & Monachi.* p. 247. (158. 159.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Confessio Peccatorum coram Deo necessaria est: Confessio autem coram Ministro, & quæ huic respondet Absolutio privata, quamvis simpliciter necessaria non sit, utiliter tamen in Ecclesiâ retinetur.*

Ἔκθεσις 1. Vox Confessionis, quemadmodum in sensu generali quamcunque manifestationem conceptuum notat, ut Rom. X. 10. Act. XIX. 18. ita in sensu speciali, pro solâ manifestatione peccatorum, memoriæ obversantium, accipitur.

2. Ejusmodi Confessio, haud incommodè dispescitur in Politicam, quæ fit coram Magistratu Jos. VII. 19. Oeconomicam, quæ fit coram fratre, seu proximo læso Matth. V. 23. sqq. Jac. V. 16. & Ecclesiasticam, quæ fit coram Deo.

3. Ecclesiasticam Confessionem subdividere liceat in communem, cum tota Ecclesia peccati se ream profitetur, coram Deo Lev. XVI. 21. 1. Sam. VII. 6. Neh. IX. 1. & singularem, quæ à singulis in Ecclesiâ denominationem accipit.

4. Con-

4. Confesſio ſingularis ad Deum dirigitur duobus modis: aut immediatè, quemadmodum peccata confeſſi ſunt Adam & Eva Gen. III. 12. 13. David Pſ. XXXII. 1. Daniel cap. IX. 5. Publicanus Luc. XIIX. 13. aut mediatè, per Miniſtrum Eccleſiæ, cui Deus poteſtatem retinendi & remittendi peccata conceſſit. Joh. XX. 23.

RESP. MART. LUTH. LADEMANNO, Gedan.

5. Talis mediata Confeſſio vel publica dicitur, vel privata. Illa in Eccleſiis quibusdam bene ordinatis, coram toto cœtu, poſt peccata notoria exigitur v. gr. poſt apoſtaſiam, fornicationem, blaſphemiam &c Hæc in aurem ſolius Miniſtri deponitur, atque inde *auricularis* appellari conſvevit.

6. His præmiſſis, jam propiùs ad rem acceſſuri, dicimus, Confeſſionem coram Deo neceſſariam eſſe: quæ ſemper debet eſſe cordis; tametſi ob morbum aliaque impedimenta, non ſemper poſſit eſſe oris. Conf. 1. Sam. XVI. 7.

7. Duplex autem eſt iſta Confeſſio, nempe vel fraudis, vel laudis: ſeu ut Auguſtinus loquitur, vel gementis, vel laudantis. Illa teſtatur de contritione e. gr. Pſ. LI. 5. ſq. Hæc de fide e. gr. Pſ. CI. 2. ſqq. Utraque conjungitur Pſ. XXXII. 5.

8. Confeſſio coram Miniſtro, quam auricularem vocavimus, à nobis æquè ac Pontificiis retinetur; non tamen eodem modo, eodemque fine. Si autem propterea abroganda foret, quia Pontificii eâ abuſi ſunt; cur templa, ſuggeſtus & baptiſteria, quæ olim Pontificiorum ſuperſtitioni inſervierunt, retinentur?

9. Servatur à nobis Confeſſio coram Miniſtro ex Chriſtianâ libertate; non ex necesſitate.

10. Ita tamen, ut cum ritum huncce ſtatuimus eſſe liberum, ſeu adiaphorum, id intelligendum ſit, reſpectu totius Eccleſiæ particularis; non reſpectu ſingulorum membrorum in Eccleſiâ particulari: quippe quæ ſe cæteris Eccleſiæ mem-

oris, etiam in adiaphoris, necessariò conformant. 1. Cor. XI. 40. juxta tritum illud: *Nemo pacificus contra Ecclesiam.*

11. Pontificii pro necessitate ejusdem ritus frustrà ad dicta V. T. provocant; cum ex eorum hypothesibus, potestas absolvendi confitentes, demum in N. T. cœperit & Petro primùm collata fuerit. Ut de eo sileamus, quod in ejusmodi locis, quæ nobis opponi solent, vel agatur de Confessione factâ, immediatè DEO; vel etiam de Confessione Politicâ, aut Oeconomicâ. Conf. Apol. p. 286. (182.)

12. Confessioni privatæ Ministro factæ, respondet absolutio privata à Ministro profecta. Tametsi enim soli Deo competat potestas remittendi peccatum authentica & judiciaria Psf. LI. 3. 6. Ministro tamen relinquitur potestas organica & legataria Joh. XX. 23. 2. Cor. V. 19. 20.

13. Non igitur potestas ista à Ministro exercenda est per judicii politici, aut quasi politici, formationem; sed per alieni beneficii applicationem: ut nimirum peccatoribus, qui profitentur, se coram Deo reos esse, quorumcunque pœnitentia fuerit seria, remissio peccatorum annuncietur & conferatur. Vid. Apolog. p. 283. (181.)

Βεβαίωσις. Probamus I. *Confessionem peccatorum coram Deo necessariam esse,* ex Prov. XXIIX. 13. 14. (1) quia ut antecedens & conditio sine quâ non misericordiæ â Deo consequendæ, describitur: *Qui confessus fuerit, misericordiam consequetur;* (2) quia oppositum ejus, nempe occultatio, seu reticentia peccatorum, ut invisa Deo & consequenter damnabilis proponitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Hebraice לֹא יַצְלִיחַ *non prosperabitur;* (3) quia est indicium animi paventis & non obdurati, qualem qui habet, *beatus* prædicatur: *Beatus homo, qui semper est pavidus; qui verò cordis duri est, corruet in malum.* Ubi notandum, quod *Pavor,* de quo hic agitur, non excludat gratiæ certitudinem; sed carnalem securitatem. Conf. Prov. XXIIX. 1. II. *Con-*

II. *Confessionem coram Ministro non esse absolutè necessariam.* Quia caret mandato divino, specialiter in Scripturâ, cum circumstantiis apud nos observari solitis, expresso.

III. *Confessionem coram Ministro, utiliter in Ecclesiâ retineri* 1. ex Matth. III. 6. ubi auditores Johannis leguntur *baptizati esse in Jordane, confitentes peccata sua.* Utrum confessi sint soli Deo, an etiam Johanni, non exponitur Interim si utile est confiteri Deo, sequitur etiam utile esse, confiteri Ministro Dei: Nam qui Ministro confitetur, mediatè Deo confitetur; id quod fecerunt David 2.Sam. XII. 13. & Israëlitæ. Nehem. IX, 2.

2. ex multiplicibus commodis hujusce Confessionis. Prodest enim ad juniorum informationem, ad singulorum commonefactionem & consolationem, ad specialiorem remissionis certitudinem. Addatur Synopsis nostra Art. 23. qu. 10. Plura de utilitate Confessionis hujusce, respectu Ecclesiæ, Ministri, ipsorumque Confessorum, vid. apud Menzerum Exeg. Aug. Confess. p. 415. seqq.

IV. *Absolutionem privatam utiliter in Ecclesiâ retineri:* ex naturâ Relatorum: Quicquid enim dicitur de relato, nempe Confessione privatâ, illud etiam applicari potest correlato, nempe Absolutioni privatæ. Addatur Apologia p. 285. (181.)

Αντίθεσις est 1. Quackerorum, qui cum se peccatis carere fingant, eo ipso nec Confessione coram Deo sibi opus esse, gloriantur. Vid. Quackerismus Confutat. Art. 15. Hypoth. n. 3. p. 106.

2. Pontificiorum, qui Confessionem coram Ministro de jure divino necessariam esse, tradunt.

3. Calvinianorum, Weigelianorum, Anabaptistarum & Socinianorum, qui Confessionem & Absolutionem privatam, pro figmento Papistico habent & ex Ecclesiâ proscribunt

IV. Pietiſtarum, de quibus conferatur Supplement. ...on... Synopſeos Art. 23. Theſ. 7. lit. ξ. & Wigandiana tit. de Pœnitentiâ. n. 2. p. 142. ſq. Ibidem Hyperpietiſtarum quoque verba recitantur §. 3. p. 144.

Theſis II. *In Confeſſione privatâ, neque neceſſaria, neque poſſibilis eſt, omnium delictorum mortalium, & quidem cum circumſtantiis ſuis, plena enumeratio.*

Ἔκθεσις 1. Diſtingvimus inter Confesſionem auricularem in ſenſu orthodoxo & heterodoxo, ſeu Pontificio, ſic dictam. Illam approbamus; hanc improbamus.

2. Requirimus equidem & nos coram Miniſtro Confesſionem omnium peccatorum: ſed generalem; non ſpecialem.

3. Concedimus licitam, imo utilem eſſe quorundam peccatorum, maximè graviorum, ſpecialem detectionem; ſed negamus neceſſariam, aut posſibilem eſſe, omnium peccatorum, quæ mortalia verè dicuntur, plenam enumerationem.

4. Præſertim, ſi quod Adverſarii volunt, omnes circumſtantiæ recenſendæ ſint, juxta verſiculum:

Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodò, quando,
Peccaſti, dices: ut ſit Confesſio vera.

Βεβαίωσις. Probatur, *quod omnium delictorum, cum circumſtantiis ſuis, plena enumeratio non ſit*, 1. Neceſſaria: quia (1) caret mandato Dei. Vid. Aug. Confeſſ. p. 42. 43. (27. 28) (2) ut non neceſſaria, deſcribitur à Chryſoſtomo ibid. p. 42. (27.) (3) multa damna peperit in Eccleſiâ, quæ ſupra recenſuimus, ex Apolog. p. 247. (159.) ſq. (4) eliditur exemplis illorum, quorum confesſio generalis Deo placuit Luc. XIIX. 13. Actor. II. 37.

2 Posſibilis, ex Pſ. XIX. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me*; unde argumentamur: Qui ſe delicta quædam, à quibus per abſolutionem mundari debent, *non intelligere*,

eadem

eademque *sibi occulta esse*, rectè cum Davide profitentur, iis plena omnium delictorum cum circumstantiis suis, enumeratio est impossibilis. **A**tqui omnes **C**hristiani. Ergo.

Αντίθεσις est Pontificiorum, qui hanc piarum conscientiarum carnificinam exercent, ejusdemque necessitatem acriter propugnant.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod recesserimus ab **A**ugustanâ **C**onfessione I. cum hodie non recenseantur apud nos coram Ministro omnia peccata, quorum recordamur; quæ tamen recensenda esse Aug. Confessio statuerit. **Ita** Colonitsch. in Antiaugustanâ Confessione; cui sufficienter respondit D. Alberti, in Refutatione suâ. p. 147. sqq. Videlicet apertè falsum est, quod Augustana Confessio ullibi hoc, ceu necessarium, exegerit. Contrarium patet ex Apologiâ hujus **A**rticuli l. c.

II. Quod sublatâ peccatorum enumeratione, scelera fuerint multiplicata. Sic Andreas Fabricius, qui si diligenter circumspexisset, nostrosque cum suis comparasset, aliter profectò judicasset. Concedimus & cum dolore videmus, etiam inter nostros esse helluones, scortatores, Sabbathi profanatores &c. Quorum verò seges longè fertilior est inter Pontificios, qui aquâ lustrali, pecuniâ, aut aliâ qualicunque satisfactione, peccata illa expiari posse, sibi persvadent.

III. Quod in Apologiâ Summistæ perperam carpantur, judice Cochlæo. Huic autem Cassander os obstruit, scribens: ***Salutaris hæc confitendi medicina, ab imperitis & importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis, infecta & contaminata fuit, quibus conscientiis, quas extricare & levare debebant, laqueos injecerunt, & tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt.*** En descriptionem Summistarum, ab Autore Pontificio profectam.

 IV. Quod

IV. Quod periculosum sit apud nos, specialia peccata confiteri, propter Ministrorum loquacitatem: Sic enim videtur Müllmanno. Is verò cum non probet, quod dicit, meritò ipse, ut loquaculus, rejicitur & exploditur.

ARTICULUS XII.

DE POENITENTIA.

I. EXPLICATIO.

QUod Melanchton seriem articulorum X. & XI, transposuerit, dictum est in explicatione Articuli præcedentis In hoc autem Articulo, quod ob heterodoxiam rejici mereatur, nihil mutavit. Adjecit tamen haud pauca & præterea quædam alio ordine recensuit. Nam (1) post illa: *Constat autem pœnitentia*, sequitur: *h. e. conversio impii propriè* &c. (2) post illa: *agnito peccato*; sequitur: *in quibus & iram Dei agnoscimus & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur & fugimus, sicut Joël concionatur: Scindite corda vestra & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum* &c. (3) post illa; *propter Christum*, sequitur: *certò remitti* &c. (4) post illa: *ex terroribus liberat*; sequitur: *De quâ fide Paulus loquitur, cum ait: Justificati fide, pacem habemus.* (5) post illa; *fructus pœnitentiæ*; sequitur: *h. e. obedientia ergà Deum, juxta illud: Debitores sumus: non carni, ut secundum carnem vivamus: Si enim secundum carnem vivetis, moriemini: sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, vivetis.* (6) Pro istis: *Rejiciuntur & isti—satisfactiones nostras*; legitur ibi: *Damnant & illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratìs propter Christum contingere: sed contendunt, remissionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & jubent dubitare conscientias in pœnitentiâ, an consequantur*

quantur remisſionem & affirmant, hanc dubitationem non eſſe peccatum. Damnant & iſtos, qui Canonicas ſatisfactiones docent neceſſarias eſſe, ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorii: etſi fatemur, bonis operibus mitigari præſentes calamitates, ſicut Eſaias docet c. 58. Frange eſurienti panem tuum &c: & requiem tibi dabit Dominus ſemper. (7) In Antitheſi ordo mutatus eſt. Damnantur enim primo loco Novatiani, ſecundo qui meritis ſuis confidunt, tertio qui ſatisfactiones urgent, quarto Anabaptiſtæ, quinto impeccabilitatis jactatores; ſecus atque in Auguſtanâ Confeſſione invariatâ fit.

Cæterùm in Confesſione hâc genuinâ p. 17. (12.) de Pœnitentiâ agitur

1. Θεθικῶς,
   1. quod ſit remedium adverſus peccata, poſt Baptiſmum commiſſa. *De Pœnitentiâ——impertiri.* Duo igitur in his ſupponuntur,
      1. quod homines poſt Baptiſmum peccent.
      2. quod per peccata Spiritum Sanctum amittere queant.
   2. quod propriè loquendo conſtet his duabus partibus, nempe
      1. Contritione: *Altera eſt contritio——peccato.*
      2. Fide: *Altera eſt fides——terroribus liberat.*
   3. quod nova Obedientia ſit fructus Pœnitentiæ. *Deinde——Pœnitentiæ.*
2. Αντιθετικῶς, rejiciendo & damnando
   1. Anabaptiſtas ſimilesque Fanaticos,
      1. *qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum*; cui errori adſtipulantur Calviniani.
      2. *qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hâc vitâ contingere, ut peccare non posſint*: id quod hodie profitentur Quackeri & quidam ex Pietiſtis.

36 a

2. Novatianos, *qui nolebant absolvere lapsos post Baptismum, redeuntes ad Pœnitentiam.*
3. Pontificios, qui
  1. *non docent remissionem peccatorum per fidem contingere.*
  2. *jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.*

IN APOLOGIÆ ARTICULO V. & VI. p. 251. (161.) seqq.

I. Exponitur, quid Adversarii de doctrinâ nostrâ judicaverint
  1. quod partem Articuli hujus approbaverint. *In Articulo——quotiescunq́ convertuntur.* p. 251. (161.)
  2. quod partem Articuli ejusdem rejecerint. *Secundam partem——pœnitentiæ.* Ibid.

2. Deteguntur errores Adversariorum
  1. Generaliter, per collationem nostræ doctrinæ, cum doctrinâ illorum. *Quid hic, Carole Cæsar——pax conscientiæ.* p. 251. 252. (161. 162.)
  2. Specialiter, ita, ut quæ limâ indigent, sistantur
    1. Sigillatim, quoad tres ex mente Pontificiorum sic dictas Pœnitentiæ partes,
      1. CONTRITIONEM. Ubi Pontificii
        1. dubitant, utrum in Contritione, an in Attritione fiat remissio peccatorum. *Prodeat nobis aliquis——jam est remissum.* p. 253. (162.)
        2. propterea potestatem clavium extenuant. *Hic verò multò magis sudant——reddet pacatam conscientiam.* Ibid.
        3. Contritionem comminiscuntur esse meritoriam. *Jam ista sunt magis perplexa——svaves Sophistæ somniant.* p. 254. (162. 163.)
        4. beneficia Christi obscurant & omnia mirè intricant. *Hic appellamus judicia——justitiam fidei.* p. 254. (163.)

a b c 2. CON-

2. CONFESSIONEM. Ubi Pontificii
1. Exigunt plenam enumerationem peccatorum, maximè contra Traditiones humanas commissorum. *Hæc fiunt in primo—traditionibus humanis.* p. 255. (163.)
2. Eandem perhibent esse juris divini. *Et quo magis—divini.* Ib.
3. Interim de Absolutione & Fide abjectè sentiunt. *Et cum ipsam enumerationem—πρὸ τῶν μυστηρίων* Ib.
3. SATISFACTIONEM. Ubi Pontificii
1. *Fingunt æternas pœnas mutari in pœnas purgatorii.* p. 256. (163.)
2. *Partem pœnarum censent remitti potestate clavium, partem verò redimendam esse Satisfactionibus.* Ibid.
3. *Addunt ampliùs, quod oporteat Satisfactiones esse opera supererogationis.* Ibid.
4. *Hæc* opera *constituunt in stultissimis observationibus, velut in peregrinationibus, rosariis aut similibus, quæ non habent mandata Dei.* Ibid.
5. Satisfactiones remittunt venditis Indulgentiis. *Deinde sunt—remissiones satisfactionum.* 256.(164)
6. *Hunc quæstum non solùm ex vivis, sed multò ampliorem ex mortuis faciunt.* Ibid.
7. Missis quoque satisfactiones redimi tradunt. *Neq; solùm—de satisfactionibus.* Ibid.
8. In Casibus quibusdam non solùm pœnam, sed etiam culpam reservari perhibent. p. 258. (165.)
2. Conjunctim. *Inter hæc scandala—in eo qui verè convertitur.* p. 256. seqq. (164 165.)
3 Explicatur doctrina nostra & ab objectionibus vindicatur. Procedunt autem Confessores

L l 1. Posi-

1. Positivè, statuentes

1. generaliter, quod propriè loquendo duæ sint partes Pœnitentiæ. *Nos igitur ut——non refragabimur.* p. 258. (165.) Ubi

1. Illustratur status Controversiæ, additis quibusdam

1. De Contritione, ejusdemque

1. formali ratione. *De Contritione præcidimus ——dolet se peccasse.* Ibid.

2. principio causali. *Et hæc Contritio ita fit——& terret conscientias.* p. 258. 259. (165. 166.) Observa, cum hic *Evangelium* dicitur *arguere peccata & offerre remissionem*, p. 259. (165.) quod vox Evangelii non strictè sumatur, in oppositione ad Legem; sed latè pro doctrinâ Ecclesiam personante, quæ simul & Legem & Evangelium complectitur: unde in proximè sequentibus redargutio peccatorum soli Legi vindicatur, in oppositione ad Evangelium strictè sic dictum. p. 270. (166.)

2 De Fide,

1. quod ejusdem obliviscantur adversarii, atque adeo desperationem doceant. *In his terroribus——tantùm ostendunt Legem.* Ibid.

2. quod necessariò addenda sit, utpotè sine quâ Contritio nihil prosit. *Nos igitur addimus—donatam propter Christum* p. 260. 261. (166. 167)

3. quod illam sequatur charitas. *Nec priùs dilectio—ut supra diximus.* p. 261. (167.)

4. quod respectu fidei timor dividatur in filialem & servilem. *Et sic clarè definiri potest——pavidum cor.* Ibid.

5. quod potestas clavium, exhibeat Evangelium

a b c d per

a b c d

per Abſolutionem, â fide apprehendendam. *Porrò poteſtas——eruditiores loquuntur.* Ib. Quo ſenſu in his Abſolutio dicatur *Sacramentum Pœnitentiæ,* vid. in Apolog. p. 317. (200.)

6. quod fides alatur per Evangelium &Sacramenta. *Interim hæc fides——propitiatore Chriſto.* p. 262, 263. (167, 168.)

2. Probatur Theſis noſtra, ex Scripturâ S. videlicet

1. ex Matth. XI. 28. *Sed quia confutatio——duæ partes præcipuæ, contritio & fides,* p. 263. (168.)
2. ex Marc. I. 15. *Et Marci primo——nominantur contritio & fides.* Ibid.
3. ex Col. II. 11, 12, 13. *Paulus ferè ubiq;——ex fide vivet.* p. 264. (169.)
4. ex eodem, v. 14. *Et deinde in Coloſſenſibus——pacem & vitam cordi.* p. 265. (169.)
5. ex dictis aliis, ut Pſ. CXIIX. 18. CXIX. 28. 1 Sam. II. 6. Eſ. XXIIX. 21. 2. Sam. XII. 13, 14. Luc. VII. 38. *Quanquam quid opus eſt——opponitur contritioni ac mortificationi.* p. 265. ſqq. (169, 170, 171.)

2. Specialiter, quod Fides ſit pars Pœnitentiæ, ubi

1. præſupponitur
   1. agi de articulo maximi momenti. *Sed quia adverſarii——Chriſtianis omnibus.* p. 268, 269. (171.)
   2. Articulum hunc magnam convenientiam habere cum articulo de Juſtificatione. *Cum autem ſuprà——doctrina juſtificationis.* Ibid.
   3. Adverſarios, cum fidem dicunt eſſe poſteriorem Pœnitentiâ, aliter vocem accipere atque nos.

a b

a b

Adversarii cum de fide—adversarii nostri reclamant. p. 269, 270. (172.)

2. Thesis probatur,

1. quia Absolutio juxta illos, est pars Pœnitentiæ, quæ accipi nequit sine fide. *Principio autem interrogamus—de Filio suo.* Ibid.
2. quia remissio peccatorum, sive pars, sive finis est Pœnitentiæ, quæ similiter haberi nequit sine fide. *Secundò fateri—non propter Christum.* p. 271. (173)

Ulterius, solâ Fide gratìs remitti peccata, ostenditur

1. directè
   1. ex consensu omnium Prophetarum. *Et Petrus ait in Actis—Ecclesiæ consensus esse.* p. 271. sq. (173, 174.)
   2. ex defectu potestatis penes Adversarios, decernendi aliquid contra hunc consensum. *Nec Papæ—Prophetarum* p. 272. (174.) Inseruntur quædam notatu digna:
      1. quod Ecclesia non sit vera, quæ Prophetas damnat. *At Bulla Leonis—qui sic sentiunt.* p. 272, 273. (174.)
      2. quod non Autorum numero, sed pondere certandum, neque nimium recentioribus Scriptoribus tribuendum sit. *Sed habent magni nominis Autores—non intellectos.* p. 273. (174.)
      3. quod Petrus meritò omnibus Sententiariis præferatur. *Nos igitur hanc Petri—consensum Prophetarum.* Ibid.
   3. ex Spiritus S. extraordinario testimonio. *Et accedit testimonium—peccati & mortis.* p. 273,

a b c

273, 274. (174.)

4. ex propagatione hujus doctrinæ, à principio mundi, usq; ad Bernhardum. *Et hanc sententiam——partem esse Pœnitentiæ.* p. 274. seq. (174, 175.)

2, indirectè, quia falsò Adversarii docent, peccatorum remissionem esse à contritione vel attritione, de quo nostri judicant,

1. quod hoc sit Legem & quidem Legem non intellectam docere, abolito Evangelio. *Tertiò Adversarii——in nostra opera.* p. 275. sqq. (175, 176.)
2. quod Paulus Apostolus nobiscum faciat, quamvis verba ejus Adversarii calumnientur. *Propter has causas——quam legem facimus.* p. 277. sqq. (176, 177, 178.)
3. Quod doctrina Adversariorum non sinat pacatam esse conscientiam; sed desperationem inducat. *Postremò quando erit pacata——doctrina desperationis.* p. 280. sq. (178. 179.)
4. quod graves causas dissentiendi habeamus. *Nunc libenter omnibus—Christi & Ecclesiæ.* p. 281. sq. (179)
5. quod Adversarii dicta Patrum truncata allegent. *Diximus quas ob causas—sententias profuisset.* p. 282, 283. (179. 180.)
6. quod pro nobis stent Tertullianus & Ambrosius. *Nam Tertullianus egregiè—non intelligant prætereunt.* p. 283. sq. (180.)

2. Remotivè sigillatim agentes

1. de CONFESSIONE, ubi

1. formant statum controversiæ, quod non rejiciamus Confessionem coram Ministro; sed tantùm id, quod perperam, ut necessarium, exigitur in

a b

Confesſione. ***Boni viri facilè—jure divino neceſſariam.*** p. 285. (181).

2. oſtendunt, ſpecialem delictorum enumerationem non eſſe neceſſariam,

1. per ſolutionem objectionum ſequentium,

1. quod Judex priùs debeat cognoſcere cauſam, quàm ſententiam pronuntiet. ***Nam quod objiciunt—requirit agnitionem.*** p. 285, 286. (181)

2. quod Salomon jubeat cognoſcere vultum pecoris ſui. ***Et ridiculum eſt—ſed omittamus illa.*** p. 286. (181, 182.)

3. quod in Pſalmis & Jacobo exigatur Confeſſio apud Pontificios uſitata. ***Aliquoties fit in Pſalmis—mutuam eſſe confesſionem.*** p 284, 285, 286. 287. (182. ſq.)

2. per rationem, ab impoſſibilitate & conſenſu Doctorum deductam. ***Porrò adverſarii noſtri—alios Canones.*** p. 288. ſq. (182. ſq.)

2. de SATISFACTIONE, ubi

1. formant ſtatum Controverſiæ, diſtinguendo inter Satisfactionem Canonicam primævæ Eccleſiæ, & Satisfactionem hodiernam Pontificiorum. ***Et ex illo ritu—conſequi remisſionem peccatorum.*** p. 289. ſeq. (183, 184)

2. exponunt fluctuationes Pontificiorum circa hanc doctrinam, utpote qui docent,

1. Satisfactiones fieri ad placandam iram Dei. ***Et adjuvant errorem—divinam offenſam.*** p. 290. (184)

2. eandem non prodeſſe contra culpam; ſed tantùm contra pœnam. ***Sed tamen fatentur—redimi per ſatisfactiones.*** p. 291. (184.)

a b

3. expli-

a b

3. explicari non posse, quæ pœnarum pars redimatur per claves & quæ per satisfactionem. *Nec potest intelligi—redimentes purgatorium.* p. 291. (184. 185.)

4. satisfactiones fieri posse â relapsis. *Et has satisfactiones—in peccato mortali.* p. 291. (185.)

3. refutant adversariorum dogmata, ex eo, quod ignota sint, non tantùm in Bibliis, sed etiam in vetustis Patribus. *Hæc tota res est commentitia—propter disciplinam Ecclesiæ.* p. 291. sq. (185.)

4. respondent objectionibus,

1. ex quibusdam Scripturæ dictis, quæ

1. adferuntur. *Videte autem—bonorum operum.* p. 292. sq. (185, 186.)

2. solvuntur. Monstrant enim nostri

1. nullam esse consequentiam. *Deus perdat istos—non diu feret,* p. 293. sq. (186.)

2. Pontificem per Sophistas tales sibi malè consulere. *Nec utiliter—sedis existimationem.* p. 294. (186.)

3. Scripturas nullibi loqui de satisfactionibus Pontificiis. *Sed redeamus—in peccato mortali.* p. 296. sq. (188.)

4. Satisfactiones non posse esse opera indebita. *Ac multa colligi—pro pœnâ satisfacientia.* p. 297. seqq. (188, 189.)

5. Claves non habere mandatum pœnas commutandi, aut partialiter remittendi. *Cum igitur Scriptura—remittebant Pastores.* p. 299. (189, 190)

6. committi petitionem ejus, quod est in principio. *Quanquam igitur sentimus—probanda erant adversario.* p. 299. sq. (190.)

a b c

7. morte

a b c

7. morte Christi esse plenariè satisfactum. *Prætereà mors Christi——& beneficiorum Christi.* p. 300. (190)

8. opera supererogationis nulla dari. *Nam de Lege sic dicunt——non possunt sine peccato omitti.* p. 300. sq. (190, 191.)

9. opera non præcepta Deo displicere. *Verùm illa opera——vocantur opera supererogationis.* p. 301. sq. (191.)

10. Legem Dei ab Adversariis bifariam impugnari. *Tribuitur eis honos——legis divinæ.* p. 302. sq. (192.)

11. Pœnitentiam & gratiam obscurari. *Deinde obscuratur——pœnæ purgatorii.* p. 303. sq. (192.)

2. ex autoritate Augustini, qui Pœnitentiam dixit *vindictam punientem*; ad quod è vestigio respondetur. *Sed objiciunt Adversarii—si sit vera pœnitentia.* p. 304. sq.

3. ex ratione, quod justitiæ Dei conveniat punire peccatum; sicut experti sunt Adam & David. In responsione memorabilia quædam, de afflictione piorum immiscentur. *At inquiunt—redimant pœnas.* p. 305. sqq. (193, 194, 195, 196.)

4. ex aliis Scripturæ dictis, quorum verus sensus eruitur. *Et cum objicitur illud Pauli——ne deleretur civitas.* p. 309. sq. (196, 197.)

5. ex nomine Satisfactionum, in Patribus & Conciliis occurrente, cujus homonymia discutitur. *Quod autem Patres mentionem—Canones Satisfactionum* p. 310. sqq. (197, 198.)

6. ex expresso Evangelii testimonio: quod argumentum partim invertitur, partim absurditatis convincitur. In responsione autem incidenter occurrunt quædam notatu digna,

2

[1. de

1. de distinctione inter veros & falsos Pœnitentiæ fructus. *Architecti Confutationis——non tollitur humanâ autoritate.* p. 312. sqq. (198, 199.)
2. quid olim indulgentiæ fuerint, & quid nunc sint. *Porrò cum nunc per se——ex purgatorio* p. 314. (199.)
3. clavibus non competere potestatem, nisi super terram. *At clavis non habet——solutum in cœlo.* Ib.
4. potestatem istam in remissione, aut retentione peccatorum consistere. *Quanquam, ut suprà diximus——ad ædificationem.* p. 314. sq. (199.)
5. Casuum reservationem esse rem politicam. *Quarè reservatio——impediri absolutionem.* p. 315. (199.)
6. nostram sententiam præstare præ sententiâ Pontificiâ? *Exposuimus summam——explicare possunt.* p. 315. seq. (199, 200.)

5. Inserunt, velut in transcursu, apostrophen ad Campegium Cardinalem, in quâ statuunt
1. ei ex officio incumbere, ut viros integros causæ hujus discussioni admoveat. *Idque te, Campegi——calumniosis judiciis.* p. 294. seq. (186, 187.)
2. ultimis hisce temporibus singulari prudentiâ & diligentiâ opus esse. *Vides, Campegi——tum diligentiam.* p. 295. (187.)
3. mutationem imminere Romano statui, quæ armis averti nequeat. *Multa sunt signa——quo minus explicari res possit.* Ibid.
4. Pontificibus, cum Dei judicium non pertimescant, saltem judicia hominum esse verenda. *Non hoc dicimus, Dei judicium——conscientias sanaveritis.* p. 296. (187.)
5. ista bono animo, non ex diffidentiâ causæ dici. *Hæc non eò diximus——ipsorum possint.* p. 296. (188.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Cum nemo in hâc vitâ eam perfectionem consequatur, ut ex lege judicandus, absque peccato, etiam actuali, sit; idcircò homines sine exceptione omnes pœnitentiâ indigent: tametsi interim agnoscamus, quà specialem modum, aliter comparatum esse, cum Pœnitentiâ lapsorum & relapsorum, quàm stantium.*

Ἔκθεσις 1. Quod homo ad perfectionem contendere debeat, extra controversiam est. Matth. V, 48. De eo autem quæritur, an perfectionem in hâc vitâ obtinere queat.

2. Hic distinguimus, inter perfectionem evangelicam seu justificationis, & legalem seu renovationis. Illa ex fide; hæc ex operibus est. De priori Paulus loquitur Col. II. 10. De posteriore nunc erit agendum.

3. Legalis perfectio aut opponitur hypocrisi, ut idem notet, quod *sinceritas*, qualis in fideles cadit. 1. Reg. XV. 14. Ps. XIIX. 24. aut opponitur imperfectioni, qualem in præsenti vitâ nemo consequitur.

4. Quamvis enim regenitus esse possit sine regnante peccato. Rom. VI. 12. nunquam tamen est sine omni peccato.

5. Si non dantur in eo peccata malitiosæ pravitatis; inveniuntur tamen in eo peccata humanæ infirmitatis.

6. Idcircò omnes indigent pœnitentiâ; tametsi non omnes agant pœnitentiam. Nam à negatione facti, ad negationem debiti N. V. C.

7. Luc. XV. 7. Christus conditionatè loquitur: Non ait, *dari justos qui pœnitentiâ nullâ indigeant*; sed ponit casum, ex hypothesi Pharisæorum dabilem, reverà autem in statu corruptionis impossibilem. Vid. Luc. XIIX. 9.

8. Quod autem ad orationem Manassis v. 7. attinet, præterquam quod in Canone non est, etiam responderi potest, asser-

assertionem istam, non intelligi absolutè; sed comparatè ac secundum quid. Patriarchæ scilicet *non indigebant Pœnitentiâ*, super tam gravibus delictis, qualia commiserat Manasses; etsi interim suis etiam peccatis inquinarentur, atque ideò pœnitentiâ opus haberent. Job. IV. 18.

9. Generaliter loquendo, Pœnitentia omnis est *conversio salutaris ad Deum, per vires supernaturales, à Spiritu S. acceptas:* quà specialem verò modum, datur aliqua diversitas, inter Pœnitentiam lapsorum, relapsorum & stantium.

10. Lapsi dicuntur, qui hactenus planè irregeniti fuerunt: Relapsi, qui per peccata regnantia acceptam gratiam amiserunt: Stantes, seu luctantes, quorum spiritus in quotidiano agone, Diabolo, mundo & carni (non tamen sine omni imbecillitate) resistit. Quo respicientes Ecclesiæ priscæ Doctores, *totam vitam Christiani hominis perpetuam Pœnitentiam* esse jubebant.

11. Distinctio hæcce non est generis in species; sed adjuncti in subjecta.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Neminem in hâc vitâ eam perfectionem consequi, ut absq; peccato sit;* 1 ex 1. Joh. I. 8, 9, 10. ubi observandum (α) quod Johannes, suo ac aliorum renatorum nomine, loquatur v. 8. (β) quod *confessionem peccatorum ac iniquitatum* omnibus, de quibus loquitur, necessariam esse indicet v. 9. (γ) quod *falsitatis* & *seductionis* eos arguat, qui *negant, renatos peccatum habere*, v. 8. imo etiam *qui dicunt, se non peccasse* v. 10. (δ) quod talis assertio Deo *mendacii notam* impingat. v. 10. quippe qui aliud testatus est in *verbo suo*. 1. Reg. VIII. 46. Job. XIV, 4. Ps. XIV. 3. CXXX. 3. CXLIII. 3. Prov. XX. 9. Es. LXIV. 6. Rom. III. 23. & qui locus præ cæteris notandus est, Gal. III. 22. Ut ad classicum Johannis nostri dictum revertamur, Apostolo illi in priori Epistolâ, tria hæc, nempe *peccatum habere, peccare &*

peccatum facere, latitudine differunt. Nam τὸ *peeccatum habere* generalissimè dicitur, de quocunque peccato, non originali solùm, sed & actuali. *Peccare* strictioris significationis est, quippe quod ab Apostolo laudato non nisi de actuali peccato adhibetur, tam infirmitatis, quàm pravitatis. At *peccatum facere*, ibi tantùm ad peccatum voluntarium transfertur. Hinc quando Johannes initio vetat, ne gloriemur, quod *peccatum non habeamus*; mox etiam prohibet, ne in opinionem illam, quod *non peccemus*, prolabamur. Prævidebat enim, aliquando homines inventum iri, qui τὸ *peccatum habere*, de solo peccato originali, intelligant: quibus ut os obstrueretur, mox vocabulum angustius atque ad actualia peccata, citra exceptionem, se extendens, substituitur. 1. Joh. I. 10. 2. ex absurdo: quia qui absque peccato foret, Christo ut mediatore non indigeret: quo ipso tolleretur universalitas mediatorii officii. 1. Tim. II. 5. Hebr. IX. 24.

II. *Homines sine exceptione omnes, Pœnitentiâ indigere* (1) ex Conclusione præcedenti: A morbo enim ad indigentiam medicinæ, rectè argumentamur: id quod David agnoscit. Ps. CXLIII. 3. (2) Specialiter urgemus, Act. XVII. 30. ubi Deus legitur *annuntiare* (τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ) *omnibus hominibus ubiq̄, ut pœnitentiam agant:* quæ duplex universalitas, subjecti & loci, exceptionem quamcunque eludit. (3) Addimus alia dicta. 2. Petri III. 9. Jonæ I. 8.

III. *Pœnitentiam subjectivè dispesci, in eam quæ est Lapsorum, Relapsorum & Stantium.* Sic agitur (1) *de Pœnitentiâ Lapsorum.* Act. XVII. 30. Paulo enim cum Atheniensibus irregenitis res erat. Conf. ib. v. 32, 34. (2) *de Pœnitentiâ Relapsorum.* Jer III. 12. Propheta enim (α) alloquitur Israëlem *aversatricem* v. 12 (β) quæ cum anteà in viis Dei fuisset, jam *disperserat* illas *vias* suas. v. 13. (γ) atque ideo *reverti* jubetur. v. 12. (3) *de Pœnitentiâ Stantium* Matth. VI. 12.

Disci-

Diſcipuli enim Chriſtum piè ſequentes, nihilominus orare docentur: *Dimitte nobis debita noſtra* &c. id quod & nunc apud Chriſtianos quotidianæ Pœnitentiæ ſignum eſt.

Ἀντίθεσιν fovent I. Pontificii, qui (1) negant, Pœnitentiam pertinere ad omnes homines; (2) cenſent, non opus eſſe, ut conteramur propter peccata, quæ, ex mente eorum, per ſe ſunt venialia.

2. Sociniani, qui Pœnitentiam ſtantium abolent, cenſentes, Renatos non indigere Pœnitentiâ.

3. Anabaptiſtæ, Weigeliani, Quackeri & ſimiles Fanatici, qui hominem ad eam perfectionem, ut planè non peccet, in hâc vitâ venire poſſe ſomniant.

4. His adjungimus Pietiſtas, qui ut Samſonis vulpeculæ, caudis quidem i. e. perfectionis legalis jactatione, connectuntur; ſed capitibus in diverſa tendunt. Alii enim Regenitum ab omni omninò peccato: alii ab omni actuali, in oppoſitione ad originale, quod ſupereſſe fatentur: alii non niſi â peccato proæretico conſtanter immunem eſſe, profitentur. Singulorum, quos indigitamus nomina & verba recenſentur in Supplemento Synopſeos Art. 13. Th. 1. & 2. Art. 22. Th. 9. Art. 24. Th. 6. Addantur Wigandiana, ſub tit. de Perfectione, p. 60. ſq. Specialiter de Hyperpietiſtis ibidem agitur p. 62. ſq.

Theſis II. *Qui poſt regenerationem in peccata, quamvis graviſſima, incidunt, iis per Pœnitentiam, reditus ad gratiam Dei, usq; ad extremum vitæ halitum patet, neq; ſeria pœnitentiæ ſigna edentibus abſolutio deneganda eſt.*

Ἔκθεσις 1. In gravioribus delictis, v. gr. Apoſtaſiâ, Furto, Homicidio, Fornicatione &c. deprehenſi, ab Eccleſiâ primitivâ caſtigabantur; non tamen per omnimodam abſolutionis denegationem; ſed tamen per alligatam certo tempori ſuſpenſionem.

2. Hujus autem suspensionis causa, non erat defectus potestatis in Ministerio, quasi ob gravitatem delicti, absolutio peccatori denuntiari nequiverit; verùm ordo requisitus in actione Ministri, ut alii â similiùm peccatorum imitatione deterrerentur.

3. Si igitur dicendum quod res est, per suspensionem lapsis tantùm adimebatur reconciliatio cum Ecclesiâ; non item cum Deo, Neque enim de eorum salute dubitamus, qui post seriam contritionem fidemque in Christum, sine denuntiatâ absolutione, moriebantur; cum hic, æque ac in Sacramentis, locum inveniat illud: *Non privatio damnat; sed contemtus.*

4. Ut omnia planiùs explicentur, observandum, quod communio Ecclesiæ duplex sit, interna & externa. Uti hypocritæ tantùm in externâ Ecclesiæ communione vivunt, quamvis ad internam, ex judicio hominum, pertinere videantur: ita lapsi, seriò pœnitentes, ante denuntiatam absolutionem, olim ab externâ Ecclesiæ communione, ex judicio hominũ, arcebantur, quamvis ad internam reverà pertinerent.

5. Hebr. VI. 4. non agitur generaliter de peccato atroci quocunque; sed specialissimè de Peccato in Spiritum S. Apostolus enim loquitur de illis, qui post agnitam & in corde obsignatam veritatem, nihilosecius *crucifigunt sibimetipsis filium Dei*; h. e. qui non ex metu, aut infirmitate, verùm ex destinatâ malitiâ, Christum & Evangelium cum blasphemiâ persequuntur & in eo perseverant.

6. In altero autem loco Hebr. XII. 17. in quo legimus, Esavum, *ne quidem cum lachrymis, invenisse Pœnitentiam:* sciendum, quod Pœnitentia juxta acceptionem vocis laxiorem, significet mutationem propositi: non tamen in Esavo; sed in Isaaco. Sensus enim est, Esavum non potuisse impetrare apud Patrem, ut mutato proposito, benedictionem, Jacobo jam impertitam, revocaret, & in ipsum transferret.

7. Disci-

7. Disciplinam Ecclesiasticam laudamus; sed nimium ejus rigorem laudare non possumus: qualis obtinuit olim, cum lapsi per annos aliquot, imo ad finem usque vitæ arcerentur ab Eucharistiâ. Aliud præcepit Paulus 2. Cor. XIII. 10. & exemplo suo confirmavit 2. Cor. II. 5. sqq.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex Jerem. III. 12, 13, 14. Quia Israelitæ, in circumcisione regeniti, quamvis per idololatriam multiplicem se â Deo avertissent v. 13. coll. v. 6. sqq. nihilominus ad Pœnitentiam, additâ promissione receptionis secuturæ, invitantur. Baptizatorum verò sors non est deterior, quàm circumcisorum. Observandum (1) quod Deus pœnitentiam iis præcipiat: *Revertere aversatrix Israel* v. 12. (2) quod remissionem peccatorum promittat: *Ego vir vester & assumam vos* v. 14. (3) quod benignitatem suam prædicet: *Benignus ego & non irascar in perpetuum.*

2. ex Joh. VI. 37. Quia Christus promittit, eos, *quos dat ipsi Pater, ad ipsum venturos, seque venturos non esse foras ejecturum.* Jam inter eos, quos Pater dat Christo, etiam sunt, qui post Baptismum in gravissima peccata incidunt: v. gr. Petrus abnegans &c. Uti ergo huic per Pœnitentiam aditus ad Christum patebat, ita nec aliis aditus iste occluditur.

3. ex Act. XVII. 30. Quia *Deus annuntiat hominibus, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant:* Ad quæ verba in Artic. Smalcald. P. 3. Art. 3. p. 508. (326) annotatur: *Omnes dicit, nemine excepto, qui modò homo est.*

4. Ab exemplis Aaronis idololatræ, Davidis adulteri & homicidæ, Petri apostatæ, aliorumque in gratiam receptorum.

Ἀντίθεσις est 1. Novatianorum, in Aug. Conf. descriptorum, quorum vestigiis Anabaptistæ, præsertim Hoffmanniani & Monasterienses, in Wigandianis nostris, sub titulo de Pœnitentiâ p. 138. insistebant, atque hodienum Sociniani insistunt. Nam & hi negant, post regenerationem mortaliter peccantes â Deo in gratam recipi.

2. Pon-

2. Pontificiorum, qui per figmenta casuum reservatorum, non multum à rigore Novatianorum absunt.

3. Pietistarum, à quibus aliqui lento gradu, aliqui citatiori cursu ad Novatianismum tendunt, quorum hypotheses & verba ipsa recitantur in Supplem. Synopseos Artic. 23. Th. 3.

4. Terministarum, peccatores rectà ad desperationem ducentium, de quibus videatur denuò Supplementum Synopseos Art. 15. Th. unic. Addantur Wigandiana l. c. p. 139. sqq.

Thesis III. *Pœnitentiæ partes duæ sunt, Contritio & Fides, seu ut Apologia (in alio tamen sensu, quàm heterodoxi posteà vocibus illis usi sunt,) loquitur, Mortificatio & Vivificatio.*

Ἔκθεσις 1. Ne ambiguitate vocis decipiamur, initiò statim removemus Pœnitentiam, quæ adscribitur Deo 1. Sam. XV. 11. 29. & retinemus eam, quæ adscribitur Hominibus.

2. Neque apud homines Pœnitentia Ethicè accipienda est, pro affectu ex naturalibus causis orto. Exod. XIII. 17. sed Theologicè, pro actu Spiritûs S. Legem & Evangelium nobis applicante.

3. Porrò Pœnitentia sumitur vel in sensu latiori, per Synechdochen partis, ut totam Conversionem, cum omnibus adjunctis & effectibus, adeoque & novam obedientiam notet; vel in sensu angustiori, per Synechdochen totius, ut solam contritionem, alteri Pœnitentiæ parti oppositam, significet, juxtà regulam Theologorum: *Quando in N. T. Pœnitentiæ adjungitur Fides, accipitur tantùm pro contritione*; vel in sensu adæquato, pro toto ex partibus composito, quæ acceptio nunc locum obtinet.

4. Contritionem Pontificii nobiscum pro parte Pœnitentiæ habent, ita tamen ut præter nomen vix quicquam utrinq; commune maneat. Quare nemo miretur quod Lutherus in

Postillâ Domesticâ Dom. Quasimod. Contritionem *opus Diaboli vocaverit.* Non enim intelligit Contritionem in significatione genuinâ; sed Pontificiâ sic dictam.

5. Ut clariùs pateat, quantum distemus, sciendum (1) quod Pontificii Contritionem, ut actionem, ex libero arbitrio derivent. At nobis ea in passione; non in actione consistit. Vid. Th. 4. p. 282. (2) quod Pontificii statuant, Contritionem esse meritoriam: At nostri omne meritum à satisfactione Christi deducunt. Vid. Th. 5. p. 283. (3) quod Pontificii sufficientem exigant Contritionem, ut peccator tam de omnibus peccatis in genere, quàm de singulis peccatis in specie doleat & commissa peccata aversetur, nec remissionem consequi possit peccati, sub Contritionem individualiter non venientis. Si quis autem eousque non extendat dolorem, præsertim quoad odium peccatorum, Attritionem vocant, quasi dicas dimidiam Contritionem, eamque pro totâ Contritione assumunt v. gr. si peccator â Confessario interrogatus, an optet habere plenam Contritionem? respondeat affirmativè: tunc videlicet ex hypothesi Pontificiorum, defectus in Contritione, per ejusmodi bonum opus suppletur. At nostri asserunt, Contritionis esse, dolere de insufficientiâ doloris. Nam omnis Contritio est insufficiens. Luc. XVII. 10. Rom. III. 23. (4) quod Pontificii propositum bene vivendi sub Contritione comprehendant. At juxta nos, illud ad novam obedientiam, tanquam fructus Pœnitentiæ, pertinet.

6. Distingvendum quoque inter Contritionem servilem, qualis est hypocritarum & desperantium, qui de pœnâ magis, quàm culpâ dolent; & filialem, qualis est verè pœnitentium, qui ipsam culpam agnoscunt & deplorant. Posterior hujus fori est; non prior.

7. Altera Pœnitentiæ pars est Fides: non historica, quippe quæ præcedit Pœnitentiam, Jon. III. 5. sed salvifica, quæ verè constituit Pœnitentiam.

8. Fides salvifica opponitur Pœnitentiæ partialiter sic dictæ, quatenus solam Contritionem notat Marc. I. 15. Act. XX. 21. includitur verò, ut pars, sub Pœnitentiâ totaliter sic dictâ.

9. Eadem Fides nunc consideratur ut organon, per quod justificatur peccator; cum aliàs etiam sit organon, per quod se exercet justificatus.

10. Cavendum insuper, ne Fides sumatur inadæquatè, pro unâ tantùm vel alterâ partium, ex quibus constat, seorsim spectatarum; sed adæquatè, quatenus tribus partibus absolvitur, notitiâ, assensu & fiduciâ. Vide superiùs Att. IV. Th. 3. p. 145.

11. Contritio & Fides, sub respectu ad remissionem Peccatorum, ita considerantur, ut sola Fides sit medium apprehendendi gratiam, quâ Deo reconciliamur; Contritio autem tantummodò se habeat ut pars ordinis, quem Deus in justificandis observat.

12. Mortificatio & Vivificatio possunt dici partes Pœnitentiæ, si voces sumantur in sensu orthodoxo, ut Mortificatio Contritionem & Vivificatio Fidem notet; nequaquam verò, si voces sumantur in sensu heterodoxo, ut Mortificatio significet veteris hominis abnegationem, & Vivificatio renovationē.

13. Sic enim Mortificatio & Vivificatio non sunt partes Pœnitentiæ; sed consequens ejusdem: quandoquidem ad novam obedientiam pertinent.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Pœnitentiæ partes duas esse, Contritionem & Fidem*, 1. ex Jonæ III. 4. sqq. quia tot partes in Pœnitentiâ Ninivitarum inveniuntur. De *Contritione* enim agitur v. 5, 6, 7, 8. ubi observandum, quod Ninivitæ, non propterea sic fecerint, ut aliquid â Deo mererentur; sed ut internum affectum, per signum externum testarentur. Matth. XII. 41 Frustrà igitur Pontificii hinc Satisfactionem pro peccato, à Sacerdote injungendam, stabilire nituntur: Nam ordinatio eorum, quæ â Ninivitis agi debebant, non â Sacerdote; sed â Rege proficiscebatur v. 9. ipsisq; etiam jumentis imponebatur,

nebatur, quæ ſatisfacere nequeunt v. 8. nec pro fine habebat placationem juſtitiæ; ſed impetrationem miſericordiæ v. 9. *Fidei* veſtigia occurrunt in toto actu. Nam ideo Ninivitæ tam humiliter ſe gerebant, quoniam Deum ad gratiam flecti credebant. Quod verò ad v. 9. attinet, in quo Rex ait: *QUIS SCIT* &c. ibi non vocatur in dubium peccatorũ remiſſio; ſed temporalis mali condonatio. Cujusmodi malum ſæpè, remiſſis licet peccatis, immittitur, *niſi remittatur*. In ultimis verbis v. 10. non proponitur cauſa, propter quam Deus miſertus eſt; ſed ordo, quem in manifeſtatione miſericordiæ obſervavit, ut adeò nihil inde pro ſtabiliendo operum merito peti queat.

2. ex 2. Sam. XIII. 13. Quia in Confeſſione Davidis, licet breviſſimâ, utraque tamen fidei pars ſe exerit. Nam *Contritionis* eſt, dicere *PECCAVI*; *Fidei* autem, mentionem facere *Domini*: ad cujus miſericordiam hìc reſpici, patet, tum ex effectu, quoniam ſic confitens placuit Deo, quod *ſine Fide eſt impoſſibile*. Hebr. XI. 6. tum ex loco propemodum ſimili. 2. Sam. XXIV. 14, ubi ad miſericordiam divinam à Davide, ob peccatum anxio, expreſsè provocatur.

3. ex dictis Scripturæ aliis, quæ adducuntur & nervosè explicantur in Apologiâ à p. 263. (168) uſque ad p. 281. (180)

II. *Contritionem poſſe Mortificationem, Fidem verò Vivificationem dici*, ex Col. II. 12. 2. Sam. II. 6. aliisque dictis Scripturæ, quæ extant & illuſtrantur in Apologiâ p. 264, 265. (168, 169.)

Ἀντίθεσις eſt 1. Pontificiorum, qui (1) Fidem negant eſſe partem Pœnitentiæ. (2) Pœnitentiæ partes tres faciunt, Contritionem cordis, Confeſſionem oris, & Satisfactionem operis. (3) De contritione perversè docent, prouti in ἐκθέσει oſtendimus.

2. Calvinianorum, ut Calvini ipſius, Bucani, Martyris &c. qui partes Pœnitentiæ faciunt Mortificationem & Vivificationem, ſed in alio ſenſu, quàm Apologia, de quo denuò conferatur ἐκθ.

 3. Phi-

3. Philippiſtarum, Majoriſtarum & Syncretiſtarum, qui novam obedientiam inter partes Pœnitentiæ referunt.

4. Socinianorum & Arminianorum, qui docent, Pœnitentiam nihil aliud eſſe, quàm correctionem & emendationẽ vitæ.

5. Weigelianorum aliorumque Fanaticorum, quotquot per Pœnitentiam intelligunt mortificationem membrorum in terris & imitationem Chriſti.

Theſis IV. *Contritionis nomine, intelligimus dolorem ſuper peccata, ex lege agnita, quem terrores conſcientiæ, pariter per Legem incusſi, ſeqvuntur: ut proinde Contritio, reſpectu hominis, non actio elicita, ſed pasſio ſit.*

Ἔκθεσις 1. Contritio ex Lege; Fides ex Evangelio eſt. Interim nihil obſtat, quo minùs Contritio â Doctore Evangelii e. gr. Matthæo, Paulo &c. Fides autem â Doctore Legis e. g. Moſe, Jeremiâ &c. inſtilletur.

2. Diſtinguimus igitur inter abſtractum & concretum: Quædam traduntur ab Evangeliſtis, quæ non ſunt Evangelium; quædam â Legiſtis, quæ non ſunt Lex.

3. Hoc quoque notandum, cùm Contritionem ad Legem referimus, quod de principio & normâ formâque ejus agatur; non de fine & eventu: Sic enim Contritio, quando ſuperveniente fide homini ſalutaris evadit, per accidens ad Evangelium reduci poteſt.

4. Non inficiamur, materialiter in Contritione concurrere actus noſtros, quales ſunt peccatorum recordatio, iræ divinæ meditatio &c. quamvis negemus, in his formaliter conſiſtere Contritionem.

5. Nimirum ad Contritionem prærequiritur agnitio peccati, pœnarumque peccato dictatarum: eandem ſeqvuntur terrores conſcientiæ: formaliter autem Contritio in dolore peccata deteſtante conſiſtit.

6. Actus

6. Actus nostri, de quibus paulò ante diximus, non constituunt Contritionem; sed ad eam impellunt. 2. Cor. VII. 10.

7. Ut paucis nos expediamus, Contritio non est opus hominis; sed Dei: Non proficiscitur à nobis; sed peragitur in nobis: Non pertinet ad classem actionum; sed passionum.

Βεβαίωσις. Probamus ex Jer. XXXI. 18, 19. ubi tota Pœnitentia, tanquam actio Dei in homine, describitur. Nam juxta Prophetam (1) Deus *convertit hominem, ut convertatur.* Add. Thren. V. 21. (2) *Hominem demum pœnitet, postquam à Deo conversus est*; adeo ut in actu conversionis homo non habeat sese ut concausa Dei; sed ut subjectum recipiens actionem Dei. (3) Necesse est, ut homini priùs, per gratiam prævenientem, *ostendatur peccatum*; quàm ut in signum contritionis, possit *percutere femur, confundi & erubescere.* Si autem homo, per vires naturales, ne quidem cognoscit peccatum, quomodò per eas contereretur super peccato? Addantur dicta allegata & explicata in Apologiâ p. 259, 260. (165. 166.)

Αντίθεσις est Pontificiorum, qui Contritionem (1) ad Evangelium maximè pertinere tradunt. (2) ex viribus liberi arbitrii derivant. (3) ad classem actionum referunt. Nam juxta eos, Contritio est *dolor voluntariè pro peccatis assumtus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

Thesis V. *Contritio non est causa meritoria gratiæ divinæ, & remissionis peccatorum.*

Ἔκθεσις. 1. Contritio ab homine requiritur: non tamen ut meritum reconciliationis, aut ut medium apprehendendæ gratiæ; sed tantùm ut pars ordinis, quem Deus in salvandis observat.

2. Etsi igitur Deus non nisi contrito remittat peccatum; non tamen remittit propter contritionem.

3. Nec remisſio peccatorum nititur quantitate & dignitate contritionis; verùm unicè merito Chriſti, qui pro omnibus ſufficientisſimè eſt contritus. Eſ. LIII. 9.

4. Si quis tamen Contritionem vocaret principium remisſionis peccatorum, non habebit nos contradicentes; modò intelligat principium ordinale, quod præcedit citra influxum; non cauſale, quod præcedit per influxum.

5. Item ſi loquatur de principio cognoſcendi; non eſſendi.

6. Atque ita accipiendus eſt locus Luc. VII. 47. quod patet ex collatione v. 50. in quo ſoli *Fidei* attribuitur influxus. Quapropter notetur regula Damaſceni. L. 4. c. 20. *Mos Scripturæ eſt, quædam quæ ſecundum eventum debent intelligi, cauſaliter dicere.*

Βεβαίωσις. Probamus ex Rom. IV. 15. *Lex iram operatur* h. e. juxta Apologiæ explicationem, *ſemper accuſat conſcientiam & perterrefacit, ut judicium Dei fugiat.* Add. Art. Smalcald. P. 3. Art. 2. p. 499. (319.) Unde concludimus: Quicquid iram operatur, ejusdem effectus, nempe Contritio, non eſt cauſa meritoria gratiæ divinæ & remisſionis peccatorum. Atqui Lex. Ergo. Plura repetantur ex Apolog. p. 274. (175) ſqq.

Αντίθεσις eſt Pontificiorum, qui nobis hâc in parte è diametro contradicunt.

Theſis VI. *Nova Obedientia, quæ & propoſitum emendandi vitam, & ipſam emendationem ac quæcunque opera bona, poſt Pœnitentiam præſtanda, complectitur, accuratè loquendo non eſt pars, ſed effectus Pœnitentiæ.*

Ἔκθεσις 1. Bene Iſidorus apud Bernhardum L. de mod. vivend. ſerm. 23. inquit: *Inanis eſt Pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa.*

2. Proinde controverſum non eſt, an à Pœnitentibus obedientia nova requiratur? ſed quomodò requiratur?

3. Re-

3. Repetimus autem ex antecedentibus, quod Pœnitentia jam non accipiatur in sensu latiori, prouti conversionem cum omnibus adjunctis & effectibus significat; sed in sensu angustiori, prouti adjunctis & effectibus contradistinguitur. Apologia August. Confess. p. 258. (165.) vocem priori modo sumit, in istis: *Si quis volet addere tertiam partem, videlicet dignos Pœnitentiæ fructus, h. e. mutationem totius vitæ ac morum in melius; non refragabimur:* Ipsa autem Confessio p. 17. (12.) posteriori modo, in illis: *Constat Pœnitentia propriè his duabus partibus, altera est Contritio, altera est Fides.*

4. Sic igitur obedientia non requiritur ut Pœnitentiæ pars; sed ut Pœnitentiæ fructus, seu consequens & effectus.

5. Eadem ut separari non debet â Pœnitentiâ; ita tamen distingui debet à Pœnitentiâ.

6. Phrasis popularis seu homiletica non venditanda est pro accuratâ seu acroamaticâ, qualis requiritur in Theologicâ tractatione.

7. Obedientia, Pœnitentiam sequens, dicitur *nova:* aut quia anteà prorsus non fuit, ut in iis qui primùm convertuntur; aut quia per peccatum interrupta fuit, ut in relapsis, denuò conversis.

8. Sub eâ comprehenditur propositum emendandi vitam: Nam & hoc generaliter Legi & quidem primo Decalogi præcepto, de dilectione & timore Dei, conforme est; specialiter verò præceptum illud respicit, quod â peccatore antehac præcipuè violatum fuit. Quomodocunque igitur accipias, inter bona opera meritò refertur.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Novam obedientiam non esse Pœnitentiæ partem*, ex Matth. III. 2, 8. Quia Johannes Baptista (1) distingvit inter Pœnitentiam & Pœnitentiæ fructus. (2) per fructus Pœnitentiæ intelligit opera, tam interna, quàm externa post Pœnitentiam præstanda. Conf. Act. XXVI. 20.

(3) fru-

(3) fructus non est pars: Nam pars constituit totum; fructus autem provenit ex toto jam constituto.

II. *Propositum emendandi vitam comprehendi sub novâ obedientiâ.* Habet enim se ut bonum opus cordis ac consequenter, ut fructus fidei, & per fidem ipsius Pœnitentiæ. Quicqvid verò est fructus Pœnitentiæ, illud comprehenditur sub novâ obedientiâ.

Ἀντίθεσις est, præter eos, quorum in calce Theseos III. mentionem fecimus 1. Syncretistarum, qui opera quædam interq; ea propositum emendationis, imo & alia hujus generis Pœnitentiam præcedere statuunt.

2. Pietistarum, qui propositum faciendi bonum equidem ex Fide deducunt, sed propositum fugiendi peccatum ex Contritione accersunt, adeoque Fidei, quam Pœnitentia complectitur, anteponunt. Vid. Supplem. Art. 23. Th. 4. ad. lit. η.

Thesis VII. *Confessio peccatorum coram Ministro, signum Pœnitentiæ dici potest; nequaquam verò pars.*

Ἔκθεσις 1. Quod Confessio peccatorum coram Ministro in Ecclesiâ utiliter retineatur, adstruximus in Art. XI. Th. 1. p. 254. nunc autem quæritur, sub quo titulo retineatur.

2. Nostra igitur sententia est, non retineri, ut partem Pœnitentiæ; sed ut signum.

3. Et quidem non ut signum infallibile; verùm solummodò ut probabile. Quandoque enim Confessio est hypocritica.

4. Tametsi retineamus Confessionem; nihilosecius improbatur carnificina conscientiæ, quam Pontificii exercent in Confitentes, de quâ vid. Art. XI. Th. 2. p. 258.

Βεβαίωσις. Probamus, quod Confessio peccatorum non sit pars Pœnitentiæ. Quia peccatoribus non est absolutè necessaria, prouti evicemus Art. XI. Th. 1. Concl. 2. p. 257. Quicquid verò peccatori absolutè necessarium non est, illud nec est pars Pœnitentiæ, peccatori absolutè necessariæ.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui Confessionem oris pro secundâ Pœnitentiæ parte habent.

Thesis

Thesis IIX. *Cum remissâ culpâ, etiam reatus pœnæ tollatur, neque ullus hominum, præter Christum θεάνθρωπον, divinæ justitiæ satisfacere queat; idcircò falsum est, quod Satisfactio, à Confessario dictanda, inter partes Pœnitentiæ referri debeat.*

RESPOND. HENRICO Kelß/ Gedan.

Ἔκθεσις 1. Distingvimus inter Satisfactionem primitivæ Ecclesiæ & Pontificiorum: Illa fiebat Ecclesiæ scandalizatæ; hæc dicitur fieri Deo: illa erat exploratoria, an seria ageretur Pœnitentia, nec ne? hæc fingitur esse compensatoria pro peccatis: illa præstabatur ante absolutionem; hæc injungitur præstanda post absolutionem: illa consistebat in castigationibus rationabiliter impositis; hæc sæpè consistit in castigationibus ineptis, ridiculis, aut damnosis. Vid. Art. 3. Th. 4. ἔκθ. n. 5. p. 121. Plura etiam reperiuntur in Apol. p. 289. (183.) sqq.

2. Bellarmino & sequacibus opera satisfactoria sunt triplicia (1) Jejunium, ad quod revocantur omnia, quæ corpus affligunt v. g. cilicia, cineres, flagellationes, humicubatio, genuum flexio &c. (2) Eleemosyna, ad quam revocantur omnia opera misericordiæ erga Clericos, ædes sacras, pauperes, &c. (3) Oratio, ad quam revocantur ea, quæ propriè Deo, seu immediatè, seu mediantibus Sanctis, exhibentur e. gr. precularum battologia, peregrinatio religiosa &c.

3. Iidem distingvunt inter Satisfactionem ultroneam & canonicam: Illam vocant, quam quis spontè suscipit; hanc quam Confessarius dictat. De posteriori nunc instituitur quæstio.

4. De fructu & usu Satisfactionum inter Pontificios non convenit, quarum diversas sententias collegit Gerhardus L. de Pœnit. §. 124. Bellarmini & plerorumque ex recentioribus hæc mens est, per absolutionem remitti culpam & pœnam æternam, remanere autem pœnas temporales, partim in

hâc vitâ, partim post hanc vitam in purgatorio subeundas, nisi homo, per opera paulò ante enumerata, pro illis satisfaciat.

5. Quod ad objectiones attinet, non negamus, Sanctos olim jejunâsse, plorâsse, vigilâsse, eleemosynas dedisse &c. Probandum verò est, quod id fecerint animo satisfaciendi pro peccatis.

6. Si hujusmodi afflictiones ideo suscipiantur, ut signa & adjumenta contritionis sint, laudamus; si autem ideo, ut per eas pœnæ redimantur, damnamus: Debent præcedere aut comitari contritionem; non ex eâ, quam Pontificii jactitant, causâ sequi.

7. Fructus quos Johannes Baptista exigit, Matth. III. 8. sunt Pœnitentiæ effectus: Non potest igitur per eos intelligi Satisfactio, quæ ex mente Pontificiorum est Pœnitentiæ pars.

8. Dan. IV. 24. Vulgata malè reddidit: *Redime peccata eleemosynis*: Rectiùs enim vertitur: *Abrumpe*: Nam verbum פְּרַק sic accipitur Gen. XXVII. 40. Exod. XXXIII. 2. Commendatur ergo status pristini mutatio; non autem pro statu pristino satisfactio.

9. Contristatio ante absolutionem est signum contritionis 2. Cor. VII. 11. atque ideo nequit satisfactio dici, utpote quæ demum post absolutionem injungitur.

10. Calamitates & afflictiones, quas Deus homini imponit, ante remissionem peccatorum sunt τιμωρία sive supplicium; post remissionem verò δοκιμασία sive experimentum, & μαρτυρία sive testimonium. Ibi respiciunt culpam præsentem, cum intentione inferendi damnum promeritum; hìc respiciunt culpam deletam, cum intentione promovendi bonum, apud hominem patientem Vid. plura Art. 3. Th. 4. ἐκθ. n. 10. p. 113. itemque in Apolog. p. 305. (193.) sqq.

Βεβαίωσις. Probamus, *remissâ culpâ, etiam tolli reatum pœnæ, proindeq; nullam ab homine pœnitente Satisfactionem requiri.*

quiri. 1. ex Eph. IV, 32. Quia (1) in reconciliatione, Deus non minus remittit homini, quàm homo jubetur remittere proximo: Nam misericordia Dei constituitur exemplar misericordiæ ab hominibus requisitæ. Conf. Luc. VI. 36. At homo proximo cum culpâ jubetur remittere pœnam: E. & Deus cum culpâ remittit pœnam. (2) Deus (ἐχαρίσατο) *donavit*, quæ contra eum commisimus. Si verò donavit, utique nullam exigit Satisfactionem. Nam ubi Satisfactione opus est, ibi nulla locum habet donatio; sed compensatio. (3) Deus donavit nobis delicta *in Christo*. Quæ autem in Christo donata sunt, ea perfectè donata sunt, ita ut (οὐδὲν κατάκριμα) *nulla condemnatio* iis, qui in Christo sunt, supersit. Rom. VIII. 1. Vid. superius Art. 3. Th. 4. Concl. 3. & 4. p. 116.

2. ex iis Scripturæ dictis, in quibus Deus legitur *peccatorum* remissorum *non recordari amplius.* Jer. XXXI. 31. sed *delere ea instar nubis.* Es. XLIV. 22. & *demergere in profundum maris*, Mich. VII. 19. nec *imputare*, *sed tegere.* Ps. XXXII. 1.

3. ex impossibili, quia justitiæ infinitæ non potest satisfieri â creaturâ finitâ.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, de quarum hypothesibus actum est in ἐκθέσει.

Thesis IX. *Indulgentiæ, quas pro pœnis temporalibus hujus aut futuræ vitæ, redimendis, ex thesauro abundantium meritorum Ecclesiæ concredito, Pontificii se promere & dispensare jactitant, purum putum commentum sunt.*

Ἔκθεσις 1. Juxta Pontificios, Christus satisfecit pro culpâ & pœnâ æternâ: Homines autem tenentur satisfacere pro pœnâ temporali, nisi in purgatorio tamdiu cruciari velint,

donec plenissimè ab omni reatu pœnæ, mundati & liberati fuerint.

2. Porrò ejusmodi necessitatem satisfaciendi, opinantur redimi posse, per indulgentias, quæ ex Adversariorum hypothesi sunt thesaurus, constans (1) ex superabundanti merito Christi; (2) ex operibus Sanctorum; (3) ex passionibus hominum gravioribus, quâm reatus pœnæ illis subeundæ requirebat.

3. Hujus thesauri promus condus constitutus est Romanus Pontifex, qui indulgentias inde petitas vel ipse dispensat, ut in Jubilæo, vel per legatos & officiales suos, inter quos tempore Lutheri eminebat impudentissimus Monachus Tezelius.

4. Indulgentiarum capaces esse perhibentur animæ in Purgatorio, per suffragia vivorum, i. e. per Missas, Jejunia, Orationes &c.

5. His ferè absolvitur doctrina de Indulgentiis Pontificia, à quibus toto cœlo differunt Indulgentiæ primorum Christianorum. Per illas enim remitti fingunt pœnæ impositæ â Deo; per has remittebantur pœnæ impositæ ab hominibus, per Canones Ecclesiasticos. Vid. in Apol. p. 315 (199.)

6. Ex Scripturâ urgent Adversarii Col. I. 24. ubi per (*ὑστερήματα*) *defectus*, non intelligitur id, quod deest valori passionis Christi; sed quod deest cruci, cuilibet fidelium, â Deo dimensæ.

7. Hunc defectum adimplere cogebatur Paulus, & quidem pro Ecclesiâ: nequaquam tamen propterea, ut pro suis aliorumve peccatis præstaret satisfactionem; verùm ut exemplo suo prodesset ad ædificationem. Conf. 2. Cor. I. 6. Phil. I. 12, 13.

8. Matth. V. 26. non exponitur, quid apud inferos futurum sit; sed quid omnino non futurum sit. Nam conditio impossibilis habet vim negandi.

Βεβαίωσις. Probamus 1. ex Thesi præcedenti: Destructis enim Satisfactionibus, ipsæ quoque Indulgentiæ corruunt.

2. Acce-

2. Accedit, quod doctrina hæc aliis quoque hypothesibus falsis, alibi refutandis, innitatur, v. g. de operum merito, de operibus supererogationis, de purgatorio &c.

3, Sed & Scripturæ repugnant Indulgentiæ, in quâ edocemur de *unico Mediatore* 1. Tim. II. 5. qui *torcular calcaverit solus*. Es. LXIII. 3. & *propitiatio sit, pro totius mundi peccatis*, adeoque etiam pro peccatorum pœnis. 1. Joh. II. 2.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Inconstantiæ, quod cum in Augustanâ Confessione duas Pœnitentiæ partes ponamus, in Apologiâ addatur tertia, nempe nova Obedientia. Ita Collonitsch in Antiaugust. Conf. cui respondet Dn. D. Alberti in Refutatione suâ. p. 151. A nobis dubio isti satisfactum est, in Th. 3. ἐκθ. n. 3.

II. Contradictionis, quod Contritionem in hoc articulo requiramus; cum Apologia Art. 4. statuat, hominem SOLA fide justificari. Ita Joh. à Daventriâ. Resp. Hæc se mutuò non tollunt, juxta id quod dictum est in Th. 3. ἐκθ. n. 11.

III. Ineptiarum, quod dilectionem faciamus fide posteriorem; cum tamen contritio, quæ juxta nos prior fide est, ex dilectione procedat. Ita rursum Joh. à Daventriâ, à quo petitio principii committitur. Præsupponitur enim quod contritio, ut opus nostrum, ex viribus liberi arbitrii procedat: id verò à nobis rejicitur, in Th. 4.

IV. Calumniarum. Negant enim adversarii, dogmata Ecclesiæ Pontificiæ esse, quæ ei in Augustanâ Confessione ejusque Apologiâ imponuntur, videlicet (1) quod jubeant nos mereri gratiam, per satisfactiones nostras. Ita Thomas Henrici, cui respondet D. Carpzov. Isag. ad Libros Symbolicos p. 379. (2) quod damnent assertionem istam: *Fide consequimur remissionem peccatorum*. Ita Cochlæus, cui respondet D. Carp-

zov. ib. p. 380. (3) quod asserant, nos propter contritionem consequi remissionem peccatorum. Ita Joh. â Daventriâ, cui respondet D. Carpzov. ibid. p. 383.

ARTICULUS XIII.

DE USU SACRAMENTORUM.

I. EXPLICATIO.

IN Confessione variatâ, post verba illa: *quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur*; additum est: *Hâc fide accipimus promissam gratiam, quam Sacramenta significant & Spiritum.* Quibus verbis Reformati abutuntur, cum Sacramenta pro signis merè significantibus venditant. Antithesis, licet in re nihil mutaverit, verbis tamen planè aliis concepta legitur, sequentem in modum: *Damnant igitur Pharisaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in usu Sacramentorum requiri, quæ credat propter Christum nobis gratiam dari: sed fingit, homines justos esse propter usum Sacramentorum ex opere operato, & quidem sine bono motu utentium.*

Cæterùm, in Confessione invariatâ, p. 18. (13) de Sacramentis agitur

- I. Θεθικῶς, ostendendo
  - 1 quo fine à Deo instituta sint. Exponitur autem illud
    - 1. negativè. *De usu Sacramentorum——inter homines.*
    - 2. positivè. *Sed magis ut sint signa——proposita.*
  - 2. quâ ratione homines iis fructuosè utantur. *Itaque utendum est——ostenduntur.*
- II. Αντίθεθικῶς, rejiciendo Pontificiorum errores,

1. de opere operato. *Damnant igitur——justificent.*
2. de usu Sacramentorum sine Fide. *Nec docent——remitti peccata.*

IN APOLOGIA. p. 316. (200.) sqq.

I Exponitur, quid Adversarii, de Articulo isthoc judicaverint, nempe
- 1. quod quæ posita sunt, approbaverint. *In XIII. Articulo probant——corda ad credendum.* p. 316. (200.)
- 2. quod septenarium Sacramentorum numerum exprimere jusserint. *Sed hic jubent nos etiam septem Sacramenta numerare.* Ib.

II. Proponitur uberior sententiæ nostræ declaratio,
- 1. de Numero Sacramentorum,
  - 1. quod salvis rebus, de nomine Sacramentorum & numero, veteribus incerto, non sit pugnandum. *Nos sentimus præstandum esse——numeraverunt.* ib. Item: *Nemo enim vir prudens——& promissiones.* p. 320. (202.)
  - 2. quod si Sacramenta dicuntur, quæ habent mandatum Dei & promissionem gratiæ, tria possint numerari, scilicet Baptismus, Cœna & Absolutio. *Si Sacramenta vocamus——proprie Sacramenta.* p. 316. (200) Et post pauca. *Vere igitur sunt Sacramenta——utriusq; effectus.* p. 316, 317 (200, 201)
  - 3. quod Confirmatio & Extrema Unctio, ut ritus ab hominibus instituti, non sint Sacramenta propriè dicta. *Nam ritus ab hominibus——promittere gratiam.* p. 316. (200) Et non multò post: *Confirmatio & Extrema Unctio——promissionem gratiæ.* p. 317. 318. (201.)
  - 4. quod Ordo, generaliter loquendo, vocari possit Sacramentum. Ostenditur autem

a b 1. In

a b

1. In N. T. non haberi Sacerdotium ſimile Levitico, quod ſacrificet; neque eo opus eſſe. *Sacerdotium intelligunt Adverſarii——Epiſtola ad Ebraos.* p. 318. (201.)
2. Ordini, quatenus Miniſterium verbi notat, concedi poſſe titulum Sacramenti, quod habeat mandatum Dei & promisſiones. *Si autem ordo de Miniſterio——adeſſe in Miniſterio.* p. 318, 319. (201. 202.)
3. Magnifaciendum eſſe Miniſterium, propter Fanaticos. *Ac prodeſt quantum fieri——docent Anabaptiſtæ.* p. 319. (202.)

5. quod Matrimonio haud competat nomen Sacramenti. Oſtenditur enim

1. Illud non eſſe demum in N. T. inſtitutum. *Matrimonium——genere humano.* p. 319. (202.)
2. Promisſiones ejus pertinere ad vitam corporalem. *Habet autem mandatum——corporalem.* ib.
3. Si omnino Sacramentum vocetur, diſcernendum eſſe à prioribus illis. *Quare ſi quis volet——remisſionis peccatorum.* ib.
4. Alios ſtatus e. g: Magiſtratus, æquè ac Matrimonium merituros eſſe nomen Sacramenti. *Quod ſi Matrimonium——ſicut Magiſtratus.* ib.

6. quod ſi omnia, quæ mandatum & promisſionem habent, vocari debeant Sacramenta, eorum plura longè futura ſint. *Poſtremò ſi omnes res——omittamus iſta.* p. 319. 320. (202. 203)

2. de ſalutari uſu Sacramentorum, ubi

1. Theſis heterodoxa
   1. ponitur. *Illud magis eſt neceſſarium——bono motu utentis.*

a b

utentis. p. 320. (203.)

2. refutatur. *Hæc simpliciter——regno Pontificio.* ib.

2. Antithesis orthodoxa

1. exhibetur: *Ita nos docemus——offeruntur.* p. 320. 321. (203.)

2. explicatur: *Et loquimur hic——pavidas mentes.* p. 321. (203.)

3. demonstratur:

1. quia nobiscum contra Adversarios sentit Paulus. *Paulus reclamat——exercendam fidem.* p. 320. (203)

2. quia promissio inutilis est, nisi fide accipiatur. *Et est ratio plana——non credenti.* p. 321. (203)

3. quia opinio Adversariorum multos abusus peperit. *Quantum autem in Ecclesiâ——infrà dicemus.* p. 321. 322. (203.)

4. quia eadem ignota est antiquitati, utpote pro nobis stanti. *Neq; ulla litera—ad justitiam.* p. 322. (203. 204.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Sacramenta specialissimè sic dicta, quæ videlicet tum Verbum mandati, in Testamento illo ad quod pertinent, immediatè à Deo profectum; tum Verbum promissionis, de donis Evangelio propriis; tum Elementum externum & visibile, cum re cœlesti unitum habeant, in novo Testamento tantùm duo sunt, nempe Baptismus & Cœna: atq; ita juxta hanc vocis significationem, è censu Sacramentorum specialissimè sic dictorum excludimus Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium.*

Ἔκθεσις I. Vox Sacramenti vel politicè, vel theologicè usurpatur. In sensu politico notat solenne juramentũ, pecuniam apud judicem depositam &c. Pp 2. In

2. In ſenſu theologico trifariam accipitur, generaliter, ſpecialiter & ſpecialisſimè. Juxta acceptionem generalem Sacramentum vocatur vel quodcunque *ſignum ſacrum*, juxta Auguſtinum L. 19. contra Fauſtum cap. 14. quâ ratione idem ille *Signum crucis* & ritus circa catechumenos adhiberi ſolitos, v. gr. *exorciſmum*, *inſufflationes*, *cantica &c.* & Bernhardus *ablutionem pedum*, Sacramenta nominat: vel quodcunque myſterium, ut in vulgatâ verſione 1. Tim. III. 16. Apoc. XVII. 7. ſimiliterque cum Patres *Sacramenti Trinitatis*, *Incarnationis* &c. mentionem faciunt. Juxta acceptionem ſpecialem, Sacramentum vocatur, quod habet mandatum Dei & promiſſionem gratiæ: quâ ratione Confeſſores noſtri in Apologiâ ſcribunt: *Verè ſunt Sacramenta Baptiſmus*, *Cœna Domini*, *Abſolutio*; nimirum ſuppoſitâ hypotheſi, quam ibidem hiſce verbis proponunt: *Si Sacramenta vocamus ritus*, *qui habent mandatum Dei*, *& quibus addita eſt promisſio gratiæ.* p. 316. (200.) Deinde verò ſubjiciunt, propter eandem hypotheſin plura fore Sacramenta, de quibus nemo hactenus cogitaverit, nempe *Orationem*, *Eleemoſynas*, *Afflictiones* p. 320. (202.) Ex quo colligere licet, Confeſſores noſtros jam tum duobus hiſce requiſitis non fuiſſe contentos, quamvis de nomine & numero Sacramentorum litigare noluerint. Juxta acceptionem ſpecialisſimam, Sacramentum vocatur, quod tribus gaudet requiſitis, nimirum verbo mandati, verbo promiſſionis & elemento externo; de quibus ſigillatim pluribus erit agendum.

3. Primum Sacramenti requiſitum eſt, ut habeat verbum mandati, ſive inſtitutionis: & quidem non ab homine; ſed â Deo immediatè profectum. Quo ipſo tamen â poteſtate inſtituendi Sacramentum, humana in Chriſto natura haudquaquam excluditur, tum propter unionem perſonalem, per quam accepit omnem poteſtatem in cœlo ac in terrâ Matth.

XXIIX.

XXIIX. 18. tum etiam, quia Sacramenta, tanquam media communicandi gratiam, ad officium mediatorium pertinent, quod Christus secundum utramque naturam exsequitur.

4. Non confundendum est verbum Evangelii quodcunq; cum verbo institutionis Sacramentalis: Illud generale est; hoc speciale: illud promiscuè ad universos homines pertinet; hoc singulos homines Sacramentis usuros & promissionem divinam sibi applicaturos, spectat: illud nudum est; hoc visibilibus signis vestitum. De verbo hoc institutionis notetur Canon: *Quodlibet Sacramentum, explicandum est ex sui institutione, tanquam genuinâ sede & primo fonte.*

5. Porrò verbum mandati, in illo Testamento, ad quod Sacramentum pertinet, â Deo profectum esse debet. Nam murato Testamento, mutantur Sacramenta. Unde nullum Sacramentum propriè sic dictum, utrique Testamento, multòque minùs infidelibus, extra communionem testamentariorum beneficiorum constitutis, commune est.

6. Alterum Sacramenti requisitum est, ut habeat verbum promissionis, distinctum â verbo institutionis: Hoc enim usum Sacramenti; illud fructum respicit.

7. Verbum hocce promissionis non debet esse humanum, vel angelicum; sed divinum: non simplex; sed elemento annexum: non de quibusvis donis; sed de donis evangelio propriis, nempè de remissione peccatorum, reconciliatione cum Deo, justitiâ ac vitâ æternâ, adeoque de toto beneficio redemtionis.

8. Tertium Sacramenti requisitum est, ut habeat elementum externum: non tantùm intelligibile, vel etiam audibile; sed visibile: non ab homine electum; sed ab instituente, sive autore determinatum: non nudum; sed cum re cœlesti unitum.

9. Elementum illud aliàs dicitur materia terrena, quæ ad

id divinitus ordinatur, ut ſit materiæ cœleſtis ὄχημα, vehiculum ac medium exhibitivum. Inde Elementum ejusmodi in Sacramento non ſpectandum eſt, juxta uſum ſuum naturalem, ſive communem; verùm juxta officium ſive miniſterium ſuum peculiare, quatenus perceptâ vocatione Dei ſanctificatur & uſui Sacramentali deſtinatur.

10. Quo reſpicientes Eccleſiaſtici Scriptores, Elementa ***mutari*** dicunt: non tamen ſubſtantialiter; ſed accidentaliter: Nam per ***mutationem*** nihil aliud intelligunt, quàm Symbolorum ab uſu vulgari ad uſum myſticum translationem, quâ ***Sacramentis gratia apponitur, natura autem non annihilatur***, ut Theodoretus loquitur.

11. Ex tribus hiſce requiſitis, de veritate Sacramenti judicamus, ſi conjunctim; non ſi diviſim accipiantur.

12. Atque ita in N. T. tantùm duo admittimus Sacramenta ſpecialisſimè ſic dicta. Numerus numerans eſt ἄγραφος; ſed numerus numeratus eſt ἔγγραφος. Nam etſi de binario nihil in Scripturâ occurrat explicitè & formaliter; inveniuntur tamen ibi, quæ ad numerum iſtum eruendum faciunt, adeoque binarium exhibeant implicitè & virtualiter.

13. Quin imo, ipſa vox Sacramenti, juxta ſpecialisſimam ſignificationem, non extat in Scripturâ quà ſonum; ſed tantummodò quà ſenſum. Neque enim in negotio fidei, urgente necesſitate, prohibemur uti novis vocibus rerum veterum; dummodò abſtineamus â novis vocibus novarum rerum. Res ipſa, de quâ agimus. biblica eſt; quamvis appellatio rei ſit eccleſiaſtica.

14. Cum Baptiſmus & Cœna appellantur Sacramenta N. T. eo ipſo diſtingvuntur â Circumciſione & Agno Paſchali, tanquam Sacramentis V. T. (1) quoad initium durationis: Nam hæc inſtituebantur ante adventum Chriſti in carnem; illa poſt adventum (2) quoad terminum durationis: Nam

hæc

hæc debebant durare aliquandiu, usque ad adventum Messiæ primum; illa debent durare perpetuò, usque ad adventum Messiæ secundum (3) quoad objectum personale. Nam hæc pro solis Judæis & paucis proselytis; illa pro omnibus omninò hominibus sunt instituta. (4) quoad objectum reale: Nam in his tantùm præsens erat Christus quoad divinam naturam, quàm ab æterno habuit â Patre; in illis præsens est etiam quoad humanam naturam, quam in tempore assumsit ex Mariâ Virgine.

15. Reliqua â Pontificiis addi solita, è censu Sacramentorum excludimus: non tamen omnia illa secundum quamcunq; sed tantummodò secundum specialissimam vocis significationem. Neque enim quæritur, an plures ritus dici queant Sacramenta? sed an plures ritus talia Sacramenta sint, quale est Baptismus & Cœna Domini, in ordine ad tria requisita superiùs enumerata.

16. Adduntur autem Sacramentis nostris Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium, de quibus nonnulla specialiter observanda erunt. Ut igitur ab eo quod primum est, incipiamus, distinguimus inter Confirmationem Apostolicam & Pontificiam. Differunt enim (1) Materiâ. Illa fiebat per manuum impositionem; hæc per balsamum & oleum. (2) Fine. Illa adhibebatur ad communicanda miraculosa Spiritus S. dona; hæc ad abundantiorem gratiam ordinariam. (3) Duratione. Illa debebat esse temporanea, quamdiu miraculis opus erat; hæc habetur pro ceremoniâ perpetuâ.

17. Circa Pœnitentiam, concedimus ejus necessitatem; quamvis oppugnemus Sacramentalem dignitatem.

18. Unctio, de quâ nunc agimus, Extrema dicitur, distinctionis gratiâ: quoniam Adversarii quadruplicem Unctionem adhibent, primam pectoris & scapularum, in Baptismo; secundam

cundam frontis in Confirmatione; tertiam manus in Ordinatione; quartam variorum membrorum, scilicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, renum, in Unctione, quæ morte imminente confertur, & propterea Extrema vocatur.

19. Apostoli apud infirmos usurpabant Unctionem. Marc. VI. 13. Jac. V. 14, 15. verùm ad sanitatem corporis; non animæ.

20. Ut proinde Unctio ista medicinalis fuerit; non sacramentalis.

21. Quoad Ordinem, non inficiamur Ministros esse ordinandos; tametsi negemus, ordinationem esse Sacramentum.

22. Christus manuum impositione contulit Spiritum S. non tamen eum in finem, ut peculiare Sacramentum pro solis Clericis, institueret.

23. Matrimonium ab Apostolo μυστήριον vocatur Eph. V. 32. pro quo vulgata perperam posuit *Sacramentum.*

24. Accedit, quod Matrimonium ibi non spectetur absolutè & in se, ut conjunctio maris & fœminæ; sed relativè & in ordine ad signatum, ut signum conjugii mystici, inter Christum & Ecclesiam. Sic enim verba se habent: *Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico, in Christo & Ecclesiâ.*

Βεβαίωσις. Probamus I. *Sacramenta specialissimè sic dicta in N. T. tantùm duo esse, nempe Baptismum & Cœnam.* 1. ex 1. Joh. V. 6. 8. Quia (1) testes divinæ gratiæ & nostræ salutis in terrâ tantùm tres esse perhibentur, nempè *Spiritus* i. e. Verbum Dei (Joh. VI. 36.) *Aqua*, i. e. Baptismus; & *Sangvis*, i. e. Cœna v. 8. Si præter Verbum, plura duobus forent Sacramenta, sequeretur in terrâ plures tribus esse testes (2) per tot Sacramenta & non per plura *Christus ad nos venit* v. 6. E. etiam tot Sacramenta & non plura dantur.

2. ex 1. Cor. XII. 13. Quia omnes legimur *uno spiritu baptizati*

ptizati & ad unum corpus potati esse. Ubi sub nomine potûs synechdochicè denotatur tota Eucharistia: De Baptismo autem, nisi nodum in scirpo quærere conemur, res clara est.

3. ex inductione Requisitorum. Quia in N.T. duobus tantùm Sacramentis requisita superiùs enumerata, conjunctim competunt, videlicet (1) Baptismo, ubi datur (α) verbum Mandati. Matth. XXIIX. 19. (β) verbum promissionis. Marc. XVI. 16. (γ) elementum externum visibile, cum re cœlesti unitum Joh: III. 5, 6. (2) Cœnæ, ubi datur (α) verbum mandati. 1. Cor. XI. 24, 25. (β) verbum promissionis, quando corpus comedendum, dicitur *pro comedentibus datum*, & sangvis bibendus, dicitur *pro bibentibus effusus* esse, & quidem *in remissionem peccatorum.* Matth. XXVI. 28. (γ) elementum externum visibile, cum re cœlesti unitum. Nam Christus legitur accepisse *panem & poculum:* ac dixisse: *Hoc est corpus meum: Hoc est testamentum in sangvine meo.*

4. Ex analogiâ V. T. quia ibi duo tantum fuerunt Sacramenta. Successit enim in locum Circumcisionis Baptismus, Col. II. 11. Agni autem Paschalis, Eucharistia post comestionem agni instituta. Matth. XXVI. 26.

II. *Sacramenta reliqua, à Pontificiis sic dicta, è censu Sacramentorum strictissimè sic dictorum excludenda esse, videlicet* 1. *Confirmationem.* Nam caret (1) verbo mandati, ita ut ne quidem exemplum ullum Apostoli, aut viri alicujus Apostolici, ex Scripturâ adferri queat, qui baptizatos inunxerit, dicens: *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis.* &c. (2) verbo promissionis, de quo nec vola, nec vestigium in Scripturâ reperitur.

2. *Pœnitentiam.* Nam (1) in V. etiam T. ante Christum incarnatum obtinuit locum. (2) destituitur elemento externo visibili, pro quo perperam suggeritur verbum absolventis; quippe quod ab elemento distinguitur, in illo Augustini: *Accedat*

cedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. (3) juxta hypothesin Pontificiorum, quâ satisfactio operis inter Pœnitentiæ partes refertur, caret verbo mandati & promissionis. (4) Fidem ad integritatem sui requirit; cum Sacramenta etiam sine fide integra sint.

3. *Extremam Unctionem.* Nam (1) caret verbo mandati, à Christo ipso profecti. (2) destituitur verbo promissionis. (3) etiam infidelibus in oriente communis fuit.

4. *Ordinem.* Nam (1) caret mandato Dei: Apostoli equidem manuum impositione usi sunt, sed ut ceremoniâ liberâ, quæ subinde in missione Docentium omittebatur; (2) destituitur promissione gratiæ Evangelio propriæ. (3) nullum habet externum elementum, cum re cœlesti unitum. (4) ad paucos pertinet; cum Sacramenta pro omnibus sint instituta.

5. *Matrimonium.* Nam (1) caret mandato Dei, ad omnes pertinente; cum excipiantur dono continentiæ instructi, imò, juxta Pontificios Clerici, quotquot majores, ut vocant, ordines susceperunt, omnino omnes. (2) destituitur promissione gratiæ evangelicæ. (3) nullum habet externum elementum, cum re cœlesti unitum. (4) in Paradiso, ubi nullis opus erat Sacramentis, longè ante tempora N. T. cœpit. (5) infidelibus extra Ecclesiam competit. (6) ex hypothesibus, sed falsis, adversariorum, est res immunda & carnalis, ad quam applicari queat illud Pauli: *Qui in carne sunt, placere Deo non possunt.* Rom. VIII. 8.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui in Concilio Tridentino, septenarium Sacramentorum numerum, Ecclesiæ sub anathemate obtruserunt, quamvis ante Lombardi tempora, de Sacramentorum numero, nihil certi in Ecclesiâ constiterit.

Thesis

Thesis II. *Sacramenta non modò instituta sunt, ut sint nota professionis inter homines, sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem, in his qui utuntur, proposita.*

Ἔκθεσις. 1. Retinuimus ipsa Augustanæ Confessionis verba, de quorum sensu nonnulla monebimus: Reliqua ex Articulo IX. thes. 3. p. 228. petantur: quæ enim ibi allata sunt, jam multis repetere, supervacaneum duximus.

2. Concedimus ergo, Sacramenta esse notas seu tesseras inter homines, quibus & tota Ecclesia, & singula Ecclesiæ membra, distingvuntur ab infidelibus, imo etiam ab hæreticis, Sacramenta violantibus: sed negamus, eadem esse tantùm notas hujusmodi.

3. Christus enim, in institutione Sacramentorum, magis hoc intendit, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos: nempe voluntatis Evangelicæ; non legalis: quia de gratiâ testantur, indeque etiam sigilla & pignora gratiæ vocantur.

4. Non tamen sunt signa nuda; sed simul exhibitiva, i. e. efficacia media, per quæ utentibus gratia offertur, ut ab utentibus apprehendatur.

5. Hoc ut fieri queat, Sacramenta, ex intentione Dei, in in nobis fidem excitant, ubi nondum est; & confirmant, ubi est. Prius fit per Baptismum in parvulis; posterius per Baptismum in adultis, jam per Verbum regenitis, itemque per Cœnam Dominicam.

6. Eò respiciunt Theologi, cum dicunt: Sacramenta *conferre gratiam non habenti, & obsignare habenti.*

7. Cæterùm fidei, tum excitatio, tum confirmatio, non dependet ex solis Symbolis externis Sacramenti; verùm simul ex Verbo Dei, Sacramentum instituentis, ac proinde ex toto Sacramento. Rectè enim Mentzerus Exeg. A.C. p. 485. inquit:

Qui effectus Evangelio tribuitur, negari de Sacramento non potest, in quibus ipse nucleus Evangelii continetur.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Sacramenta esse notas professionis inter homines*, ex Artic. VII. & IIX. Th. 2. p. 196.

II. *Sacramenta esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos*, ex 1. Joh. V. 8. Quia cum *Spiritu*, i. e. Verbo Dei, expressè in terris *testari* perhibentur, *Aqua* i. e. Baptismus, & *Sangvis* i. e. Cœna. Testantur autem de eo, quod *nobis Deus vitam aeternam dedit, in Filio suo*, v. 11. quæ ipsa Dei gratiosa *voluntas* est. Joh. VI. 40.

III. *Sacramenta in nobis fidem excitare & confirmare*, ex 1. Joh. V. 6. Quia per ea *Christus ad nos venit*, & in nobis habitat.

Αντίθεσις est Reformatorum, qui Sacramenta pro nudis signis agnoscunt, videlicet non quidem nudis â significatione; sed tamen â re ipsâ, quam ex voluntate instituentis exhibere debent.

2. Pontificiorum, qui Sacramentis vim obsignandi adimunt, & pro sigillis haberi posse, negant.

3. Socinianorum, Weigelianorum, aliorumque Fanaticorum, qui Sacramentis omnem virtutem spiritualem negant.

Thesis III. *Sacramenta non prosunt ex opere, ut vocant, operato; sed ut usus eorum salutaris sit, in utente requiritur fides.*

Ἔκθεσις. 1. Vocabulum usus, vel usurpationem, vel utilitatem seu fructum notat. In priori significatione, usus ad essentiam Sacramenti pertinet, per regulam: *Nihil habet rationem Sacramenti, extra usum*. In posteriori significatione, usus tanquam finis, extra essentiam Sacramenti est.

2. Spectat huc controversia, utrum Sacramenta prosint ex opere operantis, h. e. pro devotione & fide recipientis? an ex opere operato h. e. pro insitâ & propriâ virtute, quo-

modo-

quodocunque se habeat subjectum recipiens? Nostra sententia est, accuratè loquendo, Sacramenta nec prodesse ex opere operantis, nec ex opere operato; verùm ex gratiâ Dei, cui malitiosè obex non ponitur.

3. Intereà, si quis velit cum Scholasticis loqui & statuere, Sacramenta prodesse ex opere operantis, non sic intelligat, quod Sacramenta efficaciam habeant ab operante; sed quod in operante.

4. Nec quod opus operantis requiratur antecedenter, ut causa; sed simultaneè, ut adjunctum.

5. Quando autem opus operatum rejicimus, tum Sacramento absque fide accipientis spectato, non denegatur omnis efficacia; sed tantùm efficacia utenti salutaris.

6. Quod Sacramentum etiam efficaciam habeat ante fidem, patet, quia Fidem infantibus confert: Verùm ista efficacia nondum salutaris est, nisi infans fide per Sacramentum collatâ, ad apprehensionem donorum cœlestium utatur, id quod Lutherus innuit, scribens: *Non Baptismus; sed fides Baptismi salvat.*

7. Ex quo patet, Sacramenti efficaciam ex opere, ut vocant, operato, non simpliciter impugnari: sed secundum quid, nempe in ordine ad gratiam salvationis. Alioqui enim opus operatum est efficax, partim in oblatione gratiæ, partim in collatione fidei: ita tamen, ut per hanc efficaciam nemo salvetur, nisi fides per opus operatum collata vel aucta, apprehendat, quod à DEO offertur.

8. Sacramentum equidem est medium proximum, respectu Dei, bona sua dantis; interim nihilominus est medium remotum, respectu hominis, bona data accipientis. Nam quoad hunc, intervenit Fides.

9. Cæterùm Fides illa non requiritur ad esse Sacramenti; sed ad prodesse: non ad quidditatem; sed ad fructum & utilitatem. Quâ ratione intelligi vult Lutherus, in Catechesi inquiens:

quiens: *Hæc verba:* Pro vobis datur & effunditur: *sunt una cum corporali manducatione & bibitione, caput & summa hujus Sacramenti. Et qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt, & sonant, nempe remissionem peccatorum.* p. 576. (382.)

10. Eadem fides non se habet, ut dispositio in subjecto, neque ut causa meritoria; sed tantùm ut organum, vel instrumentum, quo bona exhibita ad nos trahimus.

11. Ex antecedentibus constat, quod Fides non faciat, ut Sacramentum sit efficax in se; sed ut in nobis: Alii ita: Fides non facit ad efficaciam Sacramento inferendam; sed ex Sacramento percipiendam.

12. Indigni igitur, æquè ac digni, accipiunt idem in Sacramento; sed non eodem fructu.

13. Denique observandum, quod efficacia Sacramenti & concursus Fidei, non opponantur sibi invicem; sed coordinentur, tanquam media, quorum prius ex parte Dei sit instar manûs dantis, & posterius ex parte hominis, sit instar manûs accipientis.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex 1. Joh. V. 9. 10. Quia Spiritus S. postquam de *Aquâ & Sangvine*, i. e. de Sacramentis N. T. ut testantibus v. 8. egisset (1) requirit, *ut testimonium Dei recipiamus* v. 9. id quod fide fit, (2) indicat, testimonium hocce *tantùm penes eum esse, qui credit*, v. 10. (3) addit, eum, qui *non credit, mendacem facere Deum*. v. 10.

2. ex Hebr. IV: 2. Quia de *Verbo audibili* asseritur, quod *non prosit sine fide.* Ergo idem asserendum est de Verbo visibili, i.e. de Sacramentis. Parium enim par est ratio.

3. ex inductione. Quia fides requiritur ad salutarem usum, tam Baptismi, Marc. XVI. 16. quàm Eucharistiæ 1. Corinth. XI. 28. seq.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, id quod constat ex Apologiâ p. 320. seq. (203.) seq.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod ex Sacramentis nuda signa faciamus, iisdemque omnem efficaciam spiritualem denegemus, atque hac in parte cum Calvino & Zwinglio, imo cum Judæis sentiamus. Ita Andr. Fabritius, Johan. Cochlæus, Thomas Henrici. Resp. ex Th. II. obs. 4. seq. Aliud est Sacramenta dicere signa; & aliud eadem dicere nuda signa. Prius nostrum est; posterius à nobis alienum.

II. Quod Scholasticis per calumniam tribuamus, quasi statuerint, Sacramenta sic ex opere operato prodesse, ut non requiratur bonus motus utentis. Ita Thomas Henrici, cui Andream Fabritium & Johannem Cochlæum opponimus, qui sententiam illam non solùm agnoscunt, Scholasticorum fuisse; sed etiam excusant. Fabritius enim expresse censet, absurdum non esse *affirmare*, quod *Sacramenta, sine bono motu utentis, justificent*; id quod exemplo infantum probare conatur. Recentiores pudet hujus doctrinæ, idcirco fidem bonumq; motum cordis in utente requirunt: sed duntaxat quà præsentiam; non etiam quà concursum & efficientiam. Ut de eo taceamus, quod de solâ fide historicâ loquantur.

III. Quod dictum illud: *Fidem Sacramenti; non Sacramentum justificare:* mendaciter adscribatur Augustino. Ita Bellarminus L. 2. de Sacram. c. 10. Resp. Confessores in Apologiâ, non ad verba Augustini provocant; sed ad sententiam, quam Augustini esse, ex plurimis locis inde excerptis, evidentissimè ostenderunt Chemnit. P. 2. Examinis Conc. Trid & Gerhard. Loco de Sacram. §. 85.

IV. Quod in numero Sacramentorum dissentiamus, ipsaq; etiam Apologia Pœnitentiam, Ordinem & Matrimonium concedat Sacramenta esse, quæ à recentioribus, ex numero Sacramentorũ, excludantur. Ita Colonitsch in Anti-Augustanâ Confessione, quem sufficienter refutavit Dn. D. Albert. P. 2. c. 3. p. 153.

ARTICULUS XIV.

DE

ORDINE ECCLESIASTICO.

I. EXPLICATIO.

VAriata Confessio hunc Articulum intactum reliquit, nisi quod in fine addidit: *Sicut & Paulus præcipit Tito, ut in civitatibus Presbyteros constituat.*

Invariata Confessio, p. 18. 19. (13) in paucis, quibus Articulus hic constat, verbis, agit de Ministerii

1. Necessitate. *De Ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat,*
2. Objecto. *In Ecclesiâ publicè docere, aut Sacramenta administrare.*
3. Subjecto. *Nisi ritè vocatus.*

In APOLOGIA p. 322. (204)

I. Exponitur, quid Adversarii de Articulo isthoc judicaverint, nempe
   1. quod verba ipsa probaverint. *Articulum XIV. in quo——ita recipiunt.*
   2. quod conditionem adjecerint. *Si tamen utamur ordinatione Canonicâ.*

II. Proponitur, quid nostri responderint. Exhibetur autem
   1. Declaratio de seriâ voluntate, observandi
      1. Ecclesiasticam politiam,
      2. Gradus in Ecclesiâ, humanâ autoritate introductos.
      3. Disciplinam canonicam. *Hâc de re—constitutam esse.*
   2. Excusatio, cur voluntatem suam exsequi nequeant, nimirum

a

nimirum quod obſtet crudelitas Epiſcoporum. *Sed Epiſcopi Sacerdotes——disſipant Eccleſiam.*

3. Proteſtatio,

1. coram Deo, conſcientiæ arbitro. *Noſtra conſcientia hac in re nihil habent periculi.* Adduntur cauſæ

1. quod propter aliorum ſævitiam, nequeant deſerere orthodoxam doctrinam. *Quia cum ſciamus——perſeqvuntur*

2. quod Eccleſia eſſe posſit, penes eos, qui ab aliis impediti, Canones ſervare nequeant. *Et Eccleſiam eſſe ſcimus——docentes trucidant.*

3. quod ipſi Canones talibus ignoſcant. *Erga quos——mitiores ſunt.*

2 coram Hominibus, de conſtantiâ

1. ſuorum, in voluntate ſuperiùs declaratâ. *Porrò hic iterum——Eccleſias ſervire.*

2. Epiſcoporum, in crudelitatis continuatione. *Hæc noſtra voluntas——impetrare potuiſſe.* p. 322. 323. (204. 205.)

II. DEMONSTRATIO.

Theſis I. *Nemo publicè docere, & Sacramenta adminiſtrare debet, niſi qui à Deo, vel immediatè, vel mediante Eccleſiâ, utpote cui jus hoc divinitus conceſſum eſt, miſſus ſive vocatus fuerit.*

Ἔκθεσις 1. Non quærimus impræſentiarum de Vocatione generali, ad regnum Dei; ſed de ſpeciali, ad certum officium.

2. Sic autem Vocationis vox aut paſſivè accipi conſvevit, ut genus vitæ notet, ad quod quis vocatur; quâ ratione ipſum Miniſterium eſt quædam vocatio, ſeu ſtatus, ad quem homines deſtinati ſunt: aut activè, ut actionem vocantis indicet, quæ ſignificatio hujus loci eſt.

3. Cæ-

3. Cæterùm Vocatio activè ſic dicta, vel in ſenſu latiori, vel in ſenſu ſtrictiori ſumitur. Priori modo includit ſeptem actus (1) Nominationem (2) Præſentationem coram Eccleſiâ (3) Electionem, ſeu Vocationem ſpecialiter ſic dictam (4) Præſentationem, coram Epiſcopo, ſeu Conſiſtorio (5) Examinationem (6) Ordinationem (7) Inveſtituram, ſeu inaugurationem, aut introductionem. Poſteriori modo ſolam Electionem notat, atq́ ita reliquis actibus, imprimis Examinationi Ordinationi &Inveſtituræ opponitur; quo ſenſu nunc accipitur â nobis.

4. Inter hoſce actus, Electio, ſeu Vocatio, aut Miſſio ſpecialiter ſic appellata, planè neceſſaria eſt, ut â Miniſtro conſtituendo abeſſe nequeat. Ex reliquis actibus, qui decoris & ordinis gratiâ introducti ſunt, haud rarò unus alterve omittitur, pro conſvetudine Eccleſiæ, cui Miniſter eſt præficiendus.

5. Cauſa principalis, in omni vocatione, ſeu miſſione, eſt Deus trinunus. Præ reliquis tamen perſonis ſe manifeſtat Spiritus S utpote qui Miniſtros non tantùm mittit Act. XIII. 4. verùm etiam donis ſuis inſtruit 1. Cor. XII. 4. ſeq. adeo ut propterea Miniſterium Eccleſiæ vocetur *Miniſterium Spiritûs* 2. Cor. III. 6.

6. Agit verò Deus dupliciter, aut immediatè, aut mediantibus cauſis inſtrumentalibus, quæ â cauſâ primâ elevantur, ad producendum effectum, ſuâ virtute ſuperiorem.

7. Immediata Vocatio potisſimùm ſpectat ad Eccleſiam conſtituendam, aut reſtituendam. Ut quis de eâ gloriari queat, non ſufficit internus impetus; niſi accedat ſpecialis Dei manifeſtatio.

8. Vocatio mediata ſpectat ad Eccleſiam & quidem totam; ſed abſq; confuſione ſtatuum. Quid autem cuilibet ſtatui excluſivè debeatur, de eo, propter variantes Eccleſiarum particularium conſvetudines, certæ regulæ tradi nequeunt, Placet con-

consilium Himmelii Syntagm. Disp. XXVII. §. 35. inquientis: *Omnibus modis cavendum, ne vel ordinis Ecclesiastici ambitio, vel Politici πολυπραγμοσύνη & curiositas, vel plebis furor, ordinem ab Apostolis monstratum turbet, neve singuli ordines cœco impetu sibi usurpent, quod universis ipso jure debetur.*

9. Imprimis prodest distinctio inter jus vocandi & juris istius exercitium. Illud est totius Ecclesiæ, nullo ejus statu vel ordine excepto: Hoc restringi potest ad certum statum, vel ordinem; ita tamen ut reliquis statibus, vel ordinibus, ad minimum relinquatur suffragium negativum, si dissensus eorum prægnantibus causis nitatur: in tali enim casu Ecclesiæ invitæ Minister de jure obtrudi nequit.

10. Nec semper & ubique requiritur singulorum statuum in Ecclesiâ, præsertim Oeconomici, consensus explicitus; sed quandoque sufficit consensus implicitus, sive interpretativus, videlicet quando populus dissensum suum nullo idoneo signo declarat, locumque facit dicto illi: *Qui tacet, consentire videtur.* In Græcâ Ecclesiâ populus, cum cæteroqui sileret, consensum tamen suum per (χειροτονίαν) *manuum extensionem*, declarabat, signo hoc sibi eum, qui sacris destinabatur, placere indicans: de quo ritu videatur doctissimi Sviceri Thesaurus Ecclesiasticus col. 1514. seq.

11. Immediatè & mediatè vocati non distingvuntur ratione causæ principalis, quasi illi â Deo vocati sint; hi non item: sed ratione modi, quem causa principalis in vocando observat, quod his per ordinaria media; illis per extraordinaria, officium sanctum conferatur.

12. Illi etiam, qui exercitii gratiâ concionantur, Vocationem habent: non quidem ad perfectum Ministerium; sed tamen ad certum hunc Ministerii actum, quem obire debent.

13. Cum omnes Christiani dicuntur Sacerdotes 1. Petr. II. 9. Apoc. I. 6. id non intelligendum est respectu publici Ministerii

nisterii in Ecclesiâ; sed respectu oblationis hostiarum spiritualium, quas quilibet Deo, etiam in cubiculo suo, sacrificare tenetur. Conf. Ps. CXLI. 2. Hebr. XIII. 15.

14. Quod ad Pontificios attinet, qui jus vocandi solis Episcopis vendicant, contra eos notentur sequentes aphorismi: (1) Ab Ecclesiâ plantandâ ad plantatam N. V. C. Cum aut Magistratus, aut populus, aut uterque in tenebris infidelitatis ambularent, utique ad vocationem Ministri adhiberi non poterant. (2) Laici non eligunt sibi Pastorem, ut qui jam oves ejus sint; sed ut qui oves ejus futuri sint. Non ergo comparantur ovibus, respectu vocationis ipsius; sed respectu vocati, quem instar ovium audire & sequi debent. (3) Particulæ TANQUAM, SICUT &c. Joh. XX. 21. Hebr. V. 4. non semper notant similitudinem specialem; sed quandoque tantùm generalem. Hìc certè indicatur identitas in genere, quod prouti Christi & Aaronis vocatio fuit divina; ita etiam aliorum Ministrorum vocatio debeat esse divina; non autem identitas in specie, seu modo.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Neminem publicè docere & Sacramenta administrare debere, nisi qui â Deo missus, sive vocatus fuerit*, 1. ex Matth. IX. 38. Quia (1) qui in Ecclesiâ publicè docent & Sacramenta administrant, se habent ut *operarii, in messe Domini.* Nemo autem in messe Domini operari potest, nisi qui â Domino messis vocatus fuerit. (2) *â Deo exorari* jubentur: quod necessarium haud foret, si absque vocatione iis currere liceret. (3) â Deo *extrudi* perhibentur, (ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας); quod de iis dici nequit, qui absque vocatione currunt.

2. ex Hebr. V. 4. 5. Quia, cum de Ecclesiâ sermo esset, Spiritus S. monet (1) *neminem sibi sumere honorem*, scilicet licitè & secundum Dei voluntatem. Conf. Joh. III. 27. (2) sequendum esse exemplum *Aaronis, per vocationem* ad officium perveni-

pervenientis. (3) ne Christum quidem, absque vocatione, officium Sacerdotale sibi arrogasse. Quod autem ne Christus quidem facere ausus est; illud multò minùs aliis, â Christo denominatis, audere fas est. Conf. Joh. XX. 21.

3. ex titulis Ministrorum, Ecclesiam docentium. Vocantur enim *Legati*, 2. Cor. V. 20. & *Oeconomi Dei*, 1. Cor. IV. 1. Ergo eos â Deo mitti oportet.

4. Ex aliis Scripturæ dictis. Rom. X. 15. Jerem. XXIII. 23.

II. *Mediatam vocationem esse verè divinam vocationem*, 1. ex Hebr. V. 4. Quia *Aaron* legitur *â Deo vocatus* esse, licet vocatus esset per Mosen. Conf. Exod. XXIIX. 1. seq.

2. ex Act. XX. 28. Quia Episcopi & Pastores Ecclesiæ Ephesinæ, dicuntur â Spiritu S. *positi*, *ad pascendum Ecclesiam Dei:* Hos verò alibi â Paulo & Barnabâ vocatos esse, legimus. Conf. Act. XIV. 23.

3. Ab exemplis aliis mediatè vocatorum, qui tamen â Deo vocati perhibentur, nempe *Sosthenis*, 1. Cor. I. 1. col. IV. 1. & *Archippi*, Col. IV. 17.

4. Ab inconvenienti. Quia alioqui Dominus hodie desineret mittere operarios; contra promissionem. Jerem. III. 15. Matth. IX. 38.

III. *Jus mediatè vocandi, concessum esse toti Ecclesiæ*, 1. ex Matth. XVI. 19. ubi in Petri personâ toti Ecclesiæ traduntur claves, eoque ipso etiam potestas vocandi eos, quibus exercitium clavium, nomine Ecclesiæ est committendum. Vid. Gerhard. Loco de Ministerio §. 87.

2. 1 Cor. III. 21. 22. ubi *omnia* dicuntur *esse Ecclesiæ*, etiam Paulus, Petrus, Apollo &c. Hinc qui sacris operantur, *Ministerium Ecclesiæ* appellari consveverunt: Ecclesiæ igitur competit jus vocandi Ministros.

3. ex praxi Apostolicâ. Act. I. 15. seq. VI. 2. seq.

Ἀντίθεσις est eorum 1. qui negant, opus esse externâ vocatione. Sic Anabaptistæ, Schwenckfeldiani, Weigeliani, Sociniani, Arminiani, Quackeri, Brownistæ, Pietistæ &c. De Quackeris vid. Quackerismus confutatus Art. 26. Hypoth. n. 1. & 3. sq. p. 453. 455. de Pietistis Supplement. Synops. Art. 28. Th. 2. p. t. & Wigandiana sub tit. de Ministerio n. 4. p. 97. seqq.

2. Qui mediatam vocationem non agnoscunt pro divinâ. Sic iidem, inprimis Quackeri l. c. n. 4. p. 455.

3. Qui jus mediatè vocandi, solis Episcopis, præsertim Romano, tribuunt, ut Pontificii.

4. Qui jus vocandi ad solum magistratum referunt, ut Arminiani, & quidam Pseudopolitici, qui Antichristo Ecclesiastico alium sui nominis surrogare conantur.

Thesis II. *Vocationem in Ecclesiis nostris, sequitur Ordinatio, tanquam ritus in praxi Apostolicâ fundatus, quô â Presbyterio, per manuum impositionem, inter adstantium preces, recens vocatus, solenniter â seculi negotiis segregatur, & postquam ille se publico voto, ad debitam fidelitatem obstrinxit, in ordinem sacrum cooptatur.*

Ἔκθεσις. 1. Distingvimus inter Ordinationem & inter ceremonias superstitiosas, quæ à Pontificiis Ordinationi assuuntur. Illam probamus; has improbamus v. gr. tonsuram, unctionem, &c.

2. Ordinationem ipsam derivamus ex praxi Apostolicâ. Nam Apostoli eâ usi sunt, exemploque suo, quid aliis faciendum sit, docuerunt.

3. Quapropter & nos eandem retinemus ut necessariam: non tamen ut absolutè, sed conditionatè talem.

4. Ordinatio nunquam in Ecclesiâ omittenda est, si haberi queat. In casu autem necessitatis, v. gr. tempore belli, pestis &c.

si

ſi Eccleſia Miniſtro diutiùs carere nequeat, nec tamen illi, â quibus noviter vocatus ordinetur, ſuppetant, cenſemus vigore vocationis, functiones Eccleſiaſticas tam diu extraordinariè peragi poſſe, donec per ordinationem ordinaria intromisſio ſequatur.

5. Peragitur Ordinatio à Presbyterio, cujus nomine is, qui præcipuus eſt, aut cui â reliquis partes præcipuæ demandantur, ea quæ peragi ſolent, exequitur.

6. In primitivâ Eccleſiâ, ordinabant Apoſtoli; ſed non ſoli. Similiter largimur, nunc ordinare poſſe Epiſcopos, qui ſe Apoſtolis immediatè ſuccesſiſſe gloriantur; ſed non ſolos.

7. Manuum impoſitionem retinemus: non tamen propter indelebilis characteris impresſionem; ſed propter benedictionem & ſegregationem.

8. Segregatio iſta â ſeculi negotiis, non fit ratione loci, quaſi Miniſtri ſe idcirco in Monaſteria aut eremiticas cellulas occultare juberentur; neque ratione jurisdictionis, quaſi eo ipſo, â poteſtate Magiſtratûs politici eximerentur &c. ſed tantùm ratione officii, ut admoneantur, nihil eorum ab iis curandum eſſe, quibus in ſacrâ functione impediantur 2. Tim. II. 4.

9. Per preces adſtantium, Miniſtro confertur & augetur gratia Spiritûs S.: non tamen gratia reconciliationis cum Deo, qualis â Sacramentis propriè ſic dictis proficiſcitur; ſed gratia officii, quâ deſuper in munere obeundo adjuvatur.

10. Quandoque inferiores Miniſtri, ex conſtitutione Eccleſiaſticâ, in ipsâ ordinatione ſe obligant Superiori ſuo: quæ obligatio nunquam ſimplex eſt; ſed ſemper reſtricta, ſub exceptione Dei, cui magis obediendum eſt, quàm hominibus. Idcirco rectè fecit Lutherus, quod promisſione non obſtante, ſe idololatricis mandatis Epiſcopi ſui ipſiuſque Romani Pontificis oppoſuit.

11. In ſacrum ordinem per vocationem cooptatus, accipit poteſtatem docendi Verbum & adminiſtrandi Sacramenta: non tamen ubique; ſed ordinariè in illâ parochiâ, aut diœceſi, ad quam vocatus eſt : Extraordinariè tamen, ad reqviſitionem Eccleſiæ, aut Miniſtri alterius, etiam in aliâ parochiâ vel diœceſi, officium ſuum validè exequitur.

12. Hinc ſingulis Paſtoribus commendata eſſe perhibetur cura unverſalis Eccleſiæ, quoad habitum; ſed particularis tantùm Eccleſiæ, quoad actum.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Ordinationem Vocationi rectè in Eccleſiis noſtris ſubjungi.*

1. ex I. Tim. IV. 14. 15. Quia (1) Ordinatio eſt ritus in praxi Apoſtolicâ fundatus. Inter eos enim, qui ordinarunt Timotheum, ipſe etiam Apoſtolus Paulus fuit 2. Tim. I. 6. (2) confert ordinato donum (*διὰ προφητείας*) per *Prophetiam*, ſeu monita Seniorum ordinantium. 1. Tim. I. 18. (3) incitamento eſt ordinato, ut *meditetur & in his occupetur*, quæ illi in Ordinatione præcepta ſunt.

2. ex aliis Scripturæ dictis. Act. XIII. 2. II. Tim. I. 6.

II. *Ad ordinationem ſufficere iſtas ceremonias: ut recens vocatus, per manuum impoſitionem, inter adſtantium preces, ſolenniter à ſeculi negotiis ſegregetur, & poſtquam ſe publico voto ad debitam fidelitatem obligavit, in ordinem ſacrum cooptetur.* Nam de his & non aliis ceremoniis Scriptura teſtatur, v. gr. (1.) *de* (*χειροθεσία*) *manuum impoſitione.* 1. Tim. IV. 14. V. 22. II. Tim. I. 6. (2) *de precibus adſtantium* Act. VI. 6. XIII. 3. (3) *de ſegregatione à ſeculi negotiis* Act. XIII. 2. (4) *de publico voto, ad debitam fidelitatem obligante*, 1. Tim. IV. 14. 15. 16. Ad quod enim exequendum, Paulus Timotheum, intuitu ordinationis ſuæ hortatur, ad illud exequendum ſe Timotheus in Ordinatione ſuâ obligavit.

III. *Non*

III. *Non solum Episcopum, Presbytero contradistinctum, sed & Presbyterum specialiter sic dictum, Ordinationem conferre posse.* 1. ex I. Tim. IV. 14. Quia Timotheus ordinatus legitur, per *impositionem manuum Presbyterii*, seu collegii Ministrorum Ecclesiæ, qui Seniores vocabantur. Sic enim vox hæc in N. T. accipitur, Luc. XXII. 66. Act. XXII. 5.

2. ex praxi Pontificiorum, qui per titulares Episcopos, qui nihil minùs, quàm veri Episcopi sunt, ordinationes fieri curant.

Ἀντίθεσις est eorum, 1. qui ordinationis necessitatem quamcunque, imo & utilitatem negant, ut Sociniani, Arminiani & Fanatici plerique.

2. qui varias ceremonias humanitùs inventas, tanquam necessarias ad ordinationem requirunt, ut Pontificii.

3. qui solum Episcopum, ordinationis conferendæ Ministrum esse posse, censent, ut Pontificii & Reformati Episcopales in Angliâ.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod sublatâ ordinatione, imo omni Ordine Ecclesiastico, rem Christianam penitus confundere nitamur. Ita Andr. Fabritius Resp. â sublatione ceremoniarum superstitiosarum in ordinatione, ad sublationem ipsius ordinationis omnisq; ordinis ecclesiastici, non valere consequentiam. Luce meridianâ clariùs patet, ordinem ecclesiasticum non minùs apud nos, quàm apud Pontificios reliquis ordinibus contradistingvi.

II. Quod in ordinem ecclesiasticum â nostris cooptentur textores, calcearii, imo lenones & carnifices: Ita Johan. Hoffmeisterus. Resp. putidissimam calumniam ab ipsâ experientiâ

tiâ refelli. Apud Pontificios ejusmodi ordinis ecclesiastici dehonestamenta reperiuntur, ubi, qui heri impius miles fuit, hodie manus, sangvine humano vix ac ne vix quidem purgatas, ut Presbyter, imo ut Episcopus, ad Deum extendit.

III. Quod recesserimus ab Aug. Conf. quippe quæ requirat ordinationem ab Episcopis petendam; cum nullus omnino nostrorum Prædicantium, ab Episcopo aliquo ordinatus sit. Ita Colonitsch. in Antiaugustanâ Confessione. Resp. Ordinationis ab Episcopo petendæ necessitatem nullibi in Aug. Conf. aut ullo libro symbolico Ecclesiæ nostræ stabiliri. Contrarium potius habetur in articulis Smalcaldicis P. III. art. 10. p. 519. (334) Reliqua eruditè soluta legantur in laudati D. Alberti Refutatione P. II. cap 3. pag. 160.

ARTICULUS XV.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS.

I. EXPLICATIO.

Variata Confessio eandem rem pluribus verbis repetit, nihil tamen, quod Orthodoxiæ præjudicet, hac in parte immiscuit, nisi fortè in gratiam Calvinianorum, inter exempla rituum servandorum, omisit *Festa*. Quomodò autem circa Adiaphora peccetur, nervosè ibi explicatum legimus, in istis: *Sentiendum est, quod sint res adiaphoræ, quæ extra casum scandali omitti possint: sed & illi peccant, qui cum scandalo eas violant, ut qui suarum Ecclesiarum tranquillitatem temerè perturbant.*

Cæterùm

Cæterùm Confeſſio invariata pag. 19. (13) de Ritibus agit, RESPON.

I. Θεθικῶς,

1. Quod aliqui Ritus locum habeant in Eccleſiâ. *De ritibus Eccleſiaſticis docent, quod ſervandi ſint.*

2. Qui Ritus intelligantur. Ubi

1. Deſcriptio eorum ponitur, nempe quod debeant eſſe

1. pii. *Ritus illi, qui ſine peccato ſervari poſſunt.*

2. utiles. *Et proſunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Eccleſiâ.*

2. Exempla ſubjiciuntur. *Sicut certæ Feriæ, Feſtæ & ſimilia.*

3. Sub quâ cautione Ritus iſti admittantur. *De talibus ——neceſſarius ſit.*

II. Αντιθετικῶς. Quando

1. in genere damnantur certi Ritus. *Admonentur etiam ——doctrinæ fidei.*

2. in ſpecie, exempla quædam adducuntur. *Quare vota & traditiones ——contra Evangelium*

JOHANNE ANDREA HABEL, Gedan.

In APOLOGIA, quæ titulum Articuli mutat, *eumq́ de Traditionibus humanis in Eccleſiâ* inſcribit, p. 313. (205.) ſeqq.

I. Proponitur, quid Adverſarii de Articulo iſthoc judicaverint, nempe

1. quod receperint primam ejus partem. *In Articulo XV. recipiunt——in Eccleſiâ proſunt.* p. 313. (205.)

2. quod rejecerint alteram ejus partem. *Alteram partem omnino——adverſari Evangelio.* ibid.

II. Exponitur uberiùs noſtra ſententia,

I. De Antitheſi heterodoxâ, oſtendendo

1. quod Adverſarii judaizent, atque Evangelium doctrinis Dæmoniorum obruant, id quod

1. demonſtratur. *Quanquam in ipsâ Confesſione ——Chriſto honorem mediatoris.* p. 324. 325.

a b c Ss (205.

a b c

(205. 206.)

2. ab instantiis vindicatur. Excipiebant enim Adversarii

1. Distingvendum esse inter ceremonias Mosaicas & Christianas. Respondent nostri: *Nec interest inter nostras traditiones —— mereamur remissionem peccatorum*, 325 (206.)

2. Neminem per Traditiones mereri Justificationem; sed tamen justificatos per eas mereri gratiam. Respondent nostri: *Si quis hìc dicat —— accepti & justi reputemur.* p. 326. (206. 207.)

2. quod nulla Traditio à Patribus, eo, quo adversarii volunt, consilio instituta sit, aut institui potuerit. Nam

1. Deus prohibet cultus novos sine mandato introductos. *Quanquam quid opus est —— custodite & facite ea.* p. 327. (207.)

2. Si liceret introducere novos cultus, etiam gentilium cultus probandi forent. *Si licet hominibus instituere —— fidei non norant.* ibid.

3. Nemo certus est de effectu cultuum, ab hominibus introductorum. *Postremò unde reddimur —— utrum placeant Deo* p. 328. (208.)

3. quod sic constituatur regnum Antichristi. *Et quid in re manifestâ —— in traditionibus humanis.* p. 328. 329. (208. 209.)

4. quod traditiones tantùm habeant speciem sapientiæ. *Paulus ad Colossenses —— non imitantur fidem eorum.* p. 330. 331. (209. 210.)

5. quod ex specie illâ sapientiæ sequantur varia incommoda, præprimis

1. fiducia operum. *Postquam fefellit —— talium operum.* p. 331. (210.)

a b 2. con-

a b

2. contemptus præceptorum Dei. *Deinde obscurantur ——sanctiores & meliores.* ibid.
3. fluctuationes conscientiarum. *Neque hoc satis est——interpretatio traditionum.* p. 332. (210)

II. De Thesi orthodoxâ, docendo
1. quod ex ritibus humanis nulla proficiscatur justitia coram Deo. *Nos igitur contra——traditiones humanæ.* p. 332. 333. (210. 211.)
2. quod Episcopi non habeant potestatem instituendi cultus, tanquam justificantes. *Nec habent Episcopi potestatem——mereantur justificationem.* p. 333. (211.)
3. quod traditiones ejusmodi servari queant, sed citra superstitionem. *Tunc etiamsi quis observat——in traditionibus est impia.* p. 334. (212.)
4. quod veterum traditiones utiles, apud nos meliùs, quàm apud Adversarios, serventur. *Cæterùm traditiones veteres —— diligenter conservare.* p. 335. 336. (212. 213.)
5. quod mortificatio corporis fiat
   1. juxta nos utiliter,
      1. per patientiam sub cruce, à Deo impositâ. *Ac de mortificatione carnis——timoris & fidei.* p. 337. (213.)
      2. per voluntariam abstinentiam â voluptatibus. *Verùm propter hanc mortificationem——perpetuum mandatum Dei.* p. 338. (213.)
   2. juxta Adversarios inutiliter. *Et illa præscripta——in canonibus traditam.* p. 338. (214.)
6. quod laquei disputationum in hoc articulo feliciter per Paulum solvantur. *Multas & difficiles——supra justitiam fidei.* ibid.

a

7. quod ex charitate in adiaphoris, propter concordiam, libenter cedere velimus. *Et tamen usum libertatis——de potestate ecclesiasticâ disputabimus.* p. 339. (214.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Ecclesia non habet potestatem instituendi Ritus, qui spirituales effectus edant, & sine peccato, etiam extra casum scandali, omitti nequeant: proindeq; Ritibus ab Ecclesiâ institutis, nec absolutæ necessitatis, nec cultûs, aut meriti opinio, adscribenda est.*

Ἔκθεσις. 1. Ex thesi patet, non esse nunc sermonem de Ritibus à Deo præceptis, v. gr. ut aquâ baptizetur, ut cœnâ in pane & vino administretur &c; sed de ritibus humanâ autoritate introductis.

2. Ecclesiæ non adimimus potestatem instituendi Ritus; quamvis limitemus potestatem dirigendi ritus, ad finem menti Spiritûs Sancti contrarium.

3. Nulli Ritus ab Ecclesiâ instituti, spirituales effectus edunt, quales sunt placare Deum, promereri gratiam, satisfacere pro peccato, justificare &c. tametsi quandoque subjectum, in quo spirituales effectus edendi sunt, moveant, afficiant & aliquo modo disponant.

4. Qui violat Ritus ab Ecclesiâ institutos, non peccat per se & immediatè; sed tamen per accidens & mediatè, quatenus aut in Ecclesiâ Deus contemnitur, aut scandalum proximo præbetur.

5. Loquimur autem de Ritibus adiaphoris; non palam impiis & superstitiosis.

6. Adiaphora, seu ἀδιάφορα, item Indifferentia, Germanicè Mittel-Dinge dicuntur, quæ in se, & ex naturâ suâ neque bona

bona ſunt, neque mala; etſi per applicationem, propter uſum fiant bona, & propter abuſum mala v. gr. cibi & potûs uſurpatio, & quæ his ſunt ſimilia.

7. In his, ex naturâ ſuâ æſtimatis, negatur poſitum eſſe regnum Dei. Rom. XIV. 17. quamvis ſi rectè illis utamur, benè faciamus. Eph. V. 29. ſi abutamur, malè. Luc. XXI. 34.

8. Obſervatio adiaphororum ab Eccleſiâ receptorum, neceſſaria eſt: non tamen abſolutè & ſimpliciter; ſed conditionatè, & ſecundum quid, præprimis ut excipiatur caſus neceſſitatis.

9. In illis non conſiſtit per ſe cultus divinus; quamvis per accidens conferant aliquid ad cultum, quatenus ſcilicet rebus, quibus per ſe colitur Deus, applicantur.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Eccleſiam non habere poteſtatem inſtituendi tales ritus, quales in Theſi deſcripſimus*, ex Jac. IV. 12. Quia (1) *unus* dicitur eſſe *legislator*, ſcilicet ſpiritualis ſeu animarum, qui conſcientias ſimpliciter & directè obliget. Conf. Eſa. XXXIII. 22. (2) uni illi vendicatur *τὸ perdere & liberare*, ſeu quod idem eſt, damnare & abſolvere. Ex quo ſequitur, illos poteſtatem Dei ſibi rapere, qui jus inſtituendi ritus, æternæ ſalutis aut damnationis meritorios, ſibi arrogant. (3) increpantur, qui *proximum judicant*, videlicet poteſtate judicandi â Legislatore iſto unico, non acceptâ. Id autem faciunt, qui Ritus tales inſtituunt, eorumque obſervationem, ſub opinione neceſſitatis urgent.

II. *Ritibus ab Eccleſiâ inſtitutis, non eſſe adſcribendam opinionem* (1) *abſolutæ neceſſitatis* ex Gal. V. 1. Nam (α) omnibus Chriſtianis commendatur *libertas* (β) & quidem propterea, *quia Chriſtus eos liberos fecit*, (γ) in illâ libertate jubentur *ſtare*, i. e. conſtanter, abjectâ omni fluctuatione, permanere, (δ) *neque jugo ſervitutis illaqueari rurſus*, nempe poſtquam â ritibus Moſaicis liberati ſunt. Unde colligimus: Qui

liberati ſunt â ritibus Moſaicis, ipſi Deo originem debentibus, illi nullâ rituum humanitus inſtitutorum neceſſitate conſtringuntur. Atqui Chriſtiani. Ergo. Vid. Apolog. p. 333. (211.) (2) *cultûs* ex Matth. XV. 9. Quia Deus expreſſè indicat, ſe nolle coli *mandatis hominum*. Quæ autem de Traditionibus Phariſæorum dicebantur, etiam ad Ritus ab Eccleſiâ inſtitutos referri poſſe, oſtenditur in Apolog. p. 325. (206) (3) *meriti*, ex eodem. Quia Deus fatetur, ſe mandatis ejusmodi coli (μάτην) *fruſtrà*, ſeu inaniter, aut ſine fructu. Vid. argumenta noſtrorum reliqua in Apolog. p. 324. (205) ſqq.

Ἀντίθεσις eſt Pontificiorum.

Theſis II. *Qui Ritus jam introducti ſine peccato ſervari poſſunt, tranquillitatis causâ ſervandi, nec temerè, præſertim in gratiam hoſtium veritatis, abrogandi ſunt.*

Ἔκθεσις. 1. Ritus qui ſine peccato ſervari poſſunt, opponuntur Ritibus idololatricis, ſuperſtitioſis, aut ex aliâ causâ palam impiis, utpote qui ſine peccato ſervari nequeunt.

2. Non loquimur de ritibus introducendis; ſed introductis. Hic ſæpè toleratur, quod ibi rectiùs omittitur. Vid. Apolog. p. 338. (214.)

3. Proſunt ritus ad tranquillitatem dupliciter, directè, aut indirectè. Priori modo, ſi eorum introductio animos diſſentientes conjungat; poſteriori modo, ſi eorum abrogatio ſciſſioni animorum, aut ruinæ ab hoſtibus metuendæ, occaſionem præbeat.

4. Etſi autem Ritus faciant ad Eccleſiæ tranquillitatem; nequaquam tamen cauſantur, aut diſturbant Eccleſiæ unitatem. Unde â diverſitate talium Rituum, ad diverſitatem Eccleſiæ, N. V. C.

5. Non omne illud Papiſticum eſt, quod anteà apud Papiſtas

pistas in usu fuit. Hinc abusus rituum quorundam Papisticus improbatur; ut tamen rituū eorundem legitimus usus servetur.

6. Aliud est cedere infirmitati verorum fratrum, aut qui veris fratribus, per cesſionem nostram, aggregari posse videntur. 1. Cor. IX. 19. 22. Aliud est cedere malitiæ hostium falsorumque fratrum, qui cesſione nostrâ prævidentur usuri esse, ad propagandam Heterodoxiam suam, aut ad laqueum conscientiis injiciendum.

7. Adiaphora in se & per se semper sunt & manent libera; per accidens verò & quoad exercitium contingere potest, ut fiant necessaria, E. gr. cum ritus quidam ab Adversariis, Ecclesiæ invitæ obtruduntur, aut prohibentur: tum quæ anteà fuerunt Adiaphora, non ampliùs sunt talia: neque enim in tali casu de re indifferenti agitur; sed de libertate Christianâ, in quâ necessariò standum est,

8. Proinde circa usum Adiaphororum aliter judicandum est extra casum Confesſionis; aliter in casu Confesſionis. Ubi Confesſio exigitur, nec ore nec opere veritatem abnegare licet. E. gr. si quis jubeatur genua flectere, in signum cultûs Pontificiorum approbati.

9. Sic quoque cum hostes veritatis mutationem Adiaphororum urgent, in constanti eorum usu Confesſio veritatis consistit: neque retentio rituum pristinorum est nota inobedientiæ erga Magistratum, quippe qui jure suo in Ecclesiâ abutitur; sed est nota obedientiæ erga Deum, quippe cui magis obediendum est, quàm hominibus.

10. Ex duobus quidem malis pœnæ, eligendum est minimum; non item ex duobus malis, quorum minus est culpæ, majus pœnæ. E. gr. si aut ferenda sit persecutio, aut in casu Confesſionis deserenda libertas christiana. Conf. Rom. III. 8.

11. Scandala accepta, non semper præcaveri queunt; à scandalis autem datis, sedulò ubique est cavendum.

12. De-

12. Denique observandum, quod Adiaphora non dicantur libera, respectu singulorum Ecclesiæ membrorum; sed respectu totius Ecclesiæ, cujus est communi consensu illa instituere, suspendere, aut abolere.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Ritus jam introductos, qui sine peccato servari possunt, tranquillitatis causâ servandos esse.* Ita Apostoli, in Ecclesiâ nascente ritus Judaicos, usque ad templi desolationem, *ut Synagoga cum honore sepeliretur*, tolerabant, seque ipsos Judæis accommodabant. Vid. Act. XV. 29. XVI. 3. XIIX. 18. Id quod concordiæ gratiâ, se imitaturos esse Confessores nostri pollicebantur, in Apolog. p. 339. (214.)

II. *In gratiam hostium veritatis, nullos ritus temerè abrogandos esse.* Sic exemplo suo nos docuit Paulus, Gal. II. 4. 5. quando ne *ad momentum quidem, per subjectionem, cedere audebat falsis fratribus*, libertati Christianæ insidiantibus, *ut veritas Evangelii permaneret.* Vid. plura in Form. Concord. p. 1092. (792.) seqq.

Ἀντίθεσις. 1. est Calvinianorum, qui Ecclesias nostras adhuc Papismi contagio infectas esse, dicunt & scribunt, propter imagines, signum crucis, exorcismum aliasque ceremonias baptismales, privatam confessionem & munuscula confitentium, altaria, placentulas orbiculares, luminaria accensa & ritus quosdam eucharisticos, genuflexionem ad nomen Jesu, pericoparum evangelicarum & epistolicarum prælectionem ac explicationem, festa â Sanctis denominata, preces & cantiones Latinas, Musicam figuralem & instrumentalem, distinctos Ministrorum gradus. &c.

2. Socinianorum, qui pariter multa talia simpliciter prohibent, ut imagines, auricularem Confessionem, Eucharistiæ morientibus privatim exhiberi solitæ administrationem, pericoparum evangelicarum & epistolicarum usum, festa, &c.

3. Quackerorum, qui templa sub nomine turritarum ædium, itemq;

..unque altaria, imagines, campanas, præſcripta cultui tempora, Muſicam &c. deteſtantur. vid. Quacker. confut. Art. 18. Hypoth. n. 3. ſeq. p. 189. ſeqq.

4. Pietiſtarum & Hyperpietiſtarum, de quibus conf. Wigandiana p. 70. 73. & Supplem. Synopſ. Art. 32. Th. 4.

III. VINDICATIO.

Accuſamur

I. Quod omnes antiquas Traditiones & Ceremonias ex Eccleſiâ proſcribamus. Sic Thomas Henrici, cui priusquam iſta effutiret, jam abundè reſpondit ipſa Apologia. p. 355 (212.213.)

II. Quod injuriam faciamus Pontificiis, quando illis tribuimus, quod doceant, nos obſervatione Traditionum mereri promiſſionem peccatorum, & placare Deum. Ita idem Henrici, nec non Bellarminus L. 4. de Pœnit. c. 13. & L. 2. de Sacram. in genere, c. 30. 31. Atat quî jam negari poteſt, quod olim in Auguſtanis Comitiis, ab ipſis Pontificiis concedebatur? Cum enim hi negarent alteram partem Articuli noſtri, eo ipſo affirmabant oppoſitum illius. Vid. Apolog. p. 324. (205.) Conf. etiam Carpzovii Iſagog. ad h. l. p. m. 439.

III. Quod diſceſſerimus ab hoc Articulo, ſublatis multis feſtis, itemq; exorciſmo baptiſmali: cum tamen ipſimet fateamur, *ritus illos ſervandos eſſe, qui ſine peccato ſervari posſunt & proſunt ad tranquillitatem ac ordinem.* Hæc urgentur in Antiauguſtanâ Confeſſione, juſſu Epiſcopi à Collonitſch editâ; cui reſpondit D. Alberti in Refutatione, P. 2. c. 3 p. 172. ſeq. Nimirum Exorciſmus in plerisq; adhuc Eccleſiis noſtris retinetur; Feſtorum verò non neceſſariorum numerum minuimus, utpote tranquillitati ac ordini magis adversũ, quã conducentẽ.

IV. Quod Calvinianos ſine causâ arguamus, tanquam articulo huic adverſos. Sic enim conqueritur Altingius in Exegeſi. p. 93. Verùm ſol in meridie negatur: cum non ipſi tantùm multos ritus, qui ſine peccato ſervari poterant, ſuſtulerint; verùm & nos propterea, quia ritus eos adhuc ſervamus, ſuggillent.

ARTICULUS XVI.
DE
REBUS CIVILIBUS.

I. EXPLICATIO.

VAriata Confessio, quoad rem, nihil immutavit. Nonnulla tamen explicationis gratiâ addidit. Nam post illa: *Sicut bona opera*: sequitur: *Et ordinationes Dei, sicut Paulus testatur: Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* Pro illis: *Ducere uxorem, nubere*: extat ibi: *contrahere legitima conjugia, artes probatas legibus exercere.* Quæ contra Anabaptistas adferuntur, in initialibus paululum interpolata sunt, sequentem in modum: *Damnant & illos, qui Evangelicam perfectionem collocarunt in desertione civilium officiorum: cum Evangelica perfectio sit spiritualis, h. e. consistat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientiâ. Evangelium enim concionatur de quadam æternâ justitiâ cordis, nec abolet jus in politiam, aut œconomiam.* Reliqua cum nostro Exemplari conveniunt.

In Confessione invariatâ p. 19. (14) Articulus hic inscribitur *de Rebus Civilibus*, sumtâ voce generaliter, in oppositione ad res Ecclesiasticas. Agitur autem de istis rebus

- I. θετικῶς. Nam explicatur, *quid doceamus*,
  - 1. in genere, de conservatione Politiæ & Oeconomiæ.
    Evangelium tradit justitiam æternam——exercere charitatem
  - 2. in specie,
    - 1. Dei statu politico,
      - 1. à parte eorum qui præsunt,
        - 1. *quod legitimæ ordinationes civiles sint bona opera*

a b c d

b c d

opera *Dei.*

2. *quod Christianis liceat gerere Magistratus.*

3. quod liceat *judicare res, ex imperatoriis & aliis præsentibus legibus.*

4. quod liceat *supplicia jure constituere.*

5. quod liceat *jure bellare, militare.*

2. â parte eorum qui subsunt,

1. quod obedire teneantur Magistratui, dummodò nihil contra Deum præcipiat. *Itaq. necessariò debent——hominibus. Act. V. 29.*

2. quod liceat *jusjurandum, postulantibus Magistratibus, dare.*

2. De statu Oeconomico,

1. quod liceat *lege contrahere.*

2. quod liceat *tenere proprium.*

3. quod liceat *ducere uxorem, nubere.*

II. Αντιθετικῶς, contra

1. Anabaptistas. *Damnant —— Christianis.*

2. Monachos. *Damnant & illos——officiis.*

IN APOLOGIA p. 340. (214.) Articulus hic inscribitur *de Ordine politicô*, ibidemque

I. Narratur, quod Adversarii receperint hunc articulum. *Articulum XVI. recipiunt—Christianus uti potest* p. 340. (214. 215)

II. Explicatur uberiùs nostra sententia,

1. quod non confundendum sit regnum Christi & regnum civile. *Hic totus locus —— æternam inchoans.* p. 340. (215.)

2. quod Christianus uti possit legibus politicis cujuscunque loci, ubi vivit, secus atque censuit Carolstadius. *Interim foris sinat nos —— leges judiciales Moysi.* ibid.

 quod

a

3. quod Monachi malè de rebus civilibus senserint. *De his ideo copiosiùs—divinæ ordinationi.* p. 341. (215.)

4. quod Julianus, Celsus &c. perperam accusaverint Evangelium, quod parum apta societati civili tradat. *Julianus Apostata—mutare civilem statum.* p. 342. (215. 216.)

5. quod lege Dei, & vindicta privata prohibeatur, & vindicta publica præcipiatur. *Itaq; privata vindicta—probare statum civilem.* p. 342. (216.)

6. quod non tenere proprium malè pro Christianâ perfectione habeatur. *Vanissimum & hoc—sacerdotibus tenere proprium.* p. 343. (216. 217.)

7. quod contractus eatenus liciti sint, quatenus approbantur â Magistratu. *Sunt infinitæ Disputationes—leges approbant,* p. 344. (217.)

8. quod doctrina nostra â bonis viris probetur & probari mereatur. *Hic totus locus—habeat mandatum Dei.* p. 340. (217.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Magistratus est DEI ordinatio, & salvâ conscientiâ à Christiano geri potest.*

Ἔκθεσις. 1. Vocabulum Magistratus propriè non nisi præfecturam politicam notat; impropriè verò & per ampliationem Pontificiis usitatam, etiam ad præfecturam Ecclesiasticam transfertur, quæ acceptio â præsenti instituto aliena est.

2. Porrò idem vocabulum nunc abstractivè solum officium significat; nunc concretivè ipsum subjectum connotat. Hinc in thesi nostrâ Magistratus (i. e. officium) geri, & alibi Magistratus (i. e. persona officium gerens) *aliquid agere* dicitur.

3. Siquidem ergo Magistratus nomen officii est, cavendum, ne vitium accidentarium subjecti, Magistratum gerentis,

v. gr.

v. gr. crudelitas, injustitia, &c. imputentur ipsi officio, nempe Magistratui. A concreto enim ad abstractum, N. V. C. Bene Augustinus serm. 15. de Diverf. c. 5. *Magno errore magnâque dementiâ, in res ipsas, quibus homines malè utuntur, crimen malè utentium transfertur.*

4. Magistratus Ordinatio Dei est, & nihilominus etiam *humana ordinatio* dicitur, 1 Petr. II 13. scilicet ut à Petro non respiciatur ad causam principalem, quæ est Deus; sed partim ad causam instrumentalem, quia plerumque mediantibus hominibus constituitur; partim ad subjectum recipiens, quia non nisi hominibus committitur.

5. Quando autem Diabolus salutatur *Princeps & Dominus mundi,* Joh. XII. 31. XVI. 11. Eph. VI. 12. sensus non est, quod Diabolus præfecturas hujus mundi suo arbitrio dispenset, prouti ipse mendacissimè gloriabatur Luc. IV. 6. sed quod impiorum voluntatibus imperet; utpote *cujus regnum non est natura, sed malitia,* juxta Cyprianum Serm. de Jejun. & Tentat.

6. Semper ergo Magistratus à Deo est; quamvis modus consequendi Magistratum quandoque non sit à Deo. Hos. IIX. 4.

7. Cum Christus recusaret regnum Joh. VI. 15. neque discipulis facultatem regendi indulgeret, Matth. XX. 22. id non ideo factum est, quod Magistratum damnaret; sed quod inter Magistratum & munus Ecclesiasticum, distingveret.

8. Reges gentium, quos Christus dominari dicit Luc. XXII. 25. non opponuntur Regibus Christianorum; utpote Ministris Dei, in regno potentiæ. Sap. VI. 5. sed tantùm Apostolis Apostolorumque successoribus, tanquam Ministris Dei in regno gratiæ. Nomen igitur τῶν ἐθνῶν non accipitur hic specialiter, pro solis paganis & idololatris; sed generaliter, pro quibusvis populis, uti Matth. XXV. 31. Luc. VII. 5.

9. Christus est Rex & Protector fidelium: sed ita ut ... non in omnibus immediatè regat & protegat; sed in quibusdam, mediante Verbi ministerio & Magistratûs officio.

10. Regnum gratiæ Christo competens, â regnis mundanis distingvitur. Joh. XIIX. 36. At regna mundana â regno gratiæ non abolentur.

11. Imperium Magistratus subordinatur regno Christi; non opponitur. Neque enim homines imperant sine Christo; sed Christus per homines. Prov. IIX. 15.

12. Unde & in hâc vitâ, Regum est, coronas suas ante thronum cœlestis Regis dimittere. Apoc. IV. 10. non quidem Magistratu se abdicando; veruntamen officium suum gloriæ divinæ impendendo & cultum Dei apud subditos promovendo.

13. Christo adveniente non debebat aufferri omne sceptrum; sed tantùm sceptrum de Judâ. Genes. XLIX. 10.

14. A mundo, prouti in Scripturâ describitur 1. Joh. V. 19. ad regna mundana, argumentari non licet. Mundus enim arguitur in parte sui potiore, per peccatum corruptâ, quia constat ex hominibus res mundanas supra Deum æstimantibus: Regnum verò mundanum solummodò sic denominatur â loco, quia in mundo est, in quo boni malis mixti commorantur.

15. Israëlitæ Regem cupientes leguntur rejecisse Deum 1. Sam. IIX. 7. non tamen propterea, quod Regem cuperent: Hujus enim eligendi potestatem jam olim acceperant, Deut. XVII. 14 15. sed quod Regem ex diffidentiâ & κακοζηλίᾳ Gentilium fastidioque θεοκρατίας cuperent. Vid. 1. Sam IIX. 4. 5. 19. 20.

16. In fabulâ Jothanis Jud. IX. non excutitur quæstio, an aliquis Magistratui admoveri debeat? sed quis ex levitate & ingratitudine Sichemitarum admotus fuerit? nempe non oliva, ficus, vel vitis, i. e. homo pius; sed rhamnus, i. e. impius, nempe Abimelech.

βεβαίωσις probatur I. ex Rom. XIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6 quia (1) *nulla est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt.* v. 1. (2) *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* v. 2. (3) *qui ordinationi tali resistunt, sibi ipsis κρίμα* h. e. *condemnationem* (seu supplicium) *accipient.* v. 2 Sic enim vox Græca sumitur. Luc. XXIII. 40. Rom. III. 8. Bene Chrysostom. ad h. l. *Deus istud constituit, qui & vehemens ista contemnentium ultor est.* (4) Magistratus *Dei Minister est* v. 4. 6. (5) necesse est subjici, *non solùm propter iram; sed & propter conscientiam.* v. 5. h. e. juxta explicationem Augustini: *Non solùm ad iram evitandam, quod potest etiam simulatè fieri; sed ut in tuâ conscientiâ certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris, jussu Domini tui.*

II. Ex aliis Scripturæ dictis. 2. Paral. XIX, 6. Prov. IIX 15. 16. Sap. VI. 4. 5.

Αντίθεσις est 1. Anabaptistarum, Weigelianorum, Quackerorum, &c. qui negant Magistratum in N. T salvâ conscientiâ geri posse; tametsi plerique eorum concedant, aut ad minimum concedere se simulent, quod Magistratui obediendum sit. At hæc relata sunt, quæ se mutuò ponunt & tollunt. Unde rectè Mentzerus noster Exeg. A. C. p. 562. *Si obedire Magistratui per se & naturâ sui bonum est & justum, ratio nulla dari potest, cur imperare sit per se & ratione sui malum & injustum.*

2. ex Hyperpietistis Dippelii, cujus hypotheses sunt (1) discrimen statuum inter Christianos sublatum esse. (2) Magistratum non pertinere ad regnum Christi. (3) Verè ad Christum converso non convenire dignitatem hanc, breviq; multos officium Magistratûs depositurus esse. Verba ejus & quàm Pietistæ etiam, Chiliasmo dediti, haud multum à rebellibus Anabaptistarum veterum vestigiis recedant, adduximus in Wigandianis, sub tit. Magistratus, p. 113. seqq. Add. Synopsis Art. 35. qv. 7.

Thesis

Thesis II. *Non Laici duntaxat, sed & Clerici, ut membra civitatis, sub potestate Magistratus sunt, eidemq; nisi impia præcipiat, obedientiam præstare tenentur.*

Ἔκθεσις. 1. In civili societate manet æqualitas hominum, quoad interna & naturalia, quatenus *una caro sunt*, atque ideo ad mutua charitatis officia obligantur, Es. LIIX. 7. quamvis necessariò introducta sit diversitas, quoad externa & moralia.

2. Sic & libertas per Christum parta, non est carnalis; sed spiritualis: nec opponitur obedientiæ Magistratui præstandæ; sed servituti peccatorum, mortis & diaboli.

3. Eadem libertas per leges honestas, quibus Magistratus voluntatem suam declarat, non evertitur; sed promovetur: cum libertas vera in eo consistat, ut possimus eligere bonum & rejicere malum, secundum normam legum. Veritati igitur exactè convenit illud: *Deo & legibus servire libertas est.*

4. Quod persona non sit aspicienda Jac. II. 9. intelligitur de exercitio justitiæ & charitatis; nequaquam verò de exercitio obedientiæ â Deo præceptæ: cum Deus ipse auctor sit distinctionis illius. 1. Petr. II. 13.

5. Non negamus, subjectionem habere suos gradus; quamvis negemus, Clericos exemptos esse ab omni subjectionis gradu.

6. In Clericis duo attenduntur, Ecclesiasticum, quod gerunt, officium; & Politicum, quo Reipublicæ obstringuntur, vinculum. Hujus ratione, sub Magistratu sunt, tanquam membra civitatis; quoad illud ulteriori disquisitione opus est.

7. Distingvimus enim inter curam Religionis externam, & internam. In externis Clerici subordinantur Magistratui; in internis Magistratus subordinatur Clericis. Idem enim Spiritus, qui *omnem animam*, adeoqve & Clericos, jussit *subjici Magistratui* Rom XIII 1. etiam omnes auditores, ne quidem illis, qui in Magistratu constituuntur, exceptis, jussit *obedire Præpositis suis*. Hebr. XIII. 17.

8. Non

8. Non quæritur, an Clerici à quadam jurisdictione politicâ Magistratuum, præsertim inferiorum, meritò immunes esse debeant? verùm an ab omni jurisdictione tali necessariò immmunes sint? Ubi inter Evangelicos Consistoria Ecclesiastica præsto sunt, Clericus non nisi coram iis conveniri potest.

9. Unde de delictis Clericorum ita scribit Gerhardus, in Loco de Magistratu. §. 441. *Si in officio suo delinquant, tum cognitio & pœna illius delicti, utpote Ecclesiastici, non pertinet ad solum Magistratum; sed ad totam Ecclesiam, vel ad illos, qui publico Ecclesiæ nomine hoc officio funguntur, ad Senatum scilicet Ecclesiasticum: sed si committant delicta, civilem societatem turbantia, eaq; vel capitalia, vel non capitalia, tum cognitio & pœna, pertinet ad Magistratum civilem.*

10. Quod jure humano passim Clericis concessum est, perperam ab Adversariis, tanquam jure divino decretum, urgetur.

11. Denique distingvimus inter Magistratum impium & impia præcipientem. Illi obedientia præstanda est; huic verò deneganda.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Clericos quoque, tanquam membra civitatis, sub potestate Magistratûs esse*, (1) ex Rom. XIII. 1. Quia (πᾶσα ψυχὴ) *omnis anima* Magistratui subjecta esse jubetur. Ad quæ verba sic commentatur Chrysostomus. Homil. 23. in Epist. ad Rom: *Ista imperantur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solùm secularibus: etiamsi Apostolus sis, seu Evangelista, seu Propheta, seu quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Similiter Theodoretus ad h. l. *Omnis anima, sive sit Sacerdos aliquis, sive Antistes, sive monasticam vitam professus &c.* (2) ex practicâ Christi confessione, tam verbali Joh. XIX. 11. quàm reali Matth. XVII. 27. (3) quia inter characteres Antichristi refertur extollere se super omne *id quod Deus est* 2. Thess. II 4. Hoc verò facit, qui supra Magistratum se extollit, qui ut *vi-*

carius Dei in regno potentiæ, pasſim nomine (אלהים) Deorum inſignitur.

II *Magiſtratui impia præcipienti, non deberi obedientiam,* ex Act. IV. 19. V. 29. Quia *Deo magis obediendum eſt, quàm hominibus.* Si quis autem Magiſtratui impia præcipienti obſequeretur, is hominibus magis obediret, quàm Deo.

Ἀντίθεσις eſt 1. Quackerorum, qui quantum in ipſis eſt, ſubditos, tanquam in libertatem illimitatam â Chriſto aſſertos, contra Magiſtratum excitant. Quamvis enim liber, die alte Wahrheit erhöhet / conqueratur, injuriam illis fieri, ſi hujusmodi criminis accuſentur; tamen experientia aliud loquitur, ipſique palàm in Epiſtolâ anno 1660 menſe Junii ad Hamburgenſem Senatum ſcriptâ, profitebantur, Magiſtratui non niſi poteſtatem in Bruta & Plantas competere: Sic enim inter alia: Im Anfang ſprach GOtt: laſſet uns Menſchen machen / die regieren über die Fiſche in der See / über die Vögel unter dem Himmel / und über das Vieh / und über die gantze Erde: Das iſt euer Regierung. Plura videantur in Quackeriſmo confutato, Artic. 37. Hypoth. n. 3. & 12. p. 516. 522.

2. Pontificiorum, qui pro omnimodâ exemtione Clericorum, tanquam pro aris & focis, pugnant. Unde Emanuel Saa in Aphoriſmis Confeſſ. tit. Clerici, negat *Crimen læſæ Majeſtatis â Clericis committi poſſe.*

3. Pſeudopoliticorum, qui ſubditis omnem facultatem diſcernendi inter juſſa pia & impia denegant. Sic inter alios Hobbeſius cenſet: in causâ religionis, ſubditum teneri ſequi voluntatem Domini ſui, in omnibus controverſiis, ſi modò iſtum fidei articulum retineat, *JEſum eſſe Chriſtum.*

Theſis III. *Quemadmodum Chriſtiano de cauſis, tam criminalibus, quàm civilibus judicare, ſententiamq́, etiam capitalem, exſequi; ita pariter coram judicio, jus ſuum proſequi licet.*

ακϑεσις. 1. Distingvimus inter judicia privata, quæ quis super personâ aut re alienâ, extra vocationem exercet; & inter judicia publica, quæ secundum vocationem Dei instituuntur. Illa Spiritus Sanctus prohibet, Matth. VII. 1. Rom. XIV. 4. 1. Cor. IV. 5. De his honorificè sentit.

2. Quando autem in sacris carpitur judiciorum abusus; non propterea tollitur eorum usus. Concedimus, in judiciis sæpè peccari, (1) ratione causæ impulsivæ, cum quis ex irâ, odio, invidiâ, vel vindictæ cupiditate proximo litem intentat, aut eum injustâ denegatione rei, quam ex obligatione debebat, ad litem intentandam adigit, (2) ratione objecti, cum ob res leves, absque tentatâ compositione amicâ, ad tribunal curritur, (3) ratione finis, cum partium litigantium altera alterius ruinam & Judex commodum privatum, sepositâ ex oculis animoque justitiâ, ad quam unicè respicere debebat, quærit. (4) ratione modi, cum per convitia, calumnias, sophismata aliasque fraudes, Christianæ modestiæ, patientiæ ac æquanimitatis limites transiliuntur.

3. Quibus observatis, responderi potest ad loca dubia. Matth. V. 44. Prov. X. 12. in quibus Christianis commendatur charitas. Hæc enim cum judiciis publicis non per se pugnat; sed tantùm per accidens: item 1. Cor. VI. 7. ubi non prohibentur judicia simpliciter; sed secundum quid, nempe ad quæ ex malo affectu, ob res leves, illegitimo modo, coram judicibus infidelibus, cum intentatâ alterius partis ruinâ deveniebatur: nec non Matth. V. 40. quo in dicto vetatur vindictæ studium, si quis in judicio publico, per fraudem actoris, aut iniquitatem judicis oppressus, optimâ causâ ceciderit. Ei enim injungitur graviora potius pati, ex sententiâ judicis iniquâ, quàm ut privatim se ulciscatur. Ut tamen interim causam justam, quamdiu spes obtinendi superest, eidem licitis modis tueri liceat.

4. Concedimus, quod veri Christiani, quatenus tales, agantur à Spiritu Dei Rom. IIX. 14. quodque ultrò justitiæ studeant Ps. CX. 3. Negamus autem omnes, in externâ Ecclesiæ societate viventes, esse veros Christianos: quandoquidem bonis mixti reperiuntur mali.

5. Tametsi igitur Boni non indigerent Magistratu, propter directionem in bono; indigerent tamen eodem, propter defensionem contra malos.

6. Enimverò & in ipsis bonis, præter primitias novitatis, quas per regenerationem conseqvuntur, supersunt reliquiæ vetustatis, ex peccato originali superstites, propter quas opus habent Magistratu, ut carne adversus spiritum quandoque atrociùs insurgente, intuitu pœnarum, tantò diligentiùs concupiscentias carnis recalcitrantis, mortificent.

7. Christiani vivunt sub curâ & protectione Dei Matth. IX, 30. 31. sed in multis per Magistratum: ut adeò defensio Dei & Magistratus, non opponantur sibi invicem; sed subordinentur: neque nomen Christiani excludat nomen Judicis, Actoris, Rei, Testium. &c.

8. Similiter adversitates Christianorum, aut immediatè à Deo immittuntur; aut à malis hominibus inferuntur. In illis unicum remedium est patientia. Act. XIV. 22. Ab his Deus haud rarò suos liberare vult per Magistratum.

9. Qui ut Christianus fert crucem â Deo impositam; ille ut Judex gladium gerere, ut Actor injurias illatas coram Magistratu prosequi, ut Reus innocentiam suam tueri, ut Testis veritati suppetias ferre potest. Non enim hæc incompatibilia sunt; sed compatibilia.

10. Sic quoque executio sententiæ judicialis in foro humano, minùs rectè contradistinguitur judicio Dei. Deus enim aut judicat facinorosos immediatè, aut mediantibus hominibus, propterea in tribunali constitutis, ut Dei vices tueantur, de quo Hebr. XIII. 4.

11. Mi-

11. Misericordia commendatur Christianis Luc. VI. 36. 1. Petr. III. 8 sed ne justitia negligatur. Notanter Lutherus in der Hauß-Postill ad Dom. 16. p. Trin. Wer da will barmhertzig seyn/ also daß er die Sünde und das Unrecht nicht straffte/ der würde eine zwiefältige Unbarmhertzigkeit seinem Nechsten erweisen.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Quod Christiano, ad hoc vocato, de causis civium judicare liceat* (1) ex Deut. XVI. 18. Quia (1) Judicum constitutio non tantùm conceditur populo Dei; sed etiam præcipitur (2) præceptum illud ad omnes civitates extenditur, (3) judicum qualitas determinatur. Quicquid verò ita à Deo ordinatum, nec uspiam alibi abrogatum est, id Christianos non minùs, quàm Judæos stringit.

2. Ex aliis Scripturæ dictis, in quibus judicium Magistratûs legitur esse judicium Dei Deut. I. 17. II. Paral. XIX. 6. Ps. XXCII. 1. Prov. IIX. 15.

II. *Quod Christiano coram judicio jus suum prosequi liceat*, 1. ex Thesi præcedente: Relata enim se mutuò ponunt & tollunt. Hinc si Christiano de causis aliorum judicare licet; etiam Christiano causam suam coram judicio prosequi licet. 2. Accedit praxis Christi & Apostolorum Joh. XIIX. 23. Act. XVI. 37. XXIII. 3. XXV. 10.

III. *Quod Christiano judici capitalem sententiam ferre & exequi liceat* 1. ex Rom. XIII. 3. 4. 5. 6. Quia Magistratui expressè (1) tribuitur *gladius*, v. 4. (2) & quidem ut *Dei ministro*. v. 4. 6. (3) ac *vindici in iram* v. 4. (4) idem ille *negatur frustra gerere gladium*. v. 4. (5) sed eum ita tractare jubetur, ut *qui malum fecerit*, *timeat*. v. 4.

2. ex aliis Scripturæ dictis Genes. IX. 6. Deut. XIX. 19. 20. Jerem. XLIIX. 10.

Ἀντίθεσις est 1. Anabaptistarum, Socinianorum, Quackerorum, aliorumque Fanaticorum, qui aut omnia judicia inter

Christianos cupiunt abrogata; aut ad minimum â judiciis capitalibus abhorrent; vel si concedant Christiano, se coram judicio defendere; nihilominus ei prohibent coram judicio causam suam agendo prosequi.

2. Pietistæ novelli, qui sub nomine Justi Clementis Leucopolitani, anno 1699. tractatum publicabat, cujus titulus hic est: **Gewissenhaffte Anmerckunge/ von dem Amte einer Christlichen Obrigkeit/ sonderlich die in Beziehung auff göttliche und weltliche Rechte/ eingeführte Straffen der Ubelthäter betreffend:** In quo sequentes foventur hypotheses: (1) Maleficos esse puniendos; non tamen capitaliter. (2) Sonti in impœnitentiâ perseveranti, per mortis sententiam, non amputandum esse tempus pœnitentiæ, (3) ut Sonti pœnitenti parcatur, Christianæ lenitatis esse, (4) ne quidem homicidas dolosos capite plectendos esse. Concludit Fanaticus: *Per dominantem Evangelii gratiam supplicia, quæ nunc irrogantur, omnino seponenda sunt.*

Thesis IV. *Cum bella â Deo nullibi simpliciter prohibeantur, nihil impedit, quo minùs Christianus bello justo, salvâ conscientiâ intersit.*

Ἔκθεσις. 1. Bellum spirituale, quod Christianis gerendum est 2. Cor. X. 3. 4. 5. Eph. VI. 12. seqq. non excludit bellum seculare, de quo nunc loquimur; sed cum eo cæteris paribus quàm optimè consistit.

2. Neque enim hoc bellum in N.T. prohibetur; quamvis propagatio Evangelii sine bello secutura esse prædicatur. Es. XI. 9. LXV. 25. Zach. IX. 10.

3 Non invisa est Deo quævis sangvinis effusio; sed tantùm effusio injusta. Genes. IX. 5. Es. I. 15.

4. Similiter ex eo, quod Petro prohibetur gladius, utpote perso-

personæ privatæ & ad aliud officium vocatæ Matth. XXVI. 52. colligere haud licet, etiam Magistratui prohiberi gladium, utpote personæ publicæ & ad hoc ipsum officium vocatæ.

5. Præ cæteris distingvendum est, inter bellorum usum & abusum: ille laudem; hic crimen habet.

6. Peccatur autem in bellis per abusum, contra charitatem christianam (1) ratione causæ impulsivæ, cum ex ambitione, avaritiâ, inordinatâ vindictæ cupiditate &c, suscipiuntur (2) ratione objecti, cum ob res leves, absque tentatâ amicâ compositione, ad arma decurritur, (3) ratione finis, cum de gloriâ Dei, & salute proximi parum nihilve cogitatur, (4) ratione modi, cum gladio nimia sævitia, in imbellem quoque ætatem & sexum, indulgetur; cum stupris licentia conceditur &c.

7. Ita bellum per se licitum; per accidens illicitum fieri potest.

8. Distingvimus etiam inter bellum & bellatorem, seu militem. Vitia concreti non imputanda sunt abstracto. Unde Christianus salvâ conscientiâ potest interesse bello; quamvis salvâ conscientiâ non possit participare, de vitiis bellatorum.

9. Nec misericordia, lenitudo aliæque virtutes, quarum Matth. V. 7. seqq mentio fit, excluduntur à bello; sed in ipso etiam bello exerceri possunt. Imo bellum ideo gertur, ut virtutibus ejusmodi, in pace tantò securiùs operam dare liceat

10 Bellum justum contradistingvitur injusto. Requiritur autem in bello offensivo, si justum censeri debeat, ut inevitabile sit, aut causam habeat gravissimam: Defensivi autem belli causa est sui & suorum protectio.

11. In judicio de justitiâ Belli, cavendum ne causa vera, cum prætextu confundatur. Sæpè enim aliud prætenditur & aliud intenditur.

12. Distingvimus quoque inter Bellum notoriè injustum &

& inter bellum, cujus causa est dubia & occulta. In hoc subditus militare jussus tutò obsequitur Magistratui; in illo magis obediendum est Deo, quàm hominibus.

13. Doctrina Christi Matth. V. 22. 39. 44. non opponitur legi divinæ; quippe quam Christus solvi noluit, v. 17. verùm Pharisaicis legis divinæ corruptelis. Quodcunque igitur ibi Christianis injungitur, unicè cum studio vindictæ privatæ pugnat; non publicæ, utpote lege divinâ institutæ.

14. Denique non statuimus, quod Bellum sit absolutè bonum; sed secundum quid, nempe ut ultimum justitiæ afflictæ remedium. Quapropter non commendatur Christianis; sed tantùm permittitur.

Βεβαίωσις probatur 1. ex Luc. III. 14. quia Johannes Baptista Christianis permittit bellum. Observandum enim (1) quod loquatur cum militibus, salutis suæ studiosis & propterea interrogantibus: *Quid faciemus?* (2) quod eos non repellat, aut baltheum abjicere jubeat, (3) quod iisdem talem vitæ regulam præscribat, quam servare non poterant, nisi in bello manerent, inquiens: *Contenti estote stipendiis vestris.* Stipendia autem militaria non nisi actu in genere vitæ militari constitutis solvuntur. 1. Cor. IX. 7.

2. Ex consensu Christi, qui prudentiam militarem commendat Luc. XIV. 31. 32. & milites, in statione pristinâ manentes gratiâ suâ dignatur. Matth. IIX. 5. sqq. add. Actor X. 1. sq.

Αντίθεσις est (1) Anabaptistarum, Socinianorum, Quackerorum, &c. qui bellum Christianis interdicunt.

2. Pietistarum, de quibus evolvantur Supplement. Synops. art. 29, th. 4. Wigandiana tit. de Magistratu n. 4. p. 122.

Thesis V. *Tametsi juramenta temeraria prohibeamus, nihilominus in re gravi, præsertim si Magistratus postulet, jurare fas est.*

Ἔκθεσις

ΕΚΘΕΣΙΣ. 1. Alia quæſtio eſt, an quodlibet juramentum cenſeatur licitum? & alia, an juramentum debitè comparatum? Illam negamus; hanc affirmamus.

2. Requiſita autem liciti juramenti alia ſunt à parte ſubjecti agentis; alia â parte ſubjecti recipientis; alia à parte objecti.

3. Quà ſubjectum agens, requiritur, ut juramentum præſtetur ab homine intellectus & voluntatis, quantum opus eſt, compote: non autem â puero, furioſo, vel cujus manus vi ad ſcribendum juramentum ducitur &c.

4. Quà ſubjectum recipiens, requiritur, ut juramentum concipiatur per Deum eumque verum; haudquaquam verò per creaturam, aut Deum fictum.

5. Teſtificari per creaturam licet; non jurare. Vid. Deut. IV. 26. XXXII. 1. Eſ. I. 2.

6. Quod ſi autem infidelis per creaturam juret, quam Deum eſſe credit, juramentum tale, etſi formaliter ſit illicitum; obligat tamen finaliter: quia jurans hunc finem habet, Dei vindictam in ſe derivare, ſi pejeret, tametſi in agnitione Dei erret. Unde Auguſtinus ſcribit: *Non audit te lapis loquentem; ſed punit Deus fallentem.*

7. Neque iſtud prætereundum, quod per Deum aut explicitè juretur, cum is conceptis verbis vindex invocatur; aut implicitè, cum quidem Dei non fit mentio, ſed tamen aut beneficiorum Dei, quæ tollenda eſſe à nobis, indicamus; aut malorum, quæ immittenda eſſe nobis, innuimus, v. gr. Geneſ. XLII. 15. ubi ſenſus eſt: *Niſi vos probavero, Deus vitam adimat Pharaoni, â quo felicitas mea pendet;* item 1. Sam. I. 26. ubi ſenſus eſt: *Quàm verè tu vivis, cui vitam longisſimam precor, tam hæc vera ſunt.*

8. Quà objectum, requiritur, ut duntaxat de re gravi adhibeatur, h. e. tali, quæ niſi per juramentum difficulter, aut planè non ſolvi poſſet.

9. Præprimis verò neceſſarium eſt, ut res quæ juratur, non ſolùm cum lingvâ, ſed etiam cum animo loquentis conveniat: quo ipſo omnis æquivocatio excluditur, juxta regulam Iſidori: *Quacunque arte verborum quis juret, Deus qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut ille, CUI JURATUR, intelligit.*

10. Cum juramentum diſtingvatur in aſſertorium & promiſſorium: illius objectum debet eſſe res vera & certò cognita; hujus autem res poſſibilis & licita.

11. Quod attinet ad verba Chriſti Matth. V. 34. repetita à Jacobo V. 12. illa non ſunt abrogativa omnis juramenti; ſed tantùm interpretativa vanæ gloſſæ Phariſaicæ de juramento, nimirum, quod ſolum perjurium prohibeatur, adeoq; de rebus etiam leviſſimis jurare liceat; quod per creaturas ſanctas, e. gr. per aurum templi &c. juramentum concipi poſſet; quod juramentum per creaturas profanas conceptum non obliget, &c.

12. Neque enim ſcopus Chriſti erat, diſputare cum Phariſæis de juramenti actu; verùm de modo, ad quem unicè reſpicitur, in particula (ὅλως) OMNINO, quæ in textu exſtat.

Βεβαίωσις. Probatur (1) ex Hebr. VI. 16. quia juramentum, teſte Spiritu ſancto, facit ad Eccleſiæ & Reipublicæ utilitatem, videlicet ut controverſiæ finiantur & veritas confirmetur.

2. ex praxi Dei, Eſ. XLV. 23. Hebr. VI. 13. 17. & Apoſtolorum. 2. Cor. I. 23. XI. 31.

Ἀντίθεσις eſt 1. Anabaptiſtarum, Socinianorum, Quackerorum, qui juramenta ſimpliciter prohibent.

2. Pietiſtarum, qui ut aditum ſibi ad fraternitatem cum Anabaptiſtis, in hoc etiam articulo, pararent, nec tamen orthodoxos ſimpliciter deſerere viderentur, ſtatuunt ſaltem juramentum de rebus temporalibus & jurantis commodum unicè concernentibus, illicitum eſſe. Verba eorum adducuntur in Supplemento Synopſ. Art. 32. Th. 9.

Theſis

Thesis VI. *Possessio proprij nullatenus cum pietate pugnat, falsumq; adeo est, quod in communione rerum aliqua perfectio Christiani consistat.*

Ἔκθεσις. 1. Possessio proprii opponitur communioni rerum, ita tamen ut impræsentiarum non quæratur, an Christianis liceat habere bona communia? sed an ut necessarium deceat?

2. Institutum primitivæ Ecclesiæ Act. II. 44. IV. 32. fuit particulare, nempe eorum tantùm, qui Hierosolymis habitabant; non universale: fuit arbitrarium; non necessarium, alioqui Apostoli communionem bonorum etiam cæteris Ecclesiis præcepissent, aut ad minimum commendassent: fuit temporarium; non perpetuum, quippe quod aucto fidelium numero, ne Hierosolymis quidem continuari poterat.

3. Proprietas bonorum secularium non tollit communionem bonorum spiritualiũ, de quibus agitur Gal. III. 28. Col. III. 11.

4. Possessio proprii, neminem Deo invisum reddit per se; sed si invisum reddat, id tantùm fit per accidens: nimirum (1) si quis in bona possessa fiduciam collocet, Matth. XIX. 23. coll. Marc. X. 24. (2) si quis in bonis possessis Deum tentet, exemplo Ananiæ & Saphiræ Act. V. 3. 9. quibus licuisset retinere proprium v. 4. (3) si quis propter bona possessa, aut possidenda, dilectionem proximi abjiciat, rixis, furtis, rapinisve indulgeat &c.

5. Christiani & proprietarii dicuntur, respectu rei, quam possident, in vitâ præsenti; & peregrini hospitesque, respectu spei, quám conceperunt, de vitâ futurâ, ad quam ita tendunt, tanquam qui sua pro non suis habeant. Hebr. XI. 13. coll. 1. Cor. VII. 30 31.

6. Consilium exploratorium, datum alicui in singulari Math. XIX. 21. non est lex obligatoria, data omnibus in universali, imo nec consilium svasorium cuiquam alii datum.

 7. Nec

7. Nec æqualitas Christianorum, tanquam fratrum, Matth. XXIII 8. petenda est ex proportione facultatum; sed ex identitate vocationis & spei ad quam vocati sunt, â Spiritu Sancto. Eph. IV. 4. 5. 6.

8. Omnia sunt Christianorum 1. Cor. III. 21. 22. non tamen quoad possessionem; sed quoad libertatem usus, civilibus legibus conformem.

Βεβαίωσις Probatur 1 ex præcepto Dei, qui jubet (1) omnes edere (ἑαυτῶν ἄρτον) *proprium panem* 2. Thess. III. 12. (2) curam gerere (ἰδίȣ οἴκȣ *propriæ domus* 1 Tim. III. 4. (3) eleemosynas reponere (παρ' ἑαυτῷ) *apud se* 1 Cor. XVI 2.

2. Ab exemplis Sanctorum in N. T. ut Josephi Arimathiensis Matth XXVII. 57. Camerarii Reginæ Candaces Act. IIX. 27. Lydiæ Act. XVI. 14. Zachæi Luc. XIX. 8

Αντίθεσις. est 1. Monachorum apud Pontificios.

2. Anabaptistarum quorundam, qui primùm in Moraviâ, deinde in Hungariâ & Transsylvaniâ, sub *Fratrum* nomine, habitaverunt, de quibus legi meretur Stephani Gerlachii Itinerarium, seu ut titulus habet, Türckisches Tage-Buch p. 535.

3. Pietistarum, qui sub respectu ad pauperes, necessariam esse aliquam bonorum communionem tradunt & facultates divitum de jure divino communes pauperibus esse pronuntiant, in Supplem. Synops. Art. 30 th. 4. Quid Hyperpietistæ de Communione bonorum tradant, exponitur in Wigandianis tit. de Statu œconomico p. 124.

Thesis VII. *Contractus civiles, super rebus mundanis, juxta leges cujuscunque Reip. inire, non adversatur officio Christiani.*

Ἔκθεσις. 1. De contractibus in actu signato agit ICtus; in actu exercito, cum applicatione ad Christianismum, Theologus.

2. Spectantur autem vel per se, hoc est ratione usus; vel per

---, h. e. ratione abusus, Usus habet laudem; crimen abusus habet.

3. Cæterùm abusus ille multiplex est, nempe juxta primum Decalogi præceptum, si propter Contractum negligantur nuptiæ cœlestes. Matth. XXII. 5. Iuxta secundum præceptum, si contractus perjuriis fœdentur, quod qui facit & tamen Christianus esse cupit, ille simul Deo & Mammonæ servire nititur Matth. VI. 24. Iuxta tertium præceptum, si contractui subjiciantur res divinæ Act. IIX 18. 19. 20. aut si per contractus ex domo Dei fiat spelunca latronum Matth. XXI. 13. Iuxta præceptum sextum, si quis ex contractibus superbiat aut luxuriet, quod in Tyriis, Sidoniis & Ægyptiis notant Prophetæ Es. XXXIII 5 8. Iuxta præceptum septimum, si contractibus defraudetur proximus 1. Thess. IV. 6. Iuxta præceptum octavum, si contractibus interveniant fraudes Sir. XXVII. 2. 3. &c.

4 Ex dictis patet, contractus absolutè & in se moraliter neque bonos, neque malos judicari; sed respectivè & in applicatione, prouti regulis justitiæ congruunt, aut ab iisdem recedunt.

5. Non obstat, quod in contractibus sequamur mores gentium, quos alioqui in Scripturâ prohibemur sequi Rom. XII. 2. Neque enim Apostolus ibi agit de moribus gentium decentibus; sed indecentibus. Conf. Deut. XIIX. 9.

6. Sic nec cura rerum mundanarum Christiano prohibetur simpliciter; sed secundum quid, videlicet si conjuncta sit cum fiduciâ in divitiis, aut si mundana cœlestibus præferantur, vel etiam parificentur. Vid. Marc. X. 24. 1. Ioh. I. 15.

7. Christus ejecit ementes & vendentes è templo Matth. XXI 12. sed non è foro.

Βεβαίωσις. Probatur 1. ex 1. Thes. IV. 6. ubi Paulus (1) agit cum Thessalonicensibus, mercaturam per totam Græciam

ciam exercentibus, (2) iisdem non prohibet ... *negotia*, seu *contractus*. Sic enim in Glossario πραγματεύομαι *negotior* & πραγματεία *negotiatio*, (3) sed tantùm (τὸ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι) *ne terminos transgrediantur & alium circumveniant in negotio*. Ex quo ita concludimus: Qui cum de contractibus ad mercatores scriberet, non ipsos contractus, sed duntaxat abusum contractuum prohibebat, ille hoc ipso legitimum usum, tanquam officio Christiani non adversantem, concessit. Atqui Paulus. E. Similia occurrunt Iacobi IV. 13. 15.

2. Ex aliis Scripturæ locis Genes. XXIII. 16. seqq. XLVII. 14. seqq. Matth. XIII 45.

Ἀντίθεσις est Anabaptistarum quorundam, superiori seculo, qui contractus omnes, tanquam JCtorum commenta, rejiciebant.

Thesis IIX. ***Polygamia simultanea, morali eâque positivâ & universali lege, inde à mundi principio prohibetur; contra quam nulli agere licet, nisi dispensatione à supremo Legislatore acceptâ: Hanc cùm in V. T. apud Israëlitas, locum habuisset, Christus in N. T. simpliciter sustulit.***

Ἔκθεσις 1. Polygamia simultanea opponitur succesfivæ: illa sic dicitur, cum uxori primæ, adhuc superstiti, alia pluresve superinducuntur; hæc cum mortuâ uxore priori alia ducitur: id quod fieri nullâ lege vetatur, quin imo expresse approbatur Rom. VII. 2. 3. 1. Cor. VII. 39. 1. Tim. V. 14.

2. Conjugium est contractus: non tamen merè secularis; sed simul spiritualis. Propterea appellatur *fœdus Dei* Prov. II. 17. Mal. II. 14.

3. De eo igitur non ex praxi hominum erroribus obnoxiorum; verùm ex institutione Dei, quam Christus vigore officii Prophetici, in N. T. clarissimè exposuit, statuendum.

4. Prohibetur nempe Polygamia simultanea per legem Dei,

Dei, eamque moralem: non tamen naturalem, ſed poſitivam. Contra naturalem legem diſpenſari nequit; lex verò poſitiva diſpenſationem admittit.

5. Diſpenſationem igitur à Deo, qui legem hujusmodi tulit, proficiſci oportet; cum in hominis poteſtate non ſit id concedere, quod Deus prohibuit. Proinde peccabatur, cum Comes Gleichenſis Ao. MCCXVII. ſub conditione matrimonii, à fœminâ Saracenicâ ex captivitate liberatus, hanc indulgente Papâ, cum uxore Chriſtianâ, quam anteà habuerat, conjugem retineret. Sepultus ille jacet Erfurti in Monaſterio D. Petri, medius inter duas uxores, imaginibus defunctorum lapidi inciſis, quas Ao. 1663. ipſimet ſpectavimus. Conf. Dreſſer Millen. 6. p. 545. ſq.

6. Polygamia Patriarchis ac reliquis Iſraelitis, ante adventum Meſſiæ, præviâ diſpenſatione, permittebatur. Hanc enim præſto fuiſſe, tametſi in Scripturâ explicitè non legamus; implicitè tamen indicari, ex eo colligimus, quia alioqui Polygami non potuiſſent ſimul in ſtatu mortalis peccati & juſtificantis fidei verſari. Cæterùm cauſa diſpenſationis partim multiplicatio generis humani Gen. XVI. 2. partim durities cordis Matth. XIX. 8. fuiſſe, innuitur.

7. Diſpenſatio interveniens faciebat, ne factum in ſe damnabile, actu coram divino judicio damnaretur.

8. Contra reliquas objectiones, notentur ſequentes aphoriſmi (α) Moſes potuit diſponere de conſequente rei vitioſæ; quamvis non approbaret rem ipſam vitioſam Deut. XXI. 15. Quemadmodum legislatores etiamnum diſponunt de delictis per ebrietatem commiſſis, de filiis ex adulterio, vel inceſtu natis &c.

9. (β) Dare aliquid in ſinum 2. Sam. XII. 8. non ſolùm de Matrimonio uſurpatur; ſed & de aliâ ſubjectione, conceſſione, vel attributione, ut Luc. VI. 38. Quandoque etiam vox נָתַן indicat nudam tolerantiam & conniventiam, ut Gen. XX. 6. Num. XXI. 23. Judic. XI. 19.

10.

10. (γ) Conjuges una caro fiunt ordinatè h. e. ... Dei institutionem; Scortatores inordinatè h. e. contra Dei institutionem 1. Cor. VI. 16.

11. (δ) Multa in Scripturis habentur, quæ inibi non leguntur: Hinc præmissa negatur in illo: Israëlitæ non leguntur reprehensi propter Polygamiam: Ergo nec reprehensi, aut etiam reprehensibiles fuerunt. Quin imo suppetit etiam Reprehensio, cùm generalis, in præcepto VI. Prohibito enim adulterio, simul prohibetur Polygamia; tum specialis Mal. II. 16. qui locus, ex mente D. Varenii, consensu R. Abenesræ suffulti; ad literam vertendus est: *Ego odio habeo dimittere* (seu ipsam dimissionem) &c. **Ich hasse das Scheiden / spricht der HErr / der GOtt Israel / als daß auch derselbe** (qui se separat) **sein Kleid mit Frevel bedecket.** Vid. Varenius. in Malach. p. 172. 173, itemq; B. Dn. Joh. Joach. Reussii *Periculum Hermeneuticum* super l. c.

12. (ε) Relatio conjugis ad conjugem arctior est, quàm Patris ad filios, aut Domini ad servos: illa enim unitati carnis superstruitur; quod de hâc dici nequit.

13. (ζ) Maritus *uxoris caput* est Eph. V. 23 cui uxor obsequi tenetur *ibid.* 22. non tamen in omnibus, sed tantùm in iis, quæ per legem Dei moraliter fieri queunt.

14. (η) Multiplicare genus humanum, propter Dei præceptum Gen. I. 18. IX. 1. bonum & laudabile est: videlicet si juxta Dei ordinationem fiat; non si contra eam. Bonitas enim actionis non ex solo fine; sed simul ex fine & mediis æstimatur.

15. (ϑ) Lutherus de permissione Polygamiæ disserens, non absolutè intelligendus est; sed conditionatè, sub hypothesi, si Christiani juxta leges Mosaicas forenses vivere deberent.

16. (ι) Christus Polygamiam in N. T. sustulit: non tamen ut novus legislator (quod Sociniani volunt), sed ut veteris legis restaurator.

Βεβαίωσις.

Βεβαίωσις. Probamus I. *quod Polygamia simultanea, lege Dei morali adeoq; omnes homines obligante, prohibeatur*, 1. ex Matth XIX. 4. 5. 6. ubi Christus, adversus divortia, per quæ maritus, vivente, à quâ illicitè separabatur, uxore, aliam ducens, in polygamiam incidit, agens (1) ad primam conjugii institutionem provocat v. 4. *Nonne legistis, quod faciens ab initio* (hominem), *masculum & fœminam fecit eos*? Enimverò si Polygamiam probasset, masculum & fœminam facere potuisset, & procul dubio, præscius futurorum, fecisset. (2) v. 5. *Et dixit* (non immediatè, sed per Adamum ex divinâ inspiratione loquentem): *propter hoc, dimittet homo Patrem & Matrem* (ut licet arcta inter parentes & liberos conjunctio intercedat, conjunctio tamen inter conjuges intelligeretur esse arctior) & *adhærebit* (Græcè προσκολληθήσεται à κόλλα gluten, conglutinabitur: Hebraicè דָּבַק à quo דֶּבֶק ferrumen, conferruminabitur Gen II. 24.) *uxori suæ*, (4) & *erunt duo* (quot ante conjugium fuerant) in *carnem unam* (quales consummato matrimonio fiunt.) (5) v. 6. *Itaq; non ampliùs sunt duo, sed caro una* (quibus verbis unitas opponitur duobus, non pluribus). Hinc argumentamur (1) Qui cum pro uno masculo plures fœminas creare potuisset, nihilominus pro uno masculo non nisi unam fœminam creavit, ejus factum hominibus loco legis est, contra polygamiam. Atqui Deus. Ergo. Major stabilitur autoritate Christi Marc. X. 6. qui cum polygamiam, ex divortiis orituram, præcavere vellet, nos *ad initium creationis* remittit, indicans, istud ipsum necessariò ab hominibus continuandum esse, quod Deus facto suo incepit. (2) Quicunq; ex voluntate Dei matrimonium instituentis, uxori quam ducit conglutinari, imò conferruminari perhibetur, illi prohibetur polygamia; quippè conglutinationi & conferruminationi illi adversa. Atqui maritus. Ergo. (3) Qui cum uxore caro una fieri jubetur, illi per jussum hoc, tanquam legem, non licet

RESPON. JOHAN. JACOB. Stroby Gedan.

plures ducere uxores. Nam si jam una caro cum primâ uxore est, quomodò simul esset una caro cum secundâ, tertiâ, quartâ &c? Unitas sanè formaliter in indivisione consistit, ita ut quod divisum inter plures est, unum perperam dicatur. Quo spectant illa Lactantii L. 6 Instit. c. 23. *Non sicut juris publici ratio est, sola mulier adultera est, quae habet alium; maritus autem, etiamsi plures habeat, â crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.* Atqui Maritus. Ergo. (4) Quicunq; in N. T. expressè indicat, Deum in primâ conjugii institutione voluisse, ut duo sint in carne unâ, imò ut sint caro una, ille hoc ipso simul indicat, Deum lege prohibuisse Polygamiam, per quam plures quam duo sunt in carne unâ, aut caro una. Atqui Christus: Ergò Ad Majoris confirmationem facit, quod vocula DUO in V. T. omissa, in N. T. aliquoties de conjugibus repetatur, e. gr. Marc. X. 8. 1. Cor VI. 16. Eph. V. 31. nec pro duobus unquam, vel ullibi, plures substituantur.

2. ex Matth. XIX. 9. unde hunc in modum concludimus: Si quisquis *divortio* injustè *facto aliam ducit*, judice Christo, *mœchatur*: utiquè non minus certum est, etiam eum, qui retentâ priori uxore, aliam superinducit, mœchari. Nam qui divortio injustè facto aliam ducit, adulterii propterea reus fit; quia ex judicio Dei adhuc uxoris dimissæ maritus est: Longè itaque evidentiùs adulterii reatum contrahit, qui, cùm non solùm ex judicio Dei, sed ipsorum quoque hominum, imò & sui ipsius adhuc primæ uxoris maritus maneat, nihilo tamen secius aliam ducit. Quemadmodum igitur omne adulterium lege morali prohibetur; ita pariter Polygamia, ut species adulterii, lege morali prohibetur.

3. ex 1. Cor. VII. 2.—4. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque* (τὸν ἴδιον ἄνδρα) *proprium*

proprium virum habeat. Uxori vir debitam benevolentiam reddat; similiter autem & uxor viro. Mulier (τῦ ἰδίυ σώματος) *proprii corporis non habet potestatem; sed vir. Similiter autem vir* (τῦ ἰδίυ σώματος) *proprii corporis non habet potestatem, sed mulier. Ne fraudetis invicem &c.* Hæc verba sequenti argumento materiam suggerunt: Per quod (1) vir qui uxori debet esse *proprius*, fit pluribus communis v. 2. (2) mutuæ *benevolentiæ redditio* impeditur, & à marito cum injuriâ in uxorem redundante, quod huic soli debetur, aliis impertitur v. 3. (3) *mulier potestate, quam æquè in corpus viri ac vir in corpus mulieris habet*, privatur v. 4. (4) *defraudatio* reciproci inter conjuges officii invehitur &c. illud lege morali prohibetur: Atqui per Polygamiam. Ergo.

II. *Quod in V. T. Deus circa Polygamiam Israëlitarum dispensaverit*; ex ratione in Ἔκθ. n. 6. Poterat Deus circa Polygamiam eorum dispensare: Quia lex contra Polygamiam lata, erat positiva. Quod etiam actu dispensaverit in loco allegato evictum est. Quis enim de statu gratiæ, in quo Patriarchæ vixerint & de beatâ eorum morte dubitabit?

III. *Quod in N. T. dispensatio illa sublata sit:* ex manifestis Christi verbis, quæ in βεβαιώσει explicabantur n. 1.

Αντίθεσιν foverunt 1. Valentinus Imperator, qui teste Nicephoro L. 11. Hist. Eccles. c. 33. legem promulgavit, ut *cuicunque liberet, duas legitimas uxores habere liceret:* quemadmodum & ipse Severam ac Justinam Imperatrices, simul uxores sibi junxit.

2. Bernhardus Ochinus Italus, qui Polygamiam Christianis, non minùs quàm Judæis, concedendam esse defendere conatus est, propterea ex Helvetiâ proscriptus.

3. Anaptistæ Monasterienses, qui Polygamiam introduxerunt per Regem, quem ex Sartore sibi præfecerant, Johannem Leidensem, cognomine Bucoldum.

 4. Caje-

4. Cajetanus, qui teste Catharino, in libello, cui titulum fecit *CCIIX. errores Cajetani*, statuisse fertur, *jure divino uxorum pluralitatem* esse licitam.

5. Rex Tunchinensis à metropoli regni, Sinensibus vicini, sic dictus, quem Jesuita Alexander de Rhodes, patriâ Avenionensis, in *Relatione de successu prædicationis Iesuitarum*, Ao. 1650. Italicè editâ l. 2. c. 22, 26. 29. Christianismi prædicationem, per edictum publicum prohibuisse refert; quod gentiles quosdam, ad fidem conversos, ad dimittendas uxores & concubinas, quas præter unam habuerant, induxissent. Sic enim eos, priusquam in exilium pellebantur, allocutus esse scribitur: *Vultis, ut mei subditi tantùm unam habeant mulierem: Ego autem volo, ut plures habeant, ut possint producere filios, qui mihi sint fideles subditi &c.*

6. Populi à Christianismo abhorrentes in regnis Turcico, Persico, Mogulico, Japonico, Sinensi, Javanensi, Tartariâq; Europæâ æquè ac Asiaticâ.

7. Impius homuncio, cujus nomini, quod ipse reticuit, nobis verò innotuit, ex reverentiâ in sanctam celebremque, ex quâ ortum duxit familiam, parcimus, cujus libri **Marck der Länder** & qui Latinè prodiit, *Polygamia victrix*, ad reducendam Polygamiam in lucem emissi sunt: propter quos Auctor ex Daniâ clanculum se subducebat; ex Sveciâ autem, post devoratas carceris molestias, cum interitum ejus fœminæ lapidibus armatæ quærerent, vix incolumis, per navim, cui imponebatur, in loca transmarina deportari potuit. Observandum verò, quod qui Polygamiam aliis persvadere conabatur, cum se uni maritæ imparem esse haud ignoraret, in cælibatu mortuus esse perhibeatur.

8. Hugo Grotius, in Opere (si quæ â Scripturâ S. & orthodoxâ Theologiâ deviant excipias) utilissimo L. 2. c. 5. n. 9. scribens: *Scio à plerisq; existimari, in utroq; hoc capite* (Matth. XIX.

XIX, & 1. Cor. VII.) *non novam à Christo conditam legem; sed restitutam quam Deus pater rerum primordio condiderat: in quam sententiam adduxisse eos videntur ipsa Christi verba, ubi ad primordium illud nos revocat. Sed responderi potest, ex primâ illâ conditione, quâ uni mari fœminam non nisi unam Deus attribuit, satis apparere, quid optimum sit Deo gratissimumq́; & hinc sequi, semper id fuisse egregium ac laudabile: non tamen ut aliter facere nefas esset: quia ubi lex non est, ibi non est legis transgressio: at lex de eâ re nulla illis temporibus extabat.* Sic itaq; Grotius Polygamiam lege nullâ in V.T. divinitus prohiberi censet.

Thesis IX. *Haudquaquam necesse est, imo nec per omnia utile, ut abrogatis Romanorum aliarumve gentium legibus, leges forenses Judæorum, in Rempub. Christianorum, introducantur.*

Ἔκθεσις. 1. Non tam videndum est, quis tulerit leges forenses Iudæorum; quàm quo fine, quâve intentione latæ sint.

2. Optimè quidem dici merentur: non tamen absolutè & per se; verùm respectvè & alicui, nimirum pro certo populo, tempore & loco.

3. Nam Deus non tulit illas ut universales; sed ut particulares: non ut perpetuæ; sed ut temporariæ essent.

4 Quodsi easdem ratione fundamenti spectemus, dividuntur in merè civiles & simul morales. Illarum exempla sunt sanctiones de emancipatione servorum; de conjugiis intra patriam tribum coarctandis. &c. Harum verò de puniendis homicidis, adulteris, blasphemis, parentum contemtoribus &c. Illæ simpliciter cum Republ. Iudæorũ cessarunt; hæ quoad morale quod continent, adhuc aut ex toto, aut ex parte servantur,

5. Cum verò leges merè civiles Judæorum cessasse statuimus, non adimitur magistratui facultas eas introducendi, quoadusq; civitati conveniunt; sed tantùm negatur necessitas,

magiſtratum obſtringens, ad talem introductionem. Neque enim quæritur, quid liceat; ſed quid ut neceſſarium deceat.

6. Etſi tota Judæorum Reſpublica ad Deum converſa, nec per Romanos everſa fuiſſet, nihilominus leges quædam forenſes, reliquis manentibus, concidiſſent, v. gr. de Divortio, Polygamiâ. &c. quippe circa quas Chriſtus diſpenſationem, ad V. T. pertinentem, in N. T. ſuſtulit. Math. XIX. 4. 9.

7. Quamvis nonnullæ leges forenſes, quæ Iudæorum ſunt, in Republ. Chriſtianâ locum inveniant, nullæ tamen Chriſtianos obligant *quatenus* Judæorum ſunt.

8. Vox עֹלָם *Seculum* in Scripturâ non ſemper accipitur ſimpliciter pro æternitate; ſed quandoque tantùm ſecundum quid, pro tempore longiore. e. gr. Deut. XV. 17. *Sit tibi ſervus in ſeculum* i. e. uſque ad annum Jubilæum: item cum Deus minatur, ſe ex Hieroſolymis facturum eſſe ſolitudinem *in ſeculum* Jerm. XXV. 9. quod mox *ad LXX. annos* reſtringitur v. 11. Atque ita vocabulum intelligendum eſt, quando de Leviticis ceremoniis, aut politiâ Judæorum, uſurpatur.

Βεβαίωσις Probatur ex Rom. XIII. 1. ubi (1) Paulus ſcribit, ad Romanos Judaicis legibus non utentes, (2) eos æquè ac alias gentes Magiſtratui ſuo obſequi jubet. Hoc enim indicant initialia verba: (*πᾶσα ψυχή*) *Omnis anima*, (3) qui magiſtratui ſuo obſequi jubentur, eo ipſo legibus magiſtratûs obſequi jubentur: Nam magiſtratus per leges loquitur.

Αντίθεσις erat Carolſtadii, Anabaptiſtarum Monaſterienſium, quorundam ex Reformatis ut Piſcatoris in Appendice Exodi, Caſtellionis, &c.

III. VINDICATIO.

Accuſamur,

I. Quod nobis ipſis contradicamus, quando in hoc Articulo docemus, obſervandas eſſe humanas traditiones, quas tamen anteà damnaverimus. Sic Joh. à Daventriâ. Reſp. contradictio-

tradictionem tantùm esse apparentem. Observandæ enim sunt traditiones in Curiâ seu Republ. damnandæ verò, cum pro doctrinæ Christianæ principio venditantur, in templo seu coram Ecclesiâ: Evangelium enim non tollit Politiam.

II. Quod seditiosis scriptis & concionibus, Carolstadio, Anabaptistis, & seditiosis Rusticis præluserimus, eosdemque discipulos habuerimus. Sic Andreas Fabricius, Ioh. Hoffmeisterus, Alphonsus Virvesius, Thomas Henrici. &c. Resp. Dici hæc; non probari. Contrarium ex ipso articulo patet, quem constantissimè nostri observarunt, atque ideo voce pariter & calamo, contra allegatos publicæ pacis turbatores, semper egerunt.

III. Quod cum in Apologiâ distinguamus inter regimen seculare & spirituale, nihilominus utrumque confundamus, adeoque enormiter (grob) ab Augustanâ Confessione recesserimus. Assumtum probatur, quia quæ solius *spiritualis Magistratus*, i. e. Episcoporum & Papæ sunt, ad secularem magistratum, imo etiam ad fœminas referamus, v. gr. *vocare prædicantes, illisq; potestatem prædicandi & Sacramenta administrandi conferre* &c. Sic Antiaugustana Confessio Episcopi â Collonitsch. Resp. Regimen spirituale, quod penes Episcopos & Papam, ceu principes, & supremum Monarcham, sit, Scriptura ignorat, imo & impugnat Math. XX. 25. seqq. Apologia autem distinguit inter regnum Christi, quod intra nos est, & regnum civile quod extra nos est. Ubi per Regnum Christi perperam intelligitur Monarchia papalis & episcopalis. Salvo certè Christi regno potest Magistratui relinqui directio Ecclesiæ externa: quousq; autem illa se extendat, pluribus ex mente Spiritûs S. eruditè exposuit D. Alberti, in responsione ad Antiaugustanam Confessionem P. 2. c. 3. Qu. 14. p. 182. seqq. Nempe falsum est, quod Magistratui exclusivè tribuamus ipsum jus vocandi

candi Prædicantes: quippe quod totius Ecclesiæ est: quamvis exercitium illius juris, magistratui relinqui possit: falsum etiam quod Magistratus apud nos Ministris conferat potestatem prædicandi, & Sacramenta administrandi; quippe quam in Ordinatione à Presbyterio accipiunt &c.

IV, Quod per calumniam Pontificiis adscribamus, eos perfectionem collocare in desertione rerum civilium. Sic Bellarminus in Judic de libro Concordiæ & Thomas Henrici. Resp. negari nunc â Pontificiis, quod olim ab iisdem agnitum & concessum est. Cæterùm nec recentiores vitæ monachalis encomiastæ, ab ejusmodi assertis abstinent, de quo vid. Hülsemannus in Disp. 14. Anti-Hag. p. 528.

ARTICULUS XVII.

DE

REDITU CHRISTI AD JUDICIUM.

I. EXPLICATIO.

Variata Confessio nihil quoad rem immutavit, sed Antithesin duntaxat uberiùs illustravit. Ita enim ibi legimus: *Damnamus Anabaptistas, qui nunc Judaicas opiniones spargunt, fingunt ante resurrectionem, pios regna mundi occupaturos esse, ubique deletis aut oppressis impiis. Scimus enim, quod pii debeant obedire præsentibus magistratibus, non eripere eis imperia, non dissipare politias per seditionem, quia Paulus præcipit: Omnis anima magistratui suo subdita sit. Scimus item, quod Ecclesia in hâc vitâ subjecta sit cruci, & primùm post hanc vitam glorificabitur, sicut Paulus inquit: Oportet nos similes fieri imagini Filii Dei.*

Dei. Quare Anabaptistarum amentiam, & diabolicum furorem prorsus damnamus & execramur. Damnamus & Origenistas, qui finxerunt, diabolis & damnatis finem pœnarum futurum esse.

In Confessione Invariatâ p. 20. (14) agitur de Novissimis, prouti etiam titulus Articuli â Carpzovio, Calovio &c. concipitur. De illis autem tractatur

- I. Θεθικῶς, mentione factâ
  - 1. Iudicii extremi. *Item docent, quod Christus apparebit ad judicandum.*
  - 2. Consummationis seculi. *In consummatione mundi.*
  - 3. Resurrectionis carnis. *Et mortuos omnes resuscitabit.*
  - 4. Vitæ æternæ. *Piis & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia.*
  - 5. Inferni. *Impios autem homines ac diabolos, condemnabit, ut sine fine crucientur.*
- II. Ἀντιθετικῶς, contra
  - 1. Anabaptistas. *Damnant Anabaptistas — futurum esse.*
  - 2. Chiliastas. *Damnant & alios· — oppressis impiis.*

IN APOLOGIA p. 345. (217) ferè eadem, quæ in Thesi ipsius articuli extant, repetuntur, cum additamento illo, quod Adversarii hanc doctrinam sine exceptione receperint. *Articulum XVII. recipiunt — sine fine crucientur,*

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *In Consummatione seculi, omnes creaturæ, præter Angelos & Homines, essentialiter interibunt.*

Ἔκθεσις. 1. Vox seculi aut notat durationem, sive temporis, Col. I. 26. Mal. III. 4. sive æternitatis Rom. I. 25. Ps. XC. 2. aut conversationem hominum in mundo, vel tempore, Rom. XII. 2. Gal. I. 4. aut ipsum mundum, seu cœli terræque systema Hebr. I. 2. quæ ultima acceptio hujus loci est.

Zz 2. Forma

2. Forma consummationis seculi non consistet in nudâ qualitatum immutatione; sed in totali substantiæ abolitione.

3. Instrumentum, per quod interitus creaturis accersetur, erit ignis: qui tamen non aget secundum naturam suam; sed supra eandem. Deus enim rem naturalem, ad producendos effectus supernaturales, evehere potest, ut videre est in miraculis.

4 Ab interitu excipiuntur Angeli & Homines, qui ipsi non abolebuntur; quamvis circa eos aliquid abolendum sit. Nam Angeli boni desinent custodire homines & Angeli mali desinent seducere homines. Homines pii desinent vexari à Diabolo, mundo & propriâ carne; impii autem desinent omninò lætari &c. Cessabunt Oeconomiæ, Politiæ & particulares Ecclesiæ.

5 Cæterùm in hac Thesi duntaxat propugnamus sententiæ veritatem; nequaquam verò credendi necessitatem. Articulus fidei est; sed non fundamentalis.

6 Qui igitur, cum Patribus quibusdam, opinionem diversam amplexus fuerit & mundum solummodò renovatum iri censuerit, falsitatis quidem reus erit; non tamen hæreseos.

7. Quod ad dicta Scripturæ attinet, quibus Antagonistæ nostri abutuntur, eorum dissolutioni sequentes aphorismi inservient (1) Ps. CIV. 5. CXLIIX 6. Eccl. I. 4. III. 14. vox עולם *Seculi* non semper notat strictè sic dictam æternitatem; sed quandoq; longi temporis diuturnitatem, uti Exod. XXI. 6. 1. Sam. XXVII. 12. (2) Esa. XXX. 26. literaliter agitur de felicitate Israëlitarum post devictos Assyrios, quæ per splendorem solis & lunæ describitur; sicuti infelicitas adumbratur mentione factâ tenebrarum Esa. XIII. 10. Jerm. IV. 23. (3) Act. III. 21. quando dies judicii vocatur *dies restitutionis omnium*: hæc verba non intelligenda sunt absolutè; sed restrictè, videlicet de omnibus, quorum restitutionem promisit Deus. Sic restituentur corpora è pulvere, homines

primævæ

primævæ felicitati. &c. (4) 1. Cor. VII. 31. figura mundi, quæ præterire memoratur, Naturæ mundi non opponenda est; sed subordinanda (5) Rom. IIX. 19. seqq. Apostolus loquitur de creaturis ratione carentibus, *quæ vanitati subjectæ sunt*, propter abusum hominum: Tolerant autem hanc subjectionem *non volentes* h. e. præter inclinationem naturalem atque interim (per prosopopœiam) *sperant liberari* (εἰς ἐλευθερίαν, pro ἐν ἐλευθερίᾳ) *in libertate filiorum Dei* (particulæ enim εἰ & ἐν, in simili constructione, permutantur Math. II. 23. Marc. I. 9.) Sensus igitur est: Filiis Dei liberatis, per gloriosam salvationem; etiam creaturas irrationales liberatum iri, per sui destructionem: quippe quarum naturali inclinationi convenientius est non esse, quàm contra voluntatem conditoris, ad peccatum homini inservire. Sic communiter locus hic exponi solet. Ex recentioribus Commentatoribus Lic. Tilemanno Rivino in Vesper-Stunden Dom 4. p. Trin. p. 85. seqq. *Creaturæ vanitati subjectæ*, sunt gentiles, ex Marc. XVI. 15. coll. Math. XXIIX. 19. Hos enim Deus in pœnam vanitati subjecit Rom. I. 24. sed tamen in spem liberationis Hos. I. 1. quâ appropinquante, cum vanitatem agnoscerent & detestarentur, cœperunt id, quod anteà volebant, nolle & anxiè anhelare ad communionem salutis cum filiis Dei.

8. Sic etiam quæ Lutherus dixit κατὰ συγκατάβασιν, infirmiorum captui se, accommodando; malè urgentur, quasi ab eo dicta sint κατὰ θέσιν, ex mente & sententiâ propriâ. Qualia sunt, quæ in colloquiis mensalibus, & in Epistolâ ad Filium, de animalibus alterius vitæ, adferuntur.

Βεβαίωσις. Probamus 1. ex Ps. CII. 26. 27. 28. Quia de cœlo & terrâ perhibetur (1) *quod pereant* v. 27. i. e. omnino esse desinant, ut Matth. XXIV. 35. (2) *quod veterascant* v. 27. (3) quod *ut vestimentum mutentur* v. 27. At vestis

 tandem

tandem, ita ut vestis non amplius dici queat, corrumpitur (4) quod sic desinant, quemadmodum cœperunt esse. v. *26. 27.* Jam verò cœperunt esse ex nihilo: Unde sequitur, quod & desinant in nihilum (5) quod ratione permanentiæ opponantur Deo, *cujus anni non consummentur*, v. 27. 28. Ex quo concludimus, annos creaturarum istarum consumtum iri: oppositorum enim opposita sunt prædicata.

II. ex 2. Pet. III. 10. Quia prædicitur, quod debeant (1) *cæli transire cum strepitu & fragore*. Conf. Apoc. XXI. 1. (2) *elementa*, seu prima rerum principia, *æstuantia solvi*. *Solvere* (λύσειν) verò hìc est destruere, ut Joh. II. 19. 1. Joh. III. 8. (3) *terra & quæcunque in eâ sunt comburi*. Ex adverso autem ab interitu isto excipiuntur (1) angeli, utpote cum quibus Dominus in *die suo* veniet. Vid. 2. Thess. I. 7. (2) homines, utpote quorum in gratiam hæc scribuntur, ut se præparent: vid. Luc. XXI. 36.

Ἀντίθεσις. est 1. Scholasticorum plerorumque inter Pontificios, qui consummationem seculi, solâ qualitatum mutatione absolum iri, tradunt.

2. ex Reformatis eorum, qui destructis reliquis creaturis, cœlum Empyreum conservatum iri opinantur. Sic Timplerus in Phys. Keckermannus in cursu Philos. Disp. 20. qu. 11. & Maresius contra Tirinum. &c.

3. Weigelii & Asseclarum, qui similiter ut Scholastici, non nisi accidentalem creaturarum mutationem admittunt.

4. Peterseniæ ex Pietistis, cujus nugæ repetuntur in Supplem. Synops. art. 34. th. 7.

Thesis II. *Falluntur, qui Christum visibiliter reversurum, & ante judicium universale, cum sanctis, partim adhuc viventibus, partim è morte resuscitatis, per mille annos, in terris regnaturum esse opinantur.*

Ἔκθεσις.

Ἔκθεσις. 1. Adversarii distingvunt inter Resurrectionem universalem & particularem. Illam & nos agnoscimus; hanc verò, quatenus ut futura concipitur, impugnamus.

2. Regnum Christi in terris, ante universale judicium, credimus; quippe in regno potentiæ & gratiæ viventes: At contra regnum Christi novum, per visibilem ejus reditum, aut majestaticam potentiæ manifestationem, posthac in terrâ erigendum, & per mille annos continuandum, disputamus.

3. In alterâ petitione Orationis Dominicæ, intelligitur regnum præsentis gratiæ & futuræ gloriæ; non autem regnum temporariæ cujusdam felicitatis.

4. Vita æterna sæpè describitur verbis vitæ præsentis: ubi Metaphoram subesse certum est, ut Marc. XIV. 25. Luc. XXII. 29.

5. Pro solvendis aliis adversariorum objectionibus, observentur sequentes regulæ Hermeneuticæ, â solidissimo Theologo, D. Augusto Pfeiffero, cum quo inde ab Academicis annis, ad beatam usque illius ἀνάλυσιν, intemerata mihi amicitia, nec dispar erga veritatis hostes odium intercessit, in Antichiliasmo ipsius congestæ (1) Sensus Scripturæ non est inferendus, sed inde efferendus. (2) Oratio tropica non est ad literam accipienda. (3) Quæ sub conditione dicuntur, non sunt absolutè intelligenda. (4) Distingvenda sunt tempora & concordabit Scriptura. (5) Typus non est confundendus cum Antitypo. (6) Quæ ex pravâ hypothesi aliorum relativè adducuntur, non sunt capienda, ceu normativè vera. Exempla applicationis, quoad hasce regulas in eodem libro suggeruntur, examinatis Chiliastarum objectionibus. Ostenditur autem, quod Fanatici ad Scripturam provocantes, impingant in Regulam I. allegando Dan. II. 31. seq. præsertim 44 VII. 18. XII. 2. Matth. V. 5. Marc. X 29. Act I. 6. 1. Cor. XV. 23. 24. Eph. V. 5. 1. Thess. IV. 16. 17. Apoc. V. 10.

V. 10. XIV. 1. XX. 1. 2: In Regulam II. allegando Pſ. XCIII. 1. ſq. CX. 6. Eſ. II. 2. LXV. 70. Matth. XXVI. 29. Luc. I. 32. 33. XXII. 29. 30. In Reg. IV. allegando Num. XX. 17. Pſ. II. 8. 9. LXXII. 7. ſq. XXCVI. 9. Jer. XXV. 32. Joh. V. 25. X. 16. Hebr. IV. 8. 9. In Reg. V. allegando Ezech. XL. ſeq. In Reg. VI. allegando Matth. XX. 20.

6. Quid ad præcipuam Objectionem ex Apoc. XX. 1 — 6. reſpondendum ſit, compendioſè oſtendimus in Synopſi noſtrâ Art. 35. qu. 2.

Βεβαίωσις exhibetur ibidem qu. 1.

Αντίθεσις eſt Chiliaſtarum ſeu Millenariorum: inter antiquos chorum duxit Papias, qui ut Euſebius tradit L. 3. H. E. c. 39. in hanc opinionem incidit, *ex malè intellectis Apoſtolorum narrationibus.* Recentium, qui noſtrâ ætate delirarunt, nomina & ſcripta allegavimus in Piet. Sect. Art. 11. itemque in Supplem. Synopſ. Art. 35, Th. 1 ad lit. ε. His Quackeros annumerandos eſſe, demonſtravimus in Quackeriſmo confutato Art. 4. Hypoth. n. 17. p. 377.

Theſis III. *Ante extremum judicium, homines mortui omnes reſuſcitabuntur, ita quidem, ut corpora ratione ſubſtantia cum priſtinis, quæ olim depoſita fuerunt, planè eadem, animabus reduniri, atque hoc modo reſurgere debeant*

Ἔκθεσις 1. Vocabulum Reſurrectionis nunc propriè accipitur, non impropriè. Sic enim Tropus ſubeſt, & quidem vel Metonymia, e. gr. quando Chriſtus dicitur *Reſurrectio noſtra* Joh. XI. 25. vel Metaphora, e. gr. quando *Reſurrectio* ſignificat liberationem ex calamitatibus Pſ. IX. 14. vel reſipiſcentiam â peccato. Rom. VI. 6. ſeq. Eph. V. 14. Col. II. 12. III. 1. quæ reſipiſcentia Apoc. XX. 6. vocatur *prima Reſurre-*

Resurrectio, *secundæ morti* i. e. æternæ damnationi, *locum non factura.*

2. Concedimus, justos esse resurrecturos Luc. XIV. 14. sed negamus tantùm justos esse resurrecturos. Unius enim positio, non est alterius exclusio.

3. Similiter quando *multi* perhibentur resurrecturi, Dan. XII. 2. vox *Multi* non accipitur exclusivè; sed inclusivè. Seu ut clarius nos expediamus: Multi non opponuntur omnibus; sed iidem sunt cum omnibus. Nam & ubi omnes sunt, ibi multitudo est. Hinc Multi illi qui resurgent, in eodem versiculo distingvuntur in duos ordines, eorum videlicet, qui ad gloriam, & eorum, qui ad opprobrium resurgent: Ad duos verò ordines hosce, homines sine exceptione omnes referuntur.

4 Cum homines resurrecturos esse dicimus, eosdem spectamus ut Subjectum QVOD Resurrectionis. Alioqui enim Subjectum QVO est solum corpus: quia anima, ut immortalis, Resurrectione opus non habet.

5 Resurget totus Homo, qui mortuus fuit; sed non totum hominis: Sive quod idem est: Resurget homo; sed quà corpus.

6. Loco corporis, in Symbolo Apostolico substituitur Caro, quæ per Synechdochen partis, integrum corpus notat, ne ossibus quidem exceptis, quæ alibi â carne distingvuntur, Luc. XXIV. 39. Inde Lutherus monuit, rectiùs dici **Aufferstehung des Leibes oder Leichnams/** quàm **des Fleisches.** Addit autem; **Doch liegt nicht grosse Macht an/ so man nur die Worte recht verstehet.**

7. Quod verò attinet ad locum Manichæis familiarem 1. Cor. V. 5. non quæritur, an *Spiritus salvetur in extremo die?* id enim concedimus: sed an *solus Spiritus salvetur in extremo die?* id quod negamus.

8. Corpora hominum resurgentium, non specie duntaxat eadem erunt cum illis, quæ nunc sunt; verùm etiam numero: quemad-

quemadmodum veſtis eadem numero eſt, quæ diſſuitur & rurſum conſuitur.

9. Non poteſt reſuſcitatio Subſtantiæ, quæ eadem dicitur, propter identitatem materiæ ex quâ, comparari cum reſuſcitatione Entis per accidens, quod idem dicitur, propter identitatem formæ externæ. Unde ineptè objicitur illud, quod Sigillum ceræ impreſſum, deinde confuſum & denuò impreſſum, non poſit dici idem numero; atque adeo nec homo, cujus corpus deſtruitur & reſtituitur. Nam ſigilli confuſi forma prorſus annihilatur: at hominis deſtructi materia, tantum diſſolvitur. Si igitur forma denuò ceræ imprimatur, ea nova eſt & â priori, utpote quæ annihilata eſt, omnino diverſa: At materia corporis priſtina eſt, quæ animæ in Reſurrectione reſtituitur.

10. Inſtant adverſarii: Quod Generatio & Reparatio diverſi ſint termini, quà ſubſtantiam: Reſp. Si per ſubſtantiam abuſivè intelligatur eſſentia generationis & reparationis in ſe conſideratæ, concedi; Sic enim generatio non eſt reparatio, & vice verſâ. Si verò ſubſtantia propriè accipiatur, pro ſubjecto generationis & reparationis, negari: Poteſt enim idem numero Subjectum, manente eâdem materiâ, primò generari, deinde deſtrui & tandem reparari; quod in bombycibus videre eſt.

11. Diſtingvimus tamen inter corporum eſſentiam & accidentia. Eadem erunt corpora; ſed non eædem corporum qualitates. Homines enim immutabuntur 1. Cor. XV. 37. 52. eruntque ἰσάγγελοι Matth. XXII. 13. non per eſſentiam naturæ; ſed per convenientiam beatitudinis & gloriæ. Propter hanc immutationem, Paulus corpora reſuſcitatorum vocat *Spiritualia*, in oppoſitione ad corpora. *Naturalia* 1. Cor. XV. 44.

12. Inde etiam, quæ de corpore & partibus corporis dicuntur ſecundum quid, nempe quatenus juxta adjunctam pravi-

pravitatem & corruptibilitatem ſpectantur; non debent e-tendi ad corpus & partes corporis ſimpliciter, e. gr. 1. Cor. XV. 50. *Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei.*

13. Deus legitur *ventrem deſtruere* 1. Cor. VI. 13. Aſt idem quoque legitur hominem totum, & conſequenter etiam ventrem, reſuſcitare ac reparare. Utrumque igitur admittendum eſt.

14. Quod ad partes corporis attinet, etſi in alterâ vitâ non habituræ ſint eundem uſum, quem habuerunt anteà; nihiloſecius habebunt aliquem uſum, nempe ut ceu partes conſtituant totum & mercedem reportent actionum, in quibus arma juſtitiæ fuerunt.

15. In locis Scripturæ Job. XIV. 12. & Eſ. XXVI. 14. non negatur reſurrectio abſolutè; ſed reſtrictè. Jobus enim ſeipſum exponit, quando verbis illis: *Homo cum dormierit, non reſurget*: ſtatim ſubjicit: *donec atteratur cœlum:* quo ipſo non impugnatur Reſurrectio; ſed tantùm differtur. Eſaias autem inquiens: *Gigantes non reſurgent:* loquitur de Reſurrectione ad vitam æternam. Conf. 2. Macc. VII. 14.

16. At Pſ. I. 5. in verbis illis: *Non reſurgent impii in judicio:* haudquaquam agitur de Reſurrectione ex ſepulchro; ſed tantùm de Reſurrectione ex calamitatibus ac pœnis.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Quod Reſurrectio mortuorum certè futura ſit* (1) ex 1. Cor. XV. ubi Paulus de hoc fidei articulo ex profeſſo agit. Demonſtrat verò eum ſequenti inprimis argumento, quia Chriſtus reſurrexit v. 13. ſeqq. At membrorum & capitis h. e. Chriſtianorum & Chriſti eadem eſt ratio v. 23. In eodem capite, illi qui impoſſibilitatem objectabant, *ſtultitiæ* arguuntur & convincuntur, v. 35. ſeqq. (2) ex diſputatione Chriſti, cum Sadducæis habitâ Matth. XXII. 23. ſeqq. Add. Luc. XX. 37. 38. (3) ex aliis Scripturæ dictis Eſa. XXVI. 19. 1. Cor. VI. 14. 1. Theſſ. IV. 14.

Aaa II. Quod

II. *Quod mortui omnino omnes resurrecturi sint*, (1) ex I. Cor. XV. 42. Quia *quicquid seminatur corruptibile, surget incorruptibile*. Subsumimus: Omne corpus mortuum. Ergo. (2) ex Act. XXIV. 15. & Dan. XII. 2. Quia Resurrectio erit *justorum & injustorum*: quorum illi salvabuntur; & hi damnabuntur. In has verò classes, quotquot mortui sunt, adæquatè distingvuntur, (3) ex aliis Scripturæ dictis Joh. V. 28. Matth. XXV. 31 II. Cor. V. 10.

III *Quod corpora ratione Substantiæ, cum illis, quæ olim deposita fuerunt, eadem resurrectura sint* I. Ex. 1. Cor. XV. 53. ubi urgemus (1) articulum demonstrativum (τȣ̃το) HOC, qui bis in eodem versu repetitur. Apostolus enim Resurrectionem adstringit ad *corruptibile HOC* & *mortale HOC*, quod tunc præsens erat. (2) prædicatum, quod de hoc corruptibili & mortali corpore enunciatur. Legitur enim ἐνδύσασθαι *induere incorruptionem & immortalitatem*. Quicquid verò induit, seu per modum vestimenti, recipit aliud, illud reverà adest, quando induit alterum; cum accidentia nequeant esse sine subjecto suo. (3) verbum certissimæ affirmationis (δεῖ) OPORTET. Cum enim Apostolus in antecedentibus de Resurrectione egisset, jam concludit, *oportere* hoc corruptibile & mortale corpus induere incorruptionem & immortalitatem. Nam si id non fieret, nulla foret Resurrectio: quia nihil nisi quod anteà cecidit, resurgere potest.

2. ex Jobi XIX. 23. seqq. Sunt qui insignem huncce locum de restitutione pristinæ felicitatis, in hac vitâ obtinendæ interpretantur, contra quos prolixè egit Gerhardus in Loco *de Resurrectione* §. 9. Argumentis ergo ejus nixi, præsupponimus, de Resurrectione corporis agi, atque hinc ulteriùs pro thesi nostrâ urgemus illa: (1) *Novi Redemtorem meum vivum & novissimè, super pulvere staturum* v. 25. nempe super pulvere, in quem corpus, ex justo Dei judicio convertendum

est

est Gen. III. 19. Super hoc virtute suâ stabit Redemptor Christus, cum in extremo die omnes resuscitabit Joh. VI. 40. (2) *Et postquam pellem meam contriverint hanc, de carne meâ videbo Deum* v. 26. Contritio pellis est â corruptione & vermibus Job. XVII. 14. quâ tamen non obstante, sperat vir Dei, se in carne suâ, cujus pellis conteretur, visurum esse Deum. (3) *Quem ego visurus sum, & oculi mei videbunt & non alienus* v. 27. Rursus de se, qui tunc erat, & de oculis, quos tunc habebat, loquitur, indicans, post Resurrectionem se & oculos suos præstò futuros. Addit(וְלֹא־זָר) *Et non alienus*: quo ipso se ab eo, qui tunc non erat, distinguit: Si autem aliud corpus resurgeret, quàm quod tunc Jobus habebat, sequeretur loco Jobi, alienum â Jobo resurrecturum, Deumque visurum esse.

5. ex Dan. XII. 2. & Joh. V. 28. 29. ubi Resurrectio adscribitur ei, quod *in pulvere dormit, & in monumentis jacet.*

Ἀντίθεσις est 1. Empæctarum, qui Articulum de Resurrectione mortuorum, tanquam mentis humanæ somnium, irrident. Vid. 1. Cor. XV. 12.

2. Judæorum, qui universalitatem Resurrectionis negant. His accedebat Weigelius scribens, *corpora damnatorum, cum mundo interitura esse.*

3. Socinianorum, Anabaptistarum aliorumq; Fanaticorum, qui in novis â Deo creatis corporibus, nos resurrecturos esse, fingunt.

Thesis IV. *Christus gloriosè venturus, juxta ipsam quoque humanam naturam, super omnes homines diabolosque exactissimum judicium exercebit.*

Ἔκθεσις 1. Uti tota S. S. Trinitas causa efficiens judicii extremi, tanquam operis ad extra est, quoad decretum, consensum & auctoritatem Gen. XIIX. 21. Deut. XXXII. 36.

Pſ. IX 8. Hebr. XII 23; ita iſtud ſpecialiter Filio tribuitur quoad exercitium, promulgationem & executionem latæ ſententiæ: Sic enim Pater, negatur judicare quenquam Joh. V. 22.

2. Utraque autem natura Chriſti, Filii Dei, concurret in faciendo judicio & quidem non ſubordinatis; ſed coordinatis operationibus.

3. Divina enim natura non aget per humanam, ceu per inſtrumentum; multòque minùs adducet humanam naturam, ut otiosè triumphum aſpiciat; ſed aget cum humanâ naturâ, quæ idiomatibus communicatis, nempe omnipotentiâ, omniſcientiâ, omnipræſentiâ &c. plenisſimè, propter ſesſionem ad dextram Dei, utetur.

4. Notandum tamen, quòd cum Chriſtus legitur, *habere poteſtatem judicium faciendi* (ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί) QUATENUS FILIUS HOMINIS EST Joh. V. 27. in iſto dicto τὸ QUATENUS non ſumatur reduplicativè; ſed ſpecificativè. Unde cadit Adverſariorum cavillatio: Si Chriſtus quatenus Homo accepit poteſtatem judicandi, ſequitur omnem Hominem accepiſſe illam poteſtatem: Atqui falſum eſt conſequens: E. & antecedens. Negatur enim connexio: Nam â Quatenus reduplicativo ad de Omni valet conſequentia: non autem â Quatenus ſpecificativo.

5. Cum venturus dicitur Chriſtus ad judicium, reſpicitur ad πȣ̃ unde venturus ſit, nempe ad Cœlum: quod etiam in Symbolo Apoſtolico, per particulam *INDE*, cum Aſcenſione ad cœlos conjungendam, indicatur.

6. Neque tamen Chriſtus quando venturus eſt, proptereà deſinet eſſe alibi inviſibiliter & quoad eſſentiam; licet in certo tantum πȣ̃ futurus ſit viſibiliter & quoad revelationis œconomiam. Vid. Art. 3. de Filio Dei Th. 6. p. 123.

7. Cavendum quoque, ne adventus Chriſti primus, ubi *nolebat judicare quenquam* Joh. IIX. 15. XII. 47. confundatur

datur cum adventu ejus ſecundo, qui propterea inſtituetur, ut judicet alios.

8. Objectum judicii erunt omnes homines, partim è morte reſuſcitati, partim quadam morti ac reſurrectioni analogâ ratione immutati 1. Cor XV. 51. 52. 53. non quoad ſubſtantiam; ſed quoad accidentia: Nam exutâ corruptibilitate & mortalitate, induent incorruptibilitatem & immortalitatem; id quod in eis locum mortis ac reſurrectionis ſupplebit.

9. Ipſi etiam pii, expectant judicium diſcusſionis; quamvis negentur venire in judicium condemnationis, Joh. III. 18. V. 24.

10. Impii autem, tametſi jam reportaverint judicium internum propriæ conſcientiæ Joh. III 18. nihilominus accedere cogentur, ad judicium externum, divinæ ſententiæ.

11. Judicium iſtud extremum erit exactisſimum; quia exactisſimè conveniet cum normâ, juxta quam exercebitur: nimirum non cum abſoluto aliquo Dei decreto; ſed cum verbo in Scripturis revelato.

12 Pii enim judicabuntur juxta Evangelium ſtrictè ſic dictum, quatenus Legi opponitur. Gal. III. 9. Matth. XXV. 34.

13. Impii verò judicabuntur juxta Legem Gal. III. 10. 1. Cor. VI. 9. 10. non tamen ſolam & per ſe ſpectatam; ſed Evangelio colluſtratam, ita ut infidelitatem tanquam matrem omnium peccatorum præcipuè damnet Marc. XVI. 16.

14. Ipſaque ſententia Judicis, in novisſimo die, accuratè loquendo non erit prorſus nova abſolutio, aut damnatio; ſed potiùs abſolutionis aut damnationis, adhuc in terris â Miniſterio verbi, juxta Legem aut Evangelium profectæ, ſolennior publicatio, promulgatio & confirmatio. Joh. XII. 48.

15. Præter homines, judicabuntur quoque diaboli: quibus

bus *catenæ caliginis* nunc ſunt ad cuſtodiam; ſed tunc erunt ad ineffabilem pœnam: nunc laxiores relinquuntur; tunc verò arctisſimè conſtringentur, Conf. Matth. IIX. 29.

βεβαίωσις Probamus I. *Quod Judicium extremum certò futurum ſit* (1) ex Act. XVII. 31. Quia Deus *ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in juſtitiâ, per virum, quem definivit* (2) Ex locis Scripturæ aliis Pſ. IX. 8. XCIIX. 10. Eccl. XII. 14. Hebr. IX. 27. 28. Matth. XII. 40. ſq.

II. *Quod Chriſtus judicaturus ſit, juxta ipſam quoque humanam naturam* 1. ex Act. XVII. 31. Nam (1) Iudex appellatur *vir:* quâ deſcriptione ad humanam ejus naturam reſpicitur (2) dicitur *definitus eſſe* ad judicandum, ſcilicet *per traditam ſibi poteſtatem* Ioh. V. 22. 27. Quæ autem Chriſto tradita ſunt in tempore, juxta humanam naturam tradita intelliguntur (3) ut judex, diſtinguitur ab eo, qui ſtatuit per judicem judicare. Cum igitur divina Chriſti natura, cum Patre & Spiritu S. ſtatuerit per judicem judicare: neceſſe eſt, nunc ad humanam ejus naturam reſpici, per quam, ex ſtatuto divino, judicandum erat.

2. ex Ioh. V. 22. 27. Matth. XVI. 27. XXIV. 30. Dan. VII. 13. ſq.

III. *Quod judicio extremo omnes omnino homines ſiſtendi ſint.* 1. ex Act. XVII. 31. Quia Deus ſtatuit judicare (οἰκουμένην) *habitatam* i. e. terram, quæ non ſolùm tunc habitabatur, ſed unquam ante habitata fuerat, aut poſthac habitanda erat. Terra autem habitata metonymicè pro hominibus inhabitantibus ponitur. Poſt horum Reſurrectionem, judicium proximè ſequetur. Conf. 2. Tim. IV. 1. Act. X. 42.

2. ex Matth. XXV. 31. 32. 34. 41. Quia coram tribunali Chriſti, leguntur (1) *congregendæ eſſe omnes gentes* (2) *diſtinguendæ in oves & hædos* (3) *abſolvendæ aut damnandæ* Conf. 2. Cor. V. 10.

3. ex

3. ex aliis Scripturæ dictis Es. LXVI. 16. Rom. XIV. 10.

IV. *Quod diaboli æquè ac homines judicandi sint* (1) ex 2. Petr. II. 4. & Iudæ v 6. Quia diaboli *vinculis tenebrarum ad judicium reservantur* (2) ex Matth. IIX. 29. Quia diaboli de Christo conquerebantur, quod *veniret* torquere eos, *ante tempus*: quo ipso agnoscebant imminere tempus, quo ex judiciali sententiâ meritò torquerentur.

Ἀντίθεσις. Est I. Empæctarum, qui judicium extremum pro ludibrio habent.

II. Reformatorum, qui negant Christum quà humanam naturam verè judicaturum esse.

III. Pontificiorum, qui numero judicandorum eximunt Mariam Deiparam, & consilia evangelica secutos, itemque parvulos.

Thesis V. *Electorum quisque, in suo ratione graduum ordine, sanctis Angelis sociatus, vitam æternam consequetur.*

Ἔκθεσις. 1. Vita hominis duplex est, temporalis & æterna. Illa subdividitur in vitam naturæ, quæ piis & impiis communis est Gen. II. 7. & vitam gratiæ, quæ solis piis competit Gal. II. 19. Eph. IV. 18. Hæc vocatur vita gloriæ, de quâ nunc pluribus erit agendum.

2. Vita igitur æterna non significat nudam viventis existentiam; sed simul connotat felicissimam ejus conditionem.

3. Tametsi verò Electos omnes exspectet eadem vita æterna; non tamen omnes exspectat idem gradus gloriæ, in vitâ æternâ.

4. Præmium essentiale commune erit omnibus; diversitas autem & inæqualitas occurret in præmiis accessoriis, nempe in dotibus quibusdam accidentalibus, imprimis claritate & splendore corporum.

5. Unusquisque equidem fulgebit ut Sol, absolutè loquendo Matth.

do Matth. XIII. 43; comparativè tamen alter fulgebit præ altero: ſicuti Sol quoad nos nunc clariùs, nunc obſcuriùs lucet.

6. Rem ex Scripturâ ſcimus; de modo autem, tacente Scripturâ, ſilere præſtat, quàm incerta dicere. Undè quæ Pontificii de Laureolis ſuis adferunt, ſecurè præterimus.

7. Hoc ſeriò obſervandum, quod inæqualitatis iſtius cauſæ non in meritis hominum propriè ſic dictis; ſed in gratuitâ Dei promisſione & benignâ promiſſorum expletione, quæri debeant.

8. Electi Angelis ſociabuntur; non verò in Angelos mutabuntur: quia corporibus receptis, cœlum gloriæ ingredientur.

Βεβαίωσις. Probatur I. *Quod electi vitam æternam conſecuturi ſint.* 1. ex Dan. XII. 1. 2. Quia qui *ſcripti ſunt in libro, ſalvabuntur & evigilabunt ad vitam æternam.*

2. ex Ioh. V. 24 Quia credentes (1) *in condemnationem non veniunt.* (2) *à morte ad vitam tranſeunt* (3) *vitam æternam habent.*

3. Ex aliis Scripturæ dictis Matth. XXV. 46. I. Ioh. II. 25. Rom. IIX. 29. 30.

II. *Quod in vitâ æternâ, diſtincti gloriæ gradus futuri ſint* 1. Ex. Dan. XII. 3. Quia *docentes & ad juſtitiam erudientes,* præferentur cæteris in ſplendore.

2. ex 1. Cor. XV. 41. 42. Quia in reſurrectione ita beati â ſe invicem different, *quemadmodum alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum eſt & prouti ſtella â ſtellâ differt in claritate.*

Ἀντίθεσις. eſt 1. Empæctarum, qui vitam æternam exſpectantes, pro parùm prudentibus habent.

2. Socinianorum & quorundam ex Reformatis, nempe Martyris, Cameronis &c. qui diſtinctos gloriæ gradus, in vitâ æternâ futuros eſſe, inficiantur.

3. Pietiſtarum, qui ſe in hoc mundo jam vitæ æternæ com-

compotes esse factos, gloriantur, de quibus evolvatur Supplementum Art. 34. th. 6. Didicerunt hoc, ut multa alia, â Quackeris, idem sentientibus. Conf. Quacker. Confut. Art. 29. Hypoth. 7. p. 575. item Art. 17. Hypoth. 14. p. 134.

Thesis VI. *Homines reprobati, unà cum diabolis, in infernum detrusi, æternis pœnis, quisq; in suo, ratione graduum, ordine, afficientur.*

Ἔκθεσις 1. Nomine inferni, impræsentiarum non tam τὸ πῶ damnatorum intelligitur; quàm status & misera conditio.

2. Pœnas infernales igne inferendas esse, passim Scriptura dictitat: quomodò autem ignis infernalis differat â vulgari, prolixè exponit Gerhatdus L. de Inferno §. 48. seq. & §. 68.

3. De qualitate & activitate istius ignis, nolumus cum Scholasticis altercari, memores istius, quod Augustinnus monuit: *Meliùs est dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.*

4. Reprobati omnes eidem generi pœnarum subjicientur; sed non eidem gradui.

5. Omnium erit æterna pœna: ita scilicet, ut æternitatis nomine indicetur, cum pœnarum continuitas, quod nullum habituræ sint intervallum; tum pœnarum perpetuitas, quod nullum habituræ sint finem.

6. Iis verò qui erga damnatos se justo molliores exhibent, opponantur sequentes Aphorismi: (1) Proportio pœnæ & culpæ, non in morâ temporis; sed in peccati qualitate & in Dei, qui peccatis offenditur, infinitate quærenda est. (2) Continuatio pœnarum, in hâc vitâ irrogandarum, conditionata est; in alterâ autem vitâ inferendarum, absoluta. (3) Misericordia Dei magna est: sed objectum ejus non sunt vasa iræ; verùm vasa misericordiæ Rom. IX. 22. 23. (4) Quidam impii vapulabunt paucis; sed non pauxillo tempore.

Luc. XII, 48. (5) Deus vult omnium misereri Rom. XI. 32. non quoad actualem applicationem; sed quoad gratiosam oblationem.

7. Plura huc facientia petantur ex Synops. nostrâ Art. 34. qu. 3. in Resolutione Objectionum.

Βεβαίωσις. Probatur I. *quod homines reprobati in infernum detrudendi sint*, 1. ex Dan. XII. 1. 2. Quia qui non scripti sunt in libro, *evigilabunt ad æternum opprobrium.*

2. ex 2. Thess. I. 6. 8. 9. Quia iis, qui *non noverunt Deum, nec Evangelio Christi obediunt*, imminet (1) *retributio*, juxta tenorem *justitiæ divinæ* v. 6. (2) *flamma ignis ultricis* v. 8. (3) *pœna exitii æterni* v. 9. (4) *abjectio à facie Domini & à gloriâ virtutis ejus* v. 9.

3. ex aliis Scripturæ dictis Ps. XXXI 18. Matth. IIX. 12. Luc. XVI. 23. sq. Apoc. XXI. 8.

II. *Quod in inferno distincti pœnarum gradus futuri sint*, (1) ex Matth. XI. 22. 24. Quia Christus *remissiorem pœnam*, in extremo judicio infligendam, dictitat *Tyro, Sidoni & Sodomæis*; quàm Judæis, â quibus præsens & tot miracula edens, nihilominus contemnebatur. (2) ex aliis Scripturæ dictis Matth. XXIII. 14. Luc. XII. 47. 48. Sap. VI. 7.

III. *quod pœnæ infernales æternùm duraturæ sint*, ex Apoc. XIV. 11. Quia (1) *fumus cruciatuum* infernalium ascendet (εἰς αἰῶνας αἰώνων) *in secula seculorum*: ex quo colligitur pœnarum perpetuitas: (2) damnati negantur *habere requiem die ac nocte*: ex quo evincitur pœnarum continuitas. Similia repetuntur Apocal. XX. 10.

2. ex aliis argumentis, quæ Synopsis nostra suggerit Art. 34. qu. 3. posit. 3.

Ἀντίθεσις est 1. Empæctarum, qui comminationes infernalium tormentorum pro inanibus terriculamentis habent. Vid. Job. XXI. 13. Es. XXIIX. 15.

2. Soci-

2. Socinianorum, qui pœnas damnatorum in omnimodâ eorum annihilatione consistere tradunt.

3. Origenistarum, qui damnatis spem misericordiæ olim faciebant. Ex eorum cineribus surrexerunt novi, ut vocatur, Evangelii præcones, Petersenius cum uxore suâ, & quibusdam aliis nugivendulis, â quibus erronea opinio ex orco revocata est, de quâ vid. Supplement. Synops. Art. 34. th. 3.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod majores nostri, ex hypocrisi & placendi studio, articulum hunc addiderint, utpote de quo nulla fuerit controversia. Sic Andreas Fabricius & Balthasar Hagerus. Resp. nostros graves habuisse causas, propter calumnias adversariorum, qui eis apud exteros affingebant, qvod nec resurrectionem mortuorum, nec judicium extremum, nec infernum, aut vitam æternam crederent.

II. Quod nostra sententia sit, post Christi ascensionem, nullius hominis animæ aditum ad æternam vitam patere, usque ad futuram resurrectionem corporum. Sic iidem. Resp. injuriam nobis manifestam fieri: Qui enim asserunt resuscitatis æternam vitam datum iri, quoad totum hominis, quatenus hic animâ & corpore constat; non propterea inficiantur, ante resurrectionem vitam æternam datum iri, quoad partem hominis, nempe animam â corpore separatam.

III. Quod ab Aug. Conf. docente Christum rediturum esse ad judicium, discedamus, statuendo, omnipræsentiam Christi, quà humanam naturam. Sic Episcopus à Collonitsch, in Antiaug. Conf. Resp. hæc non esse ἀσύστατα. Nam & omnipræsens est Christus, quà humanam naturam invisibiliter, & redibit ad judicium visibiliter. Unde etiam Aug. Conf. reditum istum describit, per *apparitionem Christi*; in quo sequitur

 quitur

quitur Apostolum 1. Tim. VI. 14. 2. Tim. IV. 1. Tit. II. 13. 2. Thess. I 7. Col. III. 3. Plura videantur in D. Alberti Refutatione Confess. Antiaugust. P. 2. c. 3. Qu. 16. p. 203. sq.

ARTICULUS XIIX.

DE

LIBERO ARBITRIO.

I. EXPLICATIO.

IN Confessione variatâ Melanchton manifesta Synergismi semina sparsit. Nam (1) postquam genuinam Confessionem retinuerat, usque ad illa: *Justitiæ spiritualis:* pergit: *Quia Paulus dicit: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei: Et Christus dicit: Sine me nihil potestis facere. Efficitur autem spiritualis justitia in nobis, CUM ADJUVAMUR A SPIRITU S. Porrò Spiritum S. concipimus, cum verbo Dei assentimur, ut nos fide in terroribus consolemur: sicut Paulus docet, cum ait: ut promissionem Spiritûs accipiatis per fidem.* Hæc totidem verbis dicit Augustinus *L. 3. Hypognost. Esse fatemur &c.* (2) verbis Augustini usque ad illa: *velle homicidium &c.* retentis, sequentia subnectit: *Hæc Augustini sententia, præclarè docet, quid libero arbitrio tribuendum sit & disertè discernit, civilem disciplinam seu excercitia rationis humanæ, â spiritualibus motibus, vero timore, patientiâ, constantiâ, fide, invocatione, in asperrimis tentationibus, inter insidias diaboli, in terroribus peccati: In his certè opus est, REGI NOS ET JUVARI â Spiritu S. sicut Paulus ait: Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* (3) pro illis: *Damnant Pelagianos & alios:* ponit: *Damnant Pelagianos & similes:* ut Synergistæ, tanquam alii â Pelagianis, & quidem dissimiles, exciperentur, (4) ultimis verbis, in Confessione invariatâ assuitur illud: *NISI SPIRITUS*

TUS S. GUBERNET ET ADIUVET CORDA NOSTRA. Et tamen in hoc loco etiam illud docemus, Dei mandatum esse, ut etiam carnales coërceantur, diligentiâ rationis & illâ civili disciplinâ: sicut Paulus inquit: Lex est Pædagogus in Christum: *Item:* Lex est injustis posita. Similiter in Germanicâ Confessione, cum invariatum Exemplar habeat: **So sagen wir doch / daß der freye Wille und Vernunfft in göttlichen Sachen nichts vermag:** variatum unius voculæ adjectione, Synergistis patrocinatur, ponens: **So sagen wir doch / daß der freye Wille / in geistlichen Sachen ALLEIN nichts vermag.**

Cæterùm in Confessione genuinâ p. 21.22. (14.15.) proceditur

- I. Θεθικῶς,
  - 1. verbis propriis, ubi homo
    - 1. statuitur habere libertatem in rebus inferioris ordinis. *De libero arbitrio——rationi subjectas.*
    - 2. negatur habere libertatem in rebus superioris ordinis. *Sed non habet vim——Spiritus S. concipitur.*
  - 2. verbis alienis, ex autore Hypognosticon, quem olim Augustinum esse crediderunt, petitis: *Hæc totidem verbis——velle homicidium.*
- II. Αντιθεθικῶς
  - 1. per rejectionem heterodoxæ sententiæ: *Damnant Pelagianos——quoad Substantiam actuum.*
  - 2. per oppositionem orthodoxæ sententiæ: *Quamquam enim externa——castitatem, patientiam &c.*

IN APOLOGIA p. 345. (217.) seq.

- I. Repetitur ex auditis,
  - 1. quod Adversarii probarint hunc articulum. *Articulum XIIX recipiant Adversarii de L. A.*

a b

2. quod teſtimonia quædam incongrua adjecerint. *Etſi quadam addunt teſtimonia, parum apta ad eam cauſam.*

3. quod cum Pelagianiſmo Manichæiſmum cavere juſſerint. *Addunt & declarationem——cum Manichais.*

II. Docetur ulteriùs,

1. quod Pelagiani à Pontificiis parum diſtent. *Præclarè ſanè, ſed quid intereſt——de Juſtificatione recitavimus.*

2. quod nos voluntati non adimamus libertatem in rebus rationi ſubjectis. *Neque verò adimimus——efficit ſine Spiritu S.*

3. quod libertas in bonis, quæ rationi ſubjiciuntur, admodum hebetata ſit. *Quanquam tanta eſt vis——videntur eam expetiviſſe.*

4. quod operibus extra gratiam factis, ab Adverſariis nimium tribuatur. *Illud autem falſum eſt——impoſſibile eſt placere Deo.*

5. quod L. A. in ſpiritualibus nihil poſſit. *Igitur etiamſi concedimus——conſolationem concipiunt.*

6. quod diſtinctio objectorum in doctrinâ de L. A. multum proſit. *Prodeſt igitur iſta diſtributio——ad quid opus ſit Spiritu S.*

7. quod eandem diſtinctionem Scriptura & ſaniores Doctores probent. *Neq; hæc diſtributio—reſpectus meritorii.*

II. DEMONSTRATIO.

Theſis I. *Homo irregenitus, poſt lapſum, habet aliquam, etſi debilem libertatem, ad bonum inferioris ordinis, quod rationi ſubjectum eſt; nullam verò prorſus ad bonum ſuperioris ordinis, ſive in ſpiritualibus: Hoc enim reſpectu, arbitrium ejus non liberum, ſed ſervum dici haberiq; debet.*

Ἔκθεσις.

Ἔκθεσις 1. Arbitrium, juxta considerationem generalem simul ad intellectum & voluntatem refertur; at juxta considerationem specialem & magis propriam, soli voluntati vendicatur. Tametsi enim intellectus concurrat antecedenter & præparatoriè, per cognitionem & deliberationem; cum ignoti nulla alioqui cupido sit: formaliter tamen & constitutivè Arbitrium solâ electione, quæ voluntatis actus est, absolvitur.

2. Ex Thesi quodammodò patet, quod in controversiis præsentibus distingvamus, inter Hominem, quatenus hujus aut alterius vitæ civis est: & quà hanc vitam, inter hominem, prouti consideratur ante lapsum & post lapsum: denique post lapsum, inter hominem, quatenus irregenitus & regenitus est. Nonnulli eadem h. m. efferunt: Homo consideratur quadrifariam, scilicet in naturâ institutâ, destitutâ, restitui cœptâ & plenè restitutâ. Neque alio tendit Augustinus, cum hominem expendit, qualis est ante legem, sub lege, sub gratiâ & in pace. Vid, Form. Concord. p. 818 926. (578. 654.)

3. Non minori cautione opus est, in distinctione objectorum, circa quæ arbitrium hominis versatur. Ea enim aut inferioris, aut superioris ordinis sunt.

4. Inferioris ordinis censentur (1) actiones naturales strictè sic dictæ v. gr. edere, bibere, ambulare, videre, audire &c. (2) actiones merè morales, partim Ethicæ v. gr. inebriari & abstinere ab ebrietate, irasci & temperare iram &c. partim Politicæ v. gr. gerere Magistratum & abdicare se Magistratu, punire sontes & impunè eos dimittere &c. partim Oeconomicæ, v. gr. domui præesse, liberos educare, vel negligere &c. (3) actiones sacræ pædagogicæ, quæ sunt absque motu spirituali v. gr. solius curiositatis gratiâ adire templum, audire concionem, legere Biblia &c. (4) actiones artificiales v. gr. ædificare, sculpere, pingere &c.

5. Supe-

5. Superioris ordinis cenſentur ſpiritualia, nempe (1) actiones ſacræ pædagogicæ, quæ ſunt cum motu ſpirituali, e. gr. ex deſiderio informationis adire templum, animo proficiendi in viâ ſalutis legere vel audire verbum Dei &c. (2) actiones ſacræ apoteleſmaticæ e. gr. Deum, prouti ſe in Scripturâ revelavit, cognoſcere; de peccatis dolere, in Chriſtum credere; ſecundum Spiritum vivere &c. ac quæ his ſunt oppoſitæ.

6. Nunc ad Libertatem progredimur, à quâ Arbitrium denominatur liberum, ut hujus quoque vocabuli homonymiam diſcutiamus. Datur ergo Libertas â coactione, ab immutabilitate, ab obligatione, à dominio peccati & à miſeriâ.

7. Libertas à coactione, quæ etiam libertas naturæ vocatur, & violentiæ externæ opponitur, voluntati ita naturalis & eſſentialis eſt, ut homini poſt lapſum remanſerit; quippe qui *non voluntate, ſed voluntatis ſanitate privatus eſt*, prouti loquitur Proſper L. 1. de Vocat. Gent. c. 3. A tali libertate Deus dicitur αὐθεκούσιος & αὐτεξούσιος; Homo autem ἑκούσιος, i. e. ſponte agens, h. e. absque violentiâ. Nam voluntas ejus, ad minimum quoad actus elicitos, cogi nequit; etſi aliquando cogatur, quoad actus imperatos: qui potius volentis; quàm voluntatis ſunt. Et de ejusmodi libertate, pleraque Patrum dicta intelligenda ſunt, qui homini ſibi relicto plus tribuere videntur, quàm tribuendum eſt.

8. Libertas ab immutabilitate, quæ etiam libertas à neceſſitate vocatur & internæ determinationi ad alterum oppoſitorum, contradiſtingvitur, præcipuè nunc locum obtinet. Sic autem Homini irregenito, poſt lapſum, libertatem arbitrii ad bonum ſuperioris ordinis denegamus, quandoquidem ei neceſſe eſt peccare: non culpâ Dei; ſed vitio naturæ corruptæ & tantùm ad malum propenſæ.

9. Porrò

9. Porrò Libertas ab immutabilitate duplex esse perhibetur, nempe contrarietatis, seu specificationis; & contradictionis, seu exercitii. Illa describitur, quod sit indifferentia ad plures actûs specie diversos v. gr. ad bonum & malum in genere, aut ad hoc vel illud bonum in specie: Hæc describitur, quod sit indifferentia ad terminos contradictorios, circa objectum jam electum v. gr. ad velle & nolle, ad agere & non agere: ubi denuô hominem irregenitum circa bonum superioris ordinis, omni libertate carere statuimus.

RESPONS. ADAM. Artzberger/ Gedan.

10 Libertas ab obligatione, seu â jure, opponitur normæ agendi, videlicet Legi, atque in solum Deum cadit; quandoquidem & homines & angeli lege Dei tenentur.

11. Libertas â dominio peccati, seu libertas gratiæ, opponitur servituti peccatorum regnantium, atque Regenitis in hâc vitâ competit.

12. Libertas à miseriâ, seu libertas gloriæ, opponitur oneri cuicunque peccati, tam originalis, quàm actualis, etiam non regnantis, itemq; calamitatum omnium: qualis demum beatis in alterâ vitâ continget.

13. His præmissis, jam diversas actionum classes accuratiùs examinabimus. Initium verò facturi ab actionibus inferioris ordinis, dispiciendum est, utrum illæ tendant ad bonum, an ad malum? Quoad has, libertas adhuc plena est; quoad illas, admodum debilis. Nam frequentissimè in proposito, consilia mentis exorbitant, vel in executione voluntas, ob impedimenta multiplicia, intentione suâ excidit: quo respectu Arbitrium ab Augustino vocatur *claudicans* & *vulneratum*. Vid. Mentzer. Exeg. h. l. p. 603.

14. Similiter & actiones superioris ordinis, aut ad bonum, aut ad malum vergunt. Ad malum arbitrio irregenitorum, æquè ac regenitorum, concedimus libertatem Prov. I. 24. Matth. XXIII. 37. Act. VII. 51. Hebr. X. 26. Ad bonum

verò irregenitis omnem libertatem denegamus: quippe quorum vires non tantùm attenuatæ; ſed omnino amiſſæ & extinctæ ſunt: ut adeo Spiritus S. in regeneratione eas non modò ſuſcitet & augeat; ſed penitus de novo producat, juxta illud Auguſtini de Corrept. & Gratiâ c. 14. *Deus trahit homines ſuis ipſorum voluntatibus, ſed quas ipſe operatus eſt.*

15. Defectus ille virium ad bonum, non dependet ex ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam; ſed ex originali corruptione in causâ ſecundâ, quæ â parentibus, per carnalem generationem, in poſteros propagatur.

16. Non tamen ex iſtâ corruptione fluit neceſſitas peccandi ſpecialis; ſed duntaxat generalis. Proinde Irregenitus non neceſſariò eſt fur, homicida &c. quamvis neceſſariò ſit peccator.

17. Diſcernendæ etiam ſunt quæſtiones: an irregenitus habeat libertatem, ad averſandum bonum ſpirituale? & an habeat libertatem, ad appetendum, vel perficiendum illud? Poſteriorem inficiamur, priorem admittimus. Averſatio autem boni non aliquod bonum eſt; ſed malum.

18. Inde itaque Arbitrium irregeniti ad bonum in ſpiritualibus non liberum, ſed ſervum dici haberique debet: quem titulum Lutherus libro ſuo contra Eraſmum, qui de *Libero Arbitrio* ſcripſerat, præpoſuit. Neque tamen primus eâ deſcriptione uſus eſt, ſed ante eum Auguſtinus aliquoties *Arbitrium*, in eodem ſenſu, *ſervum* dixit, de quo exempla collegit Gerhardus in Loco de L. A. n. 66.

19. Reliqua in illo Lutheri libro *de Servo Arbitrio*, emolliet prudens lector, obſervando, quod iſta omnia non abſolutè intelligantur; ſed reſpectivè, habitâ ratione Adverſariorum Lutheri.

20. Neq; enim quærebatur, an ullo modo; ſed an in ſenſu Scholaſticorum admitti poſſet Arbitrii libertas? quod Lutherus magnâ vehementiâ inficiebatur.

Βεβαίω-

βεβαίωσις. Probamus I. *Hominem irregenitum, post lapsum, habere aliquam libertatem, ad bonum inferioris ordinis, quod rationi subjectum est,* 1. ex Rom. II. 14. 15. Quia *Gentes, quæ legem non habent,* dicuntur (1) *sibi ipsis Lex esse,* (2) *ea quæ legis sunt,* scilicet juxta convenientiam operis externam, *facere* (3) talia (*φύσει*) *naturâ,* seu naturaliter præstare. Hæc est illa *justitia carnis,* quæ justitiæ Spiritûs opponitur Rom. X. 3. de quâ etiam discrimen virtutum & vitiorum, in libris & vitâ gentilium testatur.

2. ex aliis Scripturæ dictis, Ezech. XXIII. 30. 31. Marc. VI. 20. Actor. XIII. 7.

II. *Hominem irregenitum, post lapsum, nullam prorsus habere libertatem ad bonum superioris ordinis, seu in Spiritualibus,* 1. ex 1. Cor. II. 11. 12. 14. Quia irregenitus (1) non habet *Spiritum, qui ex Deo est. Spiritualia* verò, utpote, quæ ex Deo sunt, *nemo novit, nisi Spiritus Dei* v. 11. Jam si ne novit quidem, multò minùs liberè circa ea versatur (2) habet *Spiritum mundi,* pugnantem cum spiritu, qui ex Deo est v. 12. Ejusmodi spiritu mundi inflatus, in omni sapientiâ suâ nequit cognoscere Deum 1. Cor. I. 21. Nam in meris tenebris versatur, nec lucem capit Joh. I. 5. (3) est (*ψυχικὸς*) *animalis,* in oppositione ad (*πνευματικὸν*) *spiritualem,* v. 14. Describitur autem homo animalis, quod *Spiritum non habeat.* Judæ v. 19. At ubi Spiritus non est, ibi nec libertas ad spirituales operationes esse potest (4) *non percipit, quæ sunt Spiritus Dei* v. 14. Ex quo colligimus, quod nec liberè agat, quæ sunt Spiritûs Dei (5) *non potest intelligere* v. 14. Satis esset, si non intelligeret. Nam *quod non est intellectu, illud nec est in voluntate* adeoque nec in Arbitrio. Paulus verò ulteriùs progreditur, asserens, quod ne quidem intelligere *possit,* (6) *Stultitia ei est* v. 14. Quæ autem stultitia nobis sunt, ea tantùm ridemus & rejicimus, ac consequenter nullo modo approbamus, aut approbare possumus.

2. ex aliis Scripturæ dictis Pſ. XIV. 2. 3. Joh. I. 5. 2. Co.. III. 5. Epheſ. IV. 18.

Ἀντίθεσις. Sunt, qui errant 1. in defectu, quando homini irregenito, ne quidem ad bonum, inferioris ordinis, libertatem aliquam concedunt, ut (1) Manichæi, de quibus in Apol. p. 346. (217) (2) Ex Reformatis, quotquot omnia immutabili DEI decreto fieri contendunt. Ita autem non poſſunt non ſentire, qui præſcientiam Dei, rerum præſcitarum cauſam faciunt. Vid. Mentzer. Exeg. p. 613. (3) Quackeri Vid. Quackeriſmus Confut. Art. 8. Hypoth. n. 1 p. 472.

2. in exceſſu, quando homini irregenito, etiam ad bonum ſuperioris ordinis, libertatem adſcribunt, ut (1) Pontificii, quotquot Janſenium & aſſeclas oppugnant. (2) Sociniani, qui inter hominem ante lapſum & poſt lapſum, ſub reſpectu ad voluntatem hujusque libertatem, diſtinctionem nullam intercedere contendunt. (3) Synergiſtæ, qui nomen inde acceperunt, quod hominem Deo, in primâ ſui converſione, cooperarium aſſociant. (2) Pietiſtarum, quorum Synergiſmus manifeſtò ex eo elucet, quia ſtatuunt (α) homini naturâ ineſſe propenſionem ad redunitionem cum Deo, à quo per peccatum avulſus eſt. Supplem. Synopſ. Art. 14. Th. 1. (β) hominem, priusqnam verbum Dei in corde percipiat, abnegatione ſui, humilitate, obedientiâ & precibus ſe ipſum præparare, Spiritui S. ſiſtere, divinarumque operationum capacem reddere. Ibid. Th. 3. (γ) hominem prius cor ſuum â peccati ſordibus purgare, quàm fidei capax fieri queat. Ibid. Art. 20. th. 4. (5) Hyperpietiſtarum, quorum hypotheſes exhibentur in Wigandianis tit. de Lib. Arbitr. p. 45.

Theſis II. *Homo regenitus, poſt converſionem, novis gratiæ viribus inſtructus libertatem aliquam, ad bonum ſuperioris ordinis, ſive ſpirituale accepit, ita ut Deo cooperari queat; non tamen in præſenti hâc vitâ, absque luctâ carnis perpetuâ.*

Ἔκθεσις 1. De Homine irregenito actum est, jam ad regenitum progredimur.

2. Ille post conversionem accipit libertatem aliquam ab immutabilitate, in eo consistentem, quod voluntas non amplius tantum determinetur ad malum; sed & bonum aliquod spirituale præ malo eligere, itemque circa illud bonum, operari vel non operari queat.

3. Ita tamen, ut libertas hæc non sit à naturâ; sed à gratiâ.

4. Nam Spiritus S. initio per gratiam prævenientem in homine spiritualiter mortuo, ante omnem motum salutarem voluntatis, obicem cordis ita removet, ut ille ulteriores gratiæ motus admittere queat; ac deinde per gratiam perficientem, ipsum conversionis actum operatur, mentem illuminando, voluntatem renovando & facultatem verè Deo obediendi concedendo, ut homo è statu peccati in statum fidei translatus, nova creatura efficiatur; tandemque per gratiam subsequentem, homini converso in sanctitatis studio assistit atqua ita cooperando absolvit, quod operando incepit.

5. Huc pertinent dicta Patrum, quæ malè ad convertendos transferuntur; cum de conversis agant, v. gr. Chrysostomi: *Deus nolentes non cogit, sed volentes trahit*; & Basilii: *Tantùm velis, & Deus præcurrit:* videlicet per concessionem novarum virium, quibus homo regenitus, ad renovationem vitæ opus habet.

6. Sic actus Conversionis est solius Dei; actus autem conversi, simul est Dei & Hominis. Qui enim à Deo tantùm patiebatur in conversione; jam Deo cooperatur post conversionem. Eoque tendunt Scripturæ dicta Esaiæ I. 19. 1. Cor. IX. 17. 2. Cor. IIX. 11. 1. Joh. V. 3.

7. Homo tamen, etiam post conversionem, non potest dici causa socia Dei in bono opere; sed causa subordinata. Vid. Form. Concord. p. 945, 950. (674, 675.)

8. Porrò distinguimus inter præsentem & futuram vitam.

9. In præsenti hac vitâ, regenitus, post conversionem, bonum liberè agit, sed non absque luctâ carnis adversus spiritum: ubi electio boni procedit ex viribus supernaturalibus, in conversione concessis; adhæsio autem mali, ex reliquiis carnis naturalibus, usque ad mortem superstitibus.

10. In alterâ demum vitâ libertas omnimoda concedetur, de quâ Eph. V. 27. Col. I. 28. Huic libertati non officiet defectus indifferentiæ ad bonum & malum; quippe quæ potiùs perfectionis, quàm imperfectionis indicium est. Nam imperfectio est, peccare posse; maxima autem perfectio erit, peccare non posse.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Hominem regenitum novis gratiæ viribus instrui, atq; ita libertatem aliquam, ad bonum superioris ordinis accipere, ut Deo cooperari queat*: 1. ex Ezech. XXXVI. 25, 26, 27. ubi processus, quem Deus ante Regenerationem, in ipsâ Regeneratione & post Regenerationem observat, eleganter describitur. Audimus enim, quod Deus *cor lapideum amoveat*, scilicet per gratiam prævenientem: quod *cor novum idque carneum det*, scilicet per gratiam perficientem: quod *Spiritum suam ponat in hominibus*, scilicet per gratiam subsequentem. Sic instructi novis viribus, accipiunt libertatem (1) in *præceptis Dei ambulandi*, (2) *judicia ejus custodiendi*, (3) *bene operandi*. Obiter notandum, quod in initialibus verbis, quando mentio fit aspersionis, respiciatur ad *aquas vaccæ ruffæ cineribus temperatas* Num. XIX. 9. tanquam ad typum baptismi Act. II. 38. 1. Cor. VI. 11. itemque sanguinis Christi. 1. Johan. I. 7.

2. ex 1. Cor. II. 12. 13. ubi Apostolus de Regenitis loquens, indicat, eos accepisse *Spiritum, qui ex Deo est*, à quo renovetur (1) intellectus, ut *sciant, quæ à Deo donata sunt nobis* & *possint dijudicare omnia* (2) voluntas, in actus externos

ternos se diffundens, ut *loquantur sermonibus, quos docet Spiritus S. & spiritualibus spiritualia comparent.*

3. ex aliis Scripturæ dictis Matth. VII. 17. XII. 35. Rom. VIII. 5. 2. Cor. III. 17.

II. *Hominem, licet regenitum, in præsenti hâc vitâ, bonum agere cum luctâ carnis perpetuâ.* 1. ex Rom. VII. 14, 15, 17.——24. Quia ipse etiam Regenitus, qualis Paulus Apostolus, cum de se hic loqueretur, erat, ex parte reliquiarum pristinæ vetustatis, manet (1) *carnalis* v. 14. *venundatus sub peccato* v. 14. (3) *cum peccato in se habitante* v. 17. 20. & *adjacente* v. 21. (4) *agens, quod non probat* v. 15, 19. (5) *non reperiens, ut faciat bonum, quod vult* v. 18. (6) *habens legem in membris, repugnantem legi mentis* v. 23. (7) *captivatus in lege peccati* v. 23. (8) *infelix, quod liberari nequeat* (ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου) de *corpore mortis huius, vel de corpore hoc mortis* v. 24. Si prior expositio placeat, videtur Paulus peccatum comparare cum re subsistente, nempe *corpore*, propter vires, quas in ipsum edebat; uti & alibi facit Rom. VI. 6. Si posterior interpretatio arrideat, sensus erit, quis me liberabit ex hoc corpore, tanquam subjecto peccati, & per peccatum etiam mortis; uti alias *Vir mortis* dicitur, qui mortem promeritus est, aut morte affici potest. 1. Sam. XII. 5. XIX. 28.

2. Ex aliis Scripturæ dictis 1. Cor. XIII. 10. Gal. V. 17.

Ἀντίθεσις est 1. Socinianorum, qui nullam distinctinctionem inter hominem irregenitum & regenitum, hac in parte admittunt.

2. Enthusiastarum, ut Quackerorum & quorundam Anabaptistarum, qui nullam in piis concupiscentiam malam, adeoque nec luctam inter carnem & spiritum superesse fingunt.

3. ex Pietistis eorum, quos scribere non pudet (1) hominem durante hac vitâ ejusmodi statum obtinere posse, in quo

quo extra ſenſibilem luctam adverſus peccata conſtitutus, cum Chriſto ut victor & triumphator regnet. Supplem. Synopſ. Art. 13. Th. 1. lit. σ. (2) renatum ſe ex Catechiſmo peccatorum â Decalogo, quem non ſervaverit, convictum, fateri non debere. Ibid. Th. 2. ad lit. ψ.

III. VINDICATIO.

Accuſamur,

I. Quod doctrina noſtra de Libero Arbitrio ſit impia & ſtulta, quâ homo, ſaltem irregenitus, in beſtiam, rationis expertem, convertatur. Sic Bellarm. Præfat. Librorum de Gratiâ & Lib. Arb. Reſp. Calumniam ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, facile dilui. Conf. Th. 1. Addatur, ſi placet, **Die Prüfung des Pabſtthums** c, 6. p. 68.

II, Quod Lutherus & Melanchton aliter docuerint ante & aliter poſt Confeſſionem exhibitam, ut proinde in Confeſſione fucum fecerint Cæſari & Statibus. Sic Fabricius, Daventrienſis, Hoffmeiſterus &c. Reſp. Dici illud; non verò probari. Contrarium oſtendunt Balduinus L. 4. Anti-Pazmanni c. 5. & Gerhardus Loco de Libero Arbitrio §. 64. Carpzov. Iſagog. in Libros Symbol. h. l. p. 483.

3. Quod Auguſtana Confeſſio & Formula Concordiæ pugnent: quandoquidem illa Liberum Arbitrium concedat; hæc verò rejiciat. Sic Collonitſch in Antiauguſt. Confeſſ. Reſp. Auguſtanam Confeſſionem concedere Liberum Arbitrium, in actionibus inferioris ordinis; Formulam Concordiæ verò rejicere idem in actionibus ſuperioris ordinis. Nulla igitur pugna eſt. Plura vid. in D. Alberti Refutat. P. 2. c. 3. Qu. 16. p. 203.

IV. Quod Auguſtana Confeſſio, prouti exhibita fuit, admiſerit, hominem ſibi relictum poſſe ſpiritualem juſtitiam facere, ſi modò à Spiritu S. adjuvetur. Sic Fabricius & Daventrien-

-tiensis, itemque Synergistæ. Resp. Diversum patere ex ipso textu. Addatur Form. Concord. p. 932. (664.)

V. Quod exemplar Augustanæ Confessionis, Libro Concordiæ insertum, in hoc Articulo non conveniat cum Prototypo. Sic Fabritius & Forerus. Resp. Sycophantiam hanc refutari in Apolog. Pupillæ Saxon. c. 26.

VI. Quod Pontificii, per calumniam accusentur Pelagianismi, imprimis quòd doceant, hominem ex naturalibus viribus, posse diligere Deum. Sic Daventriensis, Hoffmeisterus, Fabricius, Henrici, Bellarminus. Resp. Veritatem ad oculum patere, si evolvantur Svarez L. 5. de Auxiliis Gratiæ c. 1. Tannerus, Lessius, Molina &c. Conferantur etiam Scripta Jansenistarum contra Jesuitas & ex nostris, Mentzerus Exeg. A. C. h. l. p. 605. seqq.

VII. Quod Pelagiani illa non docuerint, quæ ipsis in Aug. Conf. tribuuntur. Sic Hagerus. Resp. Ipsum Bellarminum L. 6. de Gratiâ & Lib Arbit. c. 7. eadem pro Pelagianis agnoscere, cum quo Obtrectator priùs transigat, quàm nobis negotium facessat.

IIX. Quod Augustinus, aut quisquis Autor est Libri 3. Hypognost. unde illa, quæ in Augustanâ Confessione sub nomine Augustini extant, petita sunt, non omnia dicat, quæ à nostris in hoc Articulo asseruntur, ut adeo perperam ibi scribatur: *Hæc totidem verbis dicit Augustinus:* cùm nihil dicat de defectu virium in spiritualibus. Sic Thomas Henrici. Resp. Pronomen relativum HÆC, non referri ad proximè præcedentia, ubi de spiritualibus agitur; sed ad totum contextum, inprimis ad ea, de quibus potissimùm controversia erat. Imputabatur enim nostris, quod simpliciter negarent, hominem habere ullam libertatem, etiam in rebus rationi subjectis: id quod negatur, allegatis Augustini verbis, tanquam sententiæ nostræ consentaneis.

ARTICULUS XIX.

DE

CAUSA PECCATI,

I. EXPLICATIO.

IN breviſſimo hoc Articulo, Autor variatæ Confeſſionis, nihilominus quod mutaret reperiit, partim augendo, partim minuendo. Auxit enim, quando poſt verba: *Avertit ſe à DEO:* addidit: *ad alias res, contra mandata Dei*: quæ haud multum moramur. Minuit verò, dum tres priores voculas amputat in iſtis: *Non adjuvante Deo, avertit ſe à Deo.* Quæ cum extruderet Melanchton, procul dubio rimam elabendi aperiit iis, qui de concurſu Dei circa peccata, impiè philoſophantur.

Cæterùm in Confeſſione invariatâ p. 12. (15) exhibetur

I. THESIS IPSA

1. remotivè: quod cauſa peccati non ſit Deus. *De cauſâ peccati docent, quod tametſi Deus creat & conſervat naturam.*
2. poſitivè, quod cauſa peccati ſit voluntas malorum. *Tamen cauſa peccati eſt voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit ſe à Deo.*

II. THESEOS PROBATIO, ex Joh. IIX, 44. *Sicut ait Chriſtus Joh. 8. Cum loquitur mendacium, ex ſe ipſo loquitur.*

IN APOLOGIA p. 349. (p. 219, 220) eadem propè verba repetuntur, atque hoc tantùm additur, quod Articulus iſte ab Adverſariis recipiatur.

II. DE-

II. DEMONSTRATIO.

Thesis. *Tametsi Deus peccatorem creet & conservet; malumq; praevideat & dum violenter haud impedit, fieri permittat; peccata etiam peccatis puniat; ac impœnitententem, per ulterioris specialisq; gratiae suspensionem, vel ablationem, deserat; imo quandoq; Satanae, à quo induratur, tradat: nihilominus ad ipsum peccatum nequaquam cooperatur, adeoq; ejus nec causa per se, nec causa per accidens, dici haberive potest, aut debet.*

Ἔκθεσις 1. Ante omnia distinguimus inter malum pœnae & culpae. De illo agitur Es. XLV. 7. Thren. III. 38. Amos. III. 6. Hoc idem est cum peccato, de quo jam pluribus dicemus. Augustinus eodem sensu (contra Adimant. c. 26. T. 6) discernit mala, *quae homo facit & quae patitur.* Ac Tertullianus (L. 2. contra Marc.) mentionem facit *malorum delicti, ac malorum supplicii.*

2. Deus creat peccatorem materialiter; non formaliter spectatum: sive quod idem est: creat eum, qui peccat & mala operatur; sed non quatenus peccat & mala operatur.

3. Conservatio Peccatoris in eo consistit, quod Deus subjectum peccati, tam proximum, quàm remotum, in esse suo sustentat. Per subjectum remotum intelligimus ipsum hominem; per subjectum proximum actionem hominis, in se consideratam. Sic e. gr. blasphemans, sine Deo neque esset, neque os aperiret, aut lingvam moveret, verbaque adeo formaret; quod tamen necessariò facit, blasphemando. Enimverò ἀταξία seu vitiositas, tam naturae, quam actioni blasphemantis adhaerens, à Deo non est; sed tantùm ab homine: Deus enim de illâ non magis participat, quàm aër aut aqua, sine quibus peccator existere aut agere non posset. Videantur plura superiùs Art. 1. de Deo Th. 10. p. 42.

4. Ex prævisione mali, ad influxum, non valet consequentia. Sic Mathematicus prævidet ecclipsin; Medicus eventum morbi; Esaias direptionem thesauri Hierosolymitani 2. Reg. XX. 17. sine influxu ad rem prævisam. Reliqua jam dicta sunt ad Artic. I. de Deo. Th. 9. p. 38. 39. n. 5. seq.

5. Permissio mali, à parte Dei, tantùm consistit in eo, quod non violenter impedit. Neque enim Deus antevertens peccata agit juxta potentiam absolutam; sed juxta ordinatam, quâ non vult creaturam voluntariè agentem, violenter à peccato retrahere; quippe quod nihil aliud foret, quàm liberè agendi potentiam ei adimere & ex agente voluntario, involuntarium facere. Huc respiciens Augustinus in Enchirid. inquit: *Non dubitandum est, Deum facere benè, etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt malè.*

6. Certè Deus non vult malum fieri; quamvis velit permittere, ut malum fiat: sive ut alii efferunt: Deus permittens, non vult peccatum; quamvis Deus volens permittat peccatum. Aliud enim est permissio; aliud objectum permissionis: Illa â Deo est; hoc â Deo non est.

7. Circa objectum malum, quod permittitur, DEus neque versatur volendo; neque nolendo; sed non volendo. Nam velle aliquis dicitur, in quod pleno assensu fertur: Nolle autem notat absentiam voluntatis, cum actione contrariâ: Non velle significat nudam στέρησιν, absque reluctatione.

8. Ex dictis constat, permissionem peccati respectu Dei non esse ignorantis, neque simpliciter inviti, neque concurrentis; sed duntaxat non operantis & ab actione, quâ validè peccatum impediretur, abstinentis.

9. Eadem permissio non excludit concursum Dei, causam secundam in agendo sustentantis; quamvis excludat concursum Dei, causam secundam in malè agendo adjuvantis.

10. Istud quoque addendum, quod Deus peccatum impediat;

pediat; non tamen violenter. Nam & ante peccatum dehortationibus ac comminationibus, in verbo ſuo, cavet, ne fiat; & poſt peccatum, invitatione ad pœnitentiam curat, ne continuetur.

11. Quò de viribus ad evitanda peccata neceſſariis, aliquid dicamus, illis ante lapſum ſufficienter inſtructus erat homo, ut ex gratiâ creationis, poſſet non peccare; quamvis nondum accepiſſet, ex gratiâ confirmationis, ut non poſſet peccare. Hoc enim præmii loco Angelis, in ſanctitate fortiter perſiſtentibus, conceſſum eſt. At verò cum homo Satanæ ultrò obſecundaret, per lapſum vires in ſupernaturalibus, juſto Dei punientis judicio, amittebat, ut proinde ipſe in culpâ ſit, quod jam defectu virium laboret.

12. Errant gravisſimè, qui Deum propterea cauſam peccati eſſe contendunt, quod hominem non fecerit impeccabilem. Neque enim omnis denegatio eſt cauſa rei, ex denegatione ſequentis; ſed tantùm denegatio ejus, quod ex obligatione debetur. Sic Joſephus non fuiſſet cauſa homicidii, ſi uxor Potipharis ſe, ex impatientiâ amoris, cujus expletionem ille denegabat, interemiſſet: cum Joſephum nulla obligatio ad hoc faciendum impelleret; ſed contraria potius obligatio retraheret. Cur igitur â Deo majorem virium menſuram, quàm primo homini conceſſit, exigeremus: cum nulla eum obligatio ad quicquam largiendum obſtrinxerit? Rectè Auguſtinus L. 11. de Geneſi ad Lit. c. 10. *Quia omnipotens posſet, cur non fecit? quia noluit: Cur noluit, quia IPSE noluit. Puto autem non parvi boni eſſe rationalem creaturam, quæ malorum comparatione, cavet malum.*

13. Quandoque Deus peccata peccatis punit. Tametſi enim pœna & culpa formaliter & in abſtracto differant; nihilominus materialiter & in concreto convenire poſſunt. Rom. I. 28. 2. Theſſ. II. 11.

 14. Hac

14. Hâc videlicet obſervatâ cautione, ut non eodem, ſed diverſo reſpectu, aliquid ſimul pœna & culpa dicatur: pœna quidem ratione paſſionis; culpa autem ratione actionis: ubi locum invenit Proſperi verſiculus:

Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.

15. Atque inde patet, pœnam quæ culpa eſt, â Deo eſſe; ſed non quatenus culpa eſt. Sive ut aliis verbis efferamus: Id quod culpa eſt, non convenit Deo, ratione eſſentiæ & in actu ſignato; veruntamen ratione applicationis & in actu exercito, quando nimirum Deus juſtiſſimus, pro tribunali decernit, ut per quod homo peccat, per idem quoque puniatur: ſi non per id, quod numericè vel ſpecificè idem eſt; ſaltem quod genericè,

16. Ejusmodi pœna, nunc per actum reflexum redundat in peccatorem ipſum; cum ille propter rejectionem gratiæ, ut paulò poſt uberiùs declarabitur, indureſcit, atque ex unâ injuſtitiâ in aliam delabitur; quod expertus eſt Judas Iſchariothes, cujus proditio plectebatur deſperatione: nunc per actum directum, ab uno peccatore tendit in alterum, e. gr. cum per rebellionem Abſalomis caſtigaretur adulteriũ Davidis.

17. In his ſimilibusque caſibus, Deus in Scripturâ circa peccatum agendo occupari dicitur: videlicet ratione finis; nequaquam verò ratione objecti. Nam poſteriori reſpectu, verba biblica, quibus actio ejuſmodi deſcribitur, in Deo meram permisſionem ſignificant 2. Sam. XII. 11. XVI. 10. XXIV. 1. 2 Paral. XIIX. 22. Rom. I. 24, 2. Theſſ. II. 11, 12.

18. Deſtinatio peccati ad pœnam Peccatoris, â Deo eſt; tametſi ipſa res deſtinata, à Deo non ſit, ſed duntaxat ab homine ac diabolo.

19. Impœnitentem Deus haud rarò deſerit; ſed aliâ prorſus ratione, quàm pium. Deſertio enim Dei, reſpectu piorum, eſt exploratoria, ut 2. Paral. XXXII. 31. & emendativa,

tiva, ut Esa. LIV. 8. At respectu impoenitentium, est vindicativa, quae ex voluntate Dei consequente & judiciali derivatur, juxta illud Augustini de Naturâ & Gratiâ c. 23. *Nunquam DEus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.* Quemadmodum verò Medicus, ob incorrigibilem aegroti intemperantiam, à curatione ulteriori desistens, non est causa mortis: ita nec Deus, propter praefractam impoenitentiam hominis, ab ulterioris gratiae concessione desistens, est causa peccati.

20. Desertio ista aut infert temporariam suspensionem, aut perpetuam denegationem gratiae. Suspenditur nempe ulterioris gratiae concessio in illis, qui corrigibiles fore praevidentur, v gr. in Davide post adulterium & homicidium. Conf. Ps. LI. 12, 13. Auffertur in illis, qui incorrigibiles esse praenoscuntur, v. gr. in Judâ Ischariothe. Conf. Matth. XXVII. 4, 5.

21. Deus unicuique offert gratiam sufficientem; non tamen irresistibiliter: quia homo Spiritui S. obicem ponere potest. Hoc si pertinaciter fecerit, locum invenit tritum illud: *Ab ingrato tolluntur beneficia.*

22. Loquimur de speciali gratiâ: quia Deus generali gratiâ hominem quemcunque, atque adeo etiam Peccatorem post desertionem, usque ad extremum vitae halitum prosequitur. Semper Deus vult omnium & singulorum misereri: Hinc omnes & singulos semper vocat: Sed gratiam vocationis spernenti ulteriores & specialiores gratiae gradus v. gr. per conversionem, justificationem, sanctificationem &c. non impertit. De gratiâ igitur haud ineptè usurpaveris, quod Physici de naturâ dicunt: Nam ut natura *non facit saltum*; ita nec Gratia.

23. Interdum Peccator omnino incorrigibilis Satanae traditur, tanquam executori divinae justitiae, à quo induratur. Haec

Hæc ut rectè percipiantur, ſciendum, indurationem dupliciter dici, pasſivè & activè: Pasſiva induratio ſemper peccatum eſt, cujus reſpectu homini, ob naturalem habitualemq; malitiam, *cor lapideum* adſcribitur Ezech. XI. 19. XXXVI. 26.

24. Activa verò induratio, vel ut actus reflexus adſcribitur Homini, in ſeipſum agenti & à ſeipſo patienti. Exod. IIX. 32. 2. Reg. XVII. 14. Hebr. III. 8. vel ut actus directus tribuitur Deo. Exod. IV. 21. VII. 3. IX. 12. X. 27. XI. 10. XIV. 8. Deut. II. 30. Joſ. XI. 20. Eſaiæ LXIII. 17. Joh. XII. 40. Rom. IX. 18. itemq; Diabolo Act. V. 3. Joh. XIII. 2. eo videlicet ſenſu, ut â Diabolo provenire intelligatur ceu culpa; â Deo autem ceu pœna.

25. Sic igitur Induratio ſimul eſt (1) â Deo, judicante ut homo ſit in poteſtate Diaboli, qui noluit uti gratiâ Dei, (2) à Diabolo, propter odium erga hominem avidè poteſtatem, ſibi divinitus conceſſam, arripiente, adeoque à Deo deſertum ad peccatum inſtigante, in executione mali propoſiti adjuvante, vitiisque magis magisque immergente. (3) ab Homine, in Diaboli intentionem & operationem conſentiente & à peccato in peccatum prolabente.

26. Ex quo patet, quod Induratio ratione ſubjecti, cui inhæret, ſit peccatum; ratione conſequentium, cauſa peccati; & ratione antecedentium, pœna peccati.

27. Quatenus autem Induratio pœna eſt, non notat ipſam cordis duritiem; ſed judicialem actum, quem ſequitur cordis durities: Et hoc quidem non per culpam Dei, utpote jure ſuo in puniendo utentis; ſed per culpam hominis, ultrò judicium Dei ſibi attrahentis.

28. In cauſam peccati inquirentes, loquimur de causâ verâ; cui opponitur conditio ſine quâ non, ut cauſa æquivocè ſic dicta.

29. Quomodò autem Deus maneat cauſa univerſalisſima, tametſi

tametsi ad formale peccati non concurrat, exposuimus in Art. I. de Deo Th. 10. in Ex𝔍. Observ. 6. p. 42.

30. Nomen causæ per accidens bifariam sumitur, propriè & impropriè: Impropriè quidem & abusivè, vel pro eo, quod tametsi causa non sit, causæ tamen accidentaliter jungitur, uti se habet Clericus iter faciens, ad pluviam; vel pro eo, ad cujus absentiam sequitur causatum, quemadmodum Christus se habere dicebatur ad mortem Lazari Joh. XI. 21. Propriè autem & competenter, pro causâ, quæ non ut talis, verè tamen influit ad causatum.

31. Ubi sciendum, quod non quæratur, an dentur causæ malarum actionum per accidens? sed an Deus sit talis causa? Illud concedimus; hoc negamus.

32. Non juvat Adversarios, Deum causam peccati per accidens statuentes, excusatio: Quod causa per accidens sit causa æquivocè sic dicta: Nam ut verum id foret: quod tamen verum esse pernegamus: phrasis illa nihilominus Deo haud conveniret: quippe de quo *non modò rectè sentiendum; sed & circumspectè loquendum est.* Impium verò & blasphemum, ipsorum gentilium judicio, censetur, dogma illud, quod DEus ullo modo sit causa peccati. Hoc enim Plato in Epinomide item L. 2. & 10. de Republ. nec non Simplicius in Epictet. c. 13. 34. &c. simpliciter rejiciunt. Vid. Mechovii Philos. Parænet. L. 4. c. 2. p. 306. seqq.

33. *Deus conclusit omnes sub incredulitatem* Rom. XI. 32. non hanc in illis operando; sed manifestando. Unde Gal. III. 22. *conclusio* eadem attribuitur Scripturæ, â quâ videlicet peccatum revelatur.

Βεβαίωσις. Probamus, *Deum nullo modo causam peccati dici posse, nec per se, nec per accidens*: I. ex Ps. V. 5. 6. 7. Quia (1) *Deus non vult iniquitatem* v. 5. Id quod specialiter observetur contra eos, qui Deum peccata ideo velle statuunt, ut in quibusdam hominibus misericordiam, in aliis justitiam ma-

 nifesta-

nifestare posset. Negabat istud olim & rectè quidem Augustinus L. 11 de Genes. ad Lit. c. 7. inquiens: *Non indiget Deus justitiâ recti; quantò minùs iniquitate perversi.* Et rursus L. 3. Confess. c. 2. *Malevola benevolentia est, si quis miserum aliquem esse velit, ut ejus misereatur.* (2) *non habitat juxta Deum malus* v. 5. Ubi verbum גור emphaticum est: notat enim *commorari velut peregrinum*; unde גֵּר *peregrinus*. Ex quo colligimus, malis nullum planè locum esse apud Deum, ne quidem ad tempus, ut accolis, aut inquilinis. (3) *non stant* (הוֹלְלִים) *stulti coram oculis Dei* v. 6. Adhibetur verbum הָלַל *insanavit*, de Impiis Ps. LXV. 5. quorum etiam conatus dicuntur (הֹלֵלוֹת *insaniæ* Eccles. VII. 25. *Stare* autem *coram Deo* est judicium Dei perferre 1. Sam. XII. 7. (4) Deus *odit operantes iniquitatem* & quidem *OMNES*: v. 6. quod non faceret, si apud quosdam peccati causa existeret. (5) *perdit loquentes mendacium* v. 7. Ab unâ autem specie peccatorum, nempe Mendacio, argumentamur ad reliquas: Nam Deus alibi iniquitates quascunq; punire legitur. Es. XIII. 11. Gal. V. 19 21. Locum igitur hic invenit illud Fulgentii L. 1. ad Monim. c. 27. *Cujus DEus est ultor, ejus non est autor.* (6) Deus (תָּעֵב) *abominatur* peccatores v 7. Inde alibi peccata dicuntur (תּוֹעֵבוֹת) *abominationes*, Levit. XIIX. 26. Deut. XX. 18 2 Reg. XVI. 3.

2. ex 1. Joh. II. 16. 17. Quia (1) quæcunque in mundo sunt (videlicet quatenus *mundus in maligno positus est.* 1. Joh. V. 19.) *non sunt à Patre cælesti.* (2) *Deus mundum cum concupiscentiâ suâ destruit* (3) qui *voluntatem Dei*, tanquam oppositam voluntati mundi, *facit, in æternum manet.*

3. Ex aliis Scripturæ dictis. Deut. XXXII. 4. Ps. XLV. 10. Sirac. X. 21. XV. 21.

Ἀντίθεσις est ex veteribus Florini Montanistæ; qui primus expressis verbis asseruisse perhibetur, Deum peccati autorem esse. Hunc secuti sunt Seleuciani. Ex propioribus huc pertinent

menti. Calviniani, præsertim veteres. Tametsi autem recentiores quidam de calumnia protestentur nullumq; ex antecessoribus suis blasphemum hoc dogma suum fecisse, jactitent, aliud tamen ex scriptis eorum patet. Nam Zwinglius de Provid. c. 5. scribit: *Numen ipsum autor est ejus, quod nobis est injustitia*. Et Calvinus L. 1. Instit. c. 18. §. 3. *Jam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum omnium* (nempe peccatorum, de quibus ibi agitur) *autorem, quæ isti Censores volunt, otiosè tantùm ejus permissu contingere.* Item Petrus Martyr in Epist. ad Rom. c. 1. *Non possumus inficiari, Deum esse causam peccati.* Plura exempla ex Zwinglio, Martyre, Szegedino, Eglino &c. congessit Schertzerus, in Colleg. Anticalvin. Loc. de Prædestinat. p. 344. sqq. Neque aliò tendunt hypotheses, expressis Scriptorum, qui iisdem servierunt, nominibus adductæ à Menzero in Exeg. A. C. h. l. p. 629. & Huttero super F. C. p. 183. seq. &c.

2. Inter Pontificios Dominicani, qui physicam prædeterminationem Dei, ad peccata usque extendunt.

3. Syncretistæ, ex quibus Calixtus tantùm censuit licitum esse, Deum dicere causam peccati per accidens. Multò autem audentior Dreierus, statuit necessarium hoc esse, quod aliter Scriptura explicari nequeat. Videatur liber Dreieri, cujus titulus est: *Solida Vindicatio Sanctitatis Dei.*

4. Inter Pietistas Spenerus, de quo vid. Supplem. Synops. Art. 13. Th. 3.

III. VINDICATIO.

Accusamur, quod Lutherus in *Libro de servo Arbitrio* & Melanchton *in Commentario super Epistolam ad Romanos*, aliter docuerint, quàm in hoc Articulo reperitur. Sic Andreas Fabricius & Johannes Hoffmeisterus. Resp. Dici illud; non probari: Tum etiam prioribus Lutheri scriptis derogant posteriora, in quibus mentem suam clariùs exposuit & declaravit.

ARTICULUS XX.
DE
BONIS OPERIBUS.

I. EXPLICATIO.

IN mutatâ Confeſſione, integer hic Articulus, aliis planè verbis, orthodoxiæ tamen non adverſantibus, proponitur. Nam Melanchton, poſtquam de calumniâ proteſtatus erat, initio exponit & perſtringit, quæ Pontificii hactenus de bonis Operibus docuerant, ſcribens: *Quod adverſarii criminantur, —— an hac vita genera placerent Deo.* Hinc noſtram ſententiam ſubjicit, ita ut primò agat de fide, pergens: *Itaque concionatores noſtri —— incipiat eſſe in homine juſtitia, non ſua, ſed Dei.* Deinde verò ad bona Opera progrediatur, in illis: *Cum neceſſariam de fide doctrinam —— quomodò ſint meritoria.*

Invariata Confeſſio tria exhibet,

I. Proteſtationem adverſus calumnias. *Falsò accuſantur noſtri —— vocatione Deo placeant.* p. 23. (15. 16.)

II. Incuſationem Adverſariorum, de quibus dicitur,
  1. quod olim ineptisſima docuerint. *De quibus rebus olim —— monachatum & ſimilia.* p. 23. (16.)
  2. quod nunc, in comparatione ad priora, aliquantò tolerabiliora adferant: *Hac adverſarii noſtri —— vetus ipſorum doctrina.* ibid.

III. Expoſitionem noſtræ ſententiæ
  I. de Juſtificatione, quod eam non ex operibus, ſed ſolâ Fide conſequamur. *Cum igitur doctrina de Fide —— recipiamur in gratiam* p. 23, 24. (16) Id verò in Confesſione ipsâ ulteriùs declaratur,
    1. ex Scripturâ. *Qui ſolus poſitus eſt mediator —— non*

a b

ex operibus. p. 24. (16.)

2. ex Patribus, nempe Auguſtino ac Ambroſio: Hic enim, tempore exhibitæ Confeſſionis, autor librorum *de Vocatione Gentium* cenſebatur; quos recentiorum ſolertia Proſpero Aquitanico vindicavit, *Et ne quis cavilletur —— merces eſſet operantis* p. 24. (17.)

3. ex rationibus,

1. quia noſtra doctrina conſcientias tranquillat. *Quanquam autem hac doctrina —— philoſophicam juſtitiam.* p. 25. (17.)

2. quia Pontificia doctrina conſcientias perturbat. *Olim vexabantur conſcientiæ —— peccatorum & juſtificationem.* ibid.

II. de Fide, ubi quid Fidei nomine intelligamus,

1. explicatur. *Admonentur etiam homines —— ab eo expectant.* p. 26. (17, 18)

2. autoritate Auguſtini illuſtratur. *Auguſtinus etiam —— perterrefactas mentes* p. 26. (18.)

III. de bonis Operibus,

1. quod ea neceſſaria ſint, non tamen ad juſtificationem. *Præterea docent noſtri —— peccatorum & gratia.* p. 18. (26. 27.)

2. quod ea non proveniant ex humanis viribus, ſine gratiâ Spiritus S. *Et quia per fidem —— nihil eſt innoxium.* p. 27. (18, 19.)

APOLOGIA Auguſtanæ Confeſſionis. p. 349. (220.)

I. Adverſarios arguit, malè ferentes, quod pernegemus, hominem bonis operibus mereri remiſſionem. *In Articulo XX. diſertè —— quo Spiritu agantur* p. 349. (220.) Oſtenditur autem

1. Idem doceri in Scripturâ. *Quid eſt enim certius —— blaſphemant Chriſtum.* ibid.

a b

a b.

2. neminem, ex majoribus adversariorum, idem cum ipsis hac in parte sensisse. *Nam etiamsi qui fuerunt, —audent ferre.* p. 350. (220.)

3. Imperatorem & Status ab illis circumveniri. *Neq; dubitamus—si essent admoniti.* ibid.

4. Christo non citra injuriam, ea quæ ipsi ab Esaiâ tribuuntur, auferri. *Infinita hoc loco—qualia opera doceant.* p. 350, 351. (220, 221.)

5. propter orthodoxiam in hoc nostro articulo, omnia patienter esse ferenda. *Videmus horribile decretum—articulo proposita est.* p. 351. 352. (221)

6. Animum testimoniis Pauli confirmari. *Non deerunt quærenti—iram Dei sufficere.* p. 352, 353. (221, 222.)

7. Reliqua pleniùs exposita esse, in superioribus, nempè in Art. IV. de Justificatione. *Sed suprà de totâ re—gratis propter Christum.* p. 353. (222.)

II. Objectiones Adversariorum dissolvit, petitas

1. ex Scripturâ. *Adversarii etiam addunt—non melius cohærentia.* ibid.
2. ex Antiquitate. *Postremò dicunt—fructus Spiritus.* p. 354. (222. 223.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Tantum abest, ut de bonis Operibus per se spectatis, contemptim sentiamus eademve prohibeamus, ut potius illa justificato, ad declarandam erga Deum obedientiam fideiq; veræ præsentiam, necessaria esse statuamus.*

31. Ἔκθεσις 1. Quæ Opera verè bona sint, & apud quos reperiantur, exposuimus ad Articulum VI. *de Novâ Obedientiâ* Th. I & II. Jam reliqua, huic argumento illustrando inservientia, adjiciemus.

2. Di-

2. Diſtingvendum verò ante omnia, inter bona opera conſiderata per ſe, de quibus Lutherus ſatis honorificè ſentit; & conſiderata per accidens, nimirum ratione fiduciæ in opera collocatæ, de quibus idem ille vir Dei in L. de Miſſâ inquit: *Caveamus â peccatis; ſed multò magis â Legibus & OPERIBUS BONIS; Tantùm attendamus Dei promisſionem & fidem.*

3. Neceſſaria autem ſunt bona Opera juſtificato; non ad juſtificationem, de quo plura adferentur in expoſitione Theſ. IV.

4. Cauſæ impellentes ad B. O. ſunt â parte Dei, mandatum ejus; â parte noſtri, obligatio ad declarandam erga Deum obedientiam, Mich. VI. 8. atque erga homines fidei præſentiam. Jacob. II. 18.

5. Renatus libertatem agendi & non agendi, itemque ſic & aliter agendi habet, in adiaphoris; nequaquam verò in operibus â Deo præceptivè, aut prohibitivè, determinatis.

6. Chriſtus enim, prouti nos liberavit â legis maledictione & coactione; ita non liberavit â legis obligatione.

7. Hinc juſtificato necesſitas incumbit juxta legem operandi: non tamen ſerviliter & metu pœnæ; ſed filialiter & amore juſtitiæ.

8. Ex dictis patet, non loqui nos de neceſſitate coactionis, quæ cum libertate voluntatis conſiſtere nequit. Rom. IIX. 2; ſed de necesſitate (1) mandati ex parte Dei, (2) debiti, ex parte hominum; (3) ordinis, ex parte juſtitiæ, ſuum cuique tribuentis; (4) conſequentiæ, ex parte fidei & juſtificationis, unde B. O. tanquam ex fonte profluunt.

9. Sic etiam diſtinctæ Quæſtiones ſunt, an facienda ſint B. O. & quomodò facienda ſint? Illam ſimpliciter affirmamus; ad hanc reſpondemus: B. O. non fieri debere coactè; ſed ſpontaneo ſpiritu. Pſ. CX. 3. 2. Cor. IIX. 12.

Βεβαίωσις, Probamus I. *Nos de B. O. non contemptim loqui,*

multò

multoq; minus eadem prohibere. 1. ex ipsâ Confeſſione Auguſtanâ; qui liber Eccleſiæ noſtræ Symbolicus eſt, atque de animi noſtri ſententiâ certisſimè teſtatur. p. 23. (15. 16.)

2. ex praxi quotidianâ: cum â noſtris non ex ſuggeſtu duntaxat in concionibus; verùm etiam in libris publicè editis, bona Opera Chriſtianis ſolicitè commendentur & inculcentur.

II. *Bona Opera juſtificato eſſe neceſſaria, ad declarandam erga Deum obedientiam fideiq; veræ præſentiam.* 1. ex Rom XII. 1. 2. Cum enim Apoſtolus, in præcedenti capite, de Juſtificatione egiſſet, jam ad ſtudium ſanctificationis progreditur, atque (1) bonorum Operum necesſitatem indicat. Nam *per miſerationes Dei hortatur*, vel etiam *obſecrat*: utrumq; enim denotatur per verbum παρακαλῶ (α) ut *exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, ſc. per quotidianam mortificationem 1. Cor. IX. 27. Gal. V. 24. in quo conſiſtit (λογικὴ λατρεία) *rationalis cultus*, olim per umbras irrationales, videlicet pecora immolata, ſignificatus (β) ne *conformemur huic ſeculo*, malis operibus planè immerſo 1 Joh. V. 19. ſed potiùs *transformemur* (ἀνακαινώσει τοῦ νοὸς) *renovatione mentis.* Conf. Rom. VI. 4. (2) Cauſam propter quam bona Opera agenda ſint; addit. Nam remittit nos ad Legem Dei, jubens ſic operando *probare, quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.*

2. ex Gal. V. 13—18. Rurſum Apoſtolus juſtificatis, cum quibus agit, ob oculos ponit (1) eos quidem *in libertatem* â maledictione legis, per Chriſtum *vocatos eſſe*; ſed hac conditione, ne *libertatem arripiant, ceu occaſionem datam carni*, h. e. naturæ corruptæ, ſeu carnalibus deſideriis v. 13. (2) illos obligari, *per charitatem ſervire proximo* & quidem juxta tenorem Legis: eò quod tota Lex, quantum ad proximum attinet, compleatur in hoc: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum* v. 14. Vid. Rom. XIII. 8, 9. (3) ipſis *in Chriſto*, hoc

eſt,

... nomine ipsius, adeoque juxta ejus voluntatem *dici*, seu præcipi, ut *spiritu ambulent, nec concupiscentiam carnis perficiant* v. 16. (4) *pugnam spiritûs adversus carnem* fortiter esse continuandam v. 17. (5) eos, si *spiritu ducantur*, ita ut legis opera sponte & libenti animo faciant, *non esse sub lege*, scilicet quà coactionem v. 18. Conf. 1. Tim. I. 9.

3. ex aliis Scripturæ dictis, in quibus bona opera exiguntur, ad declarandam erga Deum obedientiam 1. Cor. VI. 18. sq. 1. Petr. III. 15. Matth. V. 16. Phil. I. 9 seq. & fidei præsentiam. Jacob. II. 14. seq. Matth. VII. 18.

Ἀντίθεσις est 1 Pontificiorum, per calumniam nobis tribuentium, quod B. O. susque deque habeamus, imo ab iis nostros abducamus.

2. Antinomorum, qui docebant, legem, bona opera, novam obedientiam &c. non pertinere ad regnum Christi; utpote in quo non prædicandum sit, nisi de gratiâ, redemptione, salute &c.

3. Pietistarum, qui in calumniis de neglecto protritoque apud nos bonorum Operum studio, ipsos Pontificios propè superant, de quo evolvantur Wigandiana. p. 159.

Thesis II. *Nemo post lapsum, tametsi renatus sit, operibus suis, Legem Dei perfectè implere, multoq; minus opera, ut vocant, supererogationis præstare potest.*

Ἔκθεσις 1. Lex Dei requirit omnimodam obedientiam: non solùm externam, quam jactabant Pharisæi. Matth. XIX. 20. verùm & internam, quæ scilicet perfecta sit, quoad partes. Jacob. II. 10. Deut. XXVII. 26. quoad gradus. Matth. XXII. 37. Deut. VI. 5. & quoad durationem. Gal. III. 10. Ezech. XIIX. 24. XXXIII. 12.

2. Aliud autem est loqui de debito, seu obligatione; aliud de facultate implendi debitum, seu obligationem. Illa in omni

 homine

homine est; hæc in in nullo. Frustrà igitur objiciuntur mandata Dei. Matth. V 48. Joh. V. 14. 1. Cor. XV 34. 1. Jo. II. 1.

3. Id quod tamen haudquaquam ita accipi debet, quasi impletionem Legis, homini impossibilem esse statuamus simpliciter; cum nos jam hominem consideremus juxta statum præsentem, in quo versatur, postquam lapsus est.

4. Nimirum, qui ex Dei gratiâ acceperat vires sufficientes, in statu integritatis; is ex propriâ culpâ amisit vires illas, in actu corruptionis.

5. Ideo Lex ipsa dicitur *imperfecta* Hebr. VII. 19. nimirum non per se; sed per accidens: quia hominem lapsum non potest Deo reconciliare, tametsi in se sit sancta & spiritualis. Rom. VII. 12.

6. Ex dictis fluit, rationem, propter quam homo post lapsum Legem perfectè implere nequeat, non quærendam esse in imperfectione gratiæ divinitus concessæ; sed in imperfectione hominis, cui gratia illa conceditur: quippe qui eam non recipit, pro modo imprimentis; sed pro modulo receptivitatis suæ.

7. Proinde Sanctificatio activè, quà causam efficientem, rectè dicitur perfecta; tametsi passivè, seu quâ subjectum recipiens, statuatur esse imperfecta.

8. Renatus aut spectatur sub reduplicatione, quatenus renatus est; aut sub specificatione, quatenus adhuc reliquias carnis habet. Ille non peccat, imò nec potest peccare. Joh. III. 6. 1. Joh. III. 6. 9. Huic *volenti bonum facere, semper adjacet malum.* Rom. VII. 21.

9. Observandum verò, quod hæc divisio non sit realis, in diversa subjecta; sed modalis, unius ejusdemque subjecti, juxta diversos considerandi modos spectati. Idcirco non licet argumentari: Renatus, quatenus renatus, non peccat: Ergo aliquis renatus, perfectè implet Legem. Nam impletio

Legis

Legis est actio: Actio autem est suppositi: Nullum verò suppositum est Renatus, sub illâ præcisione, quatenus renatus est; propter corruptionem naturæ, post lapsum, in ipsis etiam sanctis, quamdiu vivunt, remanentem.

10. Interim opus hominis renati, per & propter Christum non desinit esse verè bonum; etsi sit imperfectè bonum. Nam veritas boni-operis opponitur hypocrisi; non imperfectioni.

11. Similiter penes Renatos est puritas secundum quid talis, nempe â peccatis regnantibus, eoque sensu vocantur immaculati. Ps. CXIX. 1. At jam requiritur puritas absolutè talis, nempe à peccatis omnibus.

12. Quandoque bonis operibus Renatorum adscribitur perfectio: sed partium duntaxat præcipuarum, si videlicet juxta præcepta utriusque tabulæ, per qualemcunque dilectionem Dei & proximi incedere studeant Luc. I. 6 non etiam perfectio partium omnium, multòque minus graduum.

13. Sic fulget perfectio in affectu, sive intentione, â quâ laudatur Josias 2. Reg. XXIII. 25. ut nihilominus desideretur perfectio in effectu, seu executione; quod ex temerariâ actione Josiæ liquet. c. eod. v. 29.

14. Sæpè Renati dicuntur in bonitate perfecti comparatè, sub respectu ad alios multò deteriores; nunquam verò absolutè.

15. Huc etiam spectant loca, in quibus Sancti jactant justitiam suam; in causâ videlicet cum adversariis; non cum Deo. Ps. VII. 9. XVII. 1. XIIX. 21. Nam coram Deo dicunt: *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?* Ps. CXXX. 3.

16. Quando iidem provocant ad tribunal Dei: intelligitur tribunal misericordiæ; non justitiæ: quippe quod David deprecatur. Ps. CXLIII. 3.

17. Præ cæteris conducit distinctio, inter Opera Renatorum considerata νομικῶς, seu legaliter; & εὐαγγελικῶς, seu gratiosè. Legaliter nemo perfectus est, propter aberrationem

multiplicem, â normâ actionum; ſed tantùm evangelicè, propter ſatisfactionem Chriſti pro peccatis, fide apprehenſam. Col. II. 10.

18. Hinc juſtitia Renatorum, per quam juſtificantur, non eſt inhæſiva; ſed imputativa. Pſ. LI. 9. Matth. V. 20.

19. Quod ad Opera, quæ à Pontificiis ſupererogationis vocantur, attinet, ea locum invenire poſſunt, inter homines mutuò, videlicet ſi quis plus eroget, quam impendendi gratiâ ab altero accepit, ut Luc. X. 35. ubi vulgata habet: *Si quid ſupererogaveris*; nequaquam verò inter DEUM & homines.

20. Tum enim quæ finguntur eſſe opera ſupererogationis; Luthero judice, rectiùs appellantur *opera ſuperarrogantiæ.*

Βεβαίωσις. Probamus I. *Neminem poſt lapſum, tametſi renatus ſit, operibus ſuis, Legem Dei perfectè implere poſſe.* 1. ex Proverb. XX. 9. Quia *nemo poteſt dicere: Mundavi cor meum: Mundus ſum à peccato meo.* Add. Job. XIV. 4. Eſ. LXIV. 6. Obſervandum verò, quod dicta hæc non opponantur piorum fiduciæ; ſed hypocritarum jactantiæ. Nemo poteſt dicere, ſe mundum eſſe, ſcilicet munditie propriâ: quamvis omnes in Chriſtum verè credentes teneantur ſe agnoſcere pro mundis, ſcilicet munditie Salvatoris ſui ipſis imputatâ. 1. Joh. I. 7.

2. ex Gal. V. 17. Quia (1) in omnibus hominibus *caro concupiſcit adverſus Spiritum.* Hæc autem concupiſcentia peccatum eſt. Rom. VII. 7. (2) etiam ſancti homines, interq; eos Paulus Apoſtolus, ex infirmitate *faciunt, quæ,* juxta legem, *non volunt facere.* Conf. quæ dicta ſunt Art. XIIX. de Libero Arbitrio Th. II. in membro βεβαιώσε© II. p. 389.

3. ex aliis Scripturæ dictis. Act. XV. 10. Rom. VII. 14. ſeq. IIX. 3. 4.

II. *Neminem opera, ut vocant, ſupererogationis, præſtare poſſe,*

posse, 1. ex membro priori Theſeos. Nam ſi ne quidem perfectè implere poſſumus Legem, multò minus poſſumus plus præſtare, quàm Lex poſtulat. Qui perfecti non ſunt, illi nec queunt haberi pro plus quàm perfectis.

2. ex Luc. XVII. 10. ubi poſitâ conditione, ſi vel maximè *omnia* fiant, nihilominus prohibetur gloriatio; quia injungitur agnitio (1) quod quæ facta ſunt, facta ſint *ex debito*; (2) quod propterea *ſervi inutiles* maneamus. Conf. Rom. III. 23. 1. Cor. I. 29.

Ἀντίϑεσις eſt 1. Perfectiſtarum inter Pontificios, Socinianos, Arminianos & Fanaticos, quibus jure meritoque accenſemus Pietiſtas & Hyperpietiſtas, de quibus evolvantur Wigandiana tit. de Perfectione p. 60. ſeq. itemque p. 155. nec non Supplem. Synopſ. Art. 24. Th. 6. & 7.

2. Pontificiorum, quibus perfectionem operum jactare parum eſt, niſi etiam de operibus ſupererogationis, quæ aliis communicari queant, gloriantur. Exempla literarum, quibus opera ſupererogationis aliis communicantur, referimus in *Exploratione Papatus*, (Prüfung des Pabſtthums) c. 22. in Appendice p. 382. ſeq.

Theſis III. *Cum meritum ſtrictè ſic dictum ſit opus agentis liberi, propriis viribus præſtitum, in commodum ejus, qui mercedem operi proportionatam, ſecundum juſtitiam permutativam, retribuere tenetur; falſum omnino eſt, bona opera ad remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam modo meritorio quicquam facere.*

Ἔκϑεσις. 1. Ante omnia cavendum, ne Meritum & Merces confundantur. Hæc enim latiùs patet, quàm illud: Unde vita æterna vocatur *merces*. Matth. V. 46. ſed ita, ut etiam dicatur *gratia*. Luc. VI. 32. Gratia autem & meritum ſunt *ἀσύςατα*, quæ ſe mutuò tollunt. Rom. XI. 6.

2. Deinde distingvimus inter Meritum strictè & latè dictum. Ad illud necessariò omnia requisita concurrunt; ad hoc sufficit, si unum vel alterum requisitum adsit.

3. Requisita verò Meriti vel respiciunt subjectum, vel efficientem, vel finem.

4. Quà subjectum, debet esse opus agentis liberi; non coacti. Nam ut actus moralis se habet.

5. Quà efficientem, debet propriis viribus præstari: quod enim ab alio gratiosè in nobis præstatur, per id non possumus ab illo, qui præstitit, quicquam mereri.

6. Quà finem, debet tendere in commodum ejus, qui mercedem retribuere tenetur: Loquimur autem de mercede secundum debitum; præter quam etiam datur merces secundum gratiam. Rom. IV. 4. cujusmodi merces dicitur vita æterna. Matth. V. 12. Es. XL. 10.

7. Porrò merces illa debet operi esse proportionata, seu analoga. Si enim inæqualitas obveniat inter opus & mercedem, jam merces non solvitur ex merito: quia aut plus solvitur, aut minus quàm par est.

8. Et quidem in retributione attendi debet justitia permutativa, seu compensationis, cujus fundamentum est dignitas rei; non tantùm justitia veritatis, cujus fundamentum est nuda promissio. De posteriori agitur, cum vita æterna justè conferri perhibetur. 2. Thess. I. 6. 7. 2. Tim. IV. 7. 8. Hebr. VI. 10. nimirum ex justitiâ, quæ promissione Dei nititur; quod patet ex Matth. XIX. 29. 1. Tim. IV. 8. Jacob. I. 12.

9. His præmissis patet, accuratè loquendo, hominem nihil prorsus mereri coram Deo; quia in nullo ejus opere omnia isthæc requisita concurrunt. Quodsi autem, ex usu antiquiorum Ecclesiæ Scriptorum, primi duntaxat requisiti præsentia contentorum, accipiatur Meriti vocabulum, nos etiamnum

iamnum cum Apologiâ Aug. Conf. p. 159. (96.) admittimus, *bona Opera meritoria esse: non remissionis peccatorum, gratiæ aut justificationis (hæc enim fide consequimur); sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium.* Eadem propè repetuntur p. 213. (137) Quibus in locis *Mereri* idem significat ac *τυγχάνειν obtinere*, seu *consequi.* Spectat huc illud Bellarmini L. I. de Gratiâ & L. A. c. 14. *Solet Augustinus Meritum appellare quemlibet actum bonum, ratione cujus aliquid aliud accipimus:* Et Cassandri, in Schol. Hymn. Eccles. *Vocabulum Merendi, apud veteres Scriptores Ecclesiasticos, ferè idem valet quod consequi, seu aptum idoneumq; fieri ad consequendum.*

10. Nos jam missis reliquis bonis, quæ à Deo consequimur, unicè, de remissione peccatorum & salute æternâ dicemus; quam nullatenus meritorio modo, ab operibus derivare licet. Cum ergo homines *digni esse* memorantur *vitâ*. Luc. XX. 35. Apoc. III. 4. ista dignitas non est operum seu activa, quæ procedit ex Merito; sed est personæ Deo reconciliatæ, seu passiva, quæ procedit ex gratiæ divinitus collatæ beneficio.

11. Ab eo quod locum habuisset in statu integritatis, ad id quod locum habet in statu corruptionis N. V. C. Tunc obtinuisset salvatio legalis Rom. II. 13. nunc ad salvationem evangelicam nobis est confugiendum. Huc referimus dicta Scripturæ, in quibus homini præcipitur, quid agere debeat, ut experimento frustrà facto, â Lege ceu pædagogo, ad Christum dimittatur. Lev. XIIX. 5. Deut. VI. 25. XXIIX. 1. Ezech. XX. 11. Matth. XIX. 17. Luc. X. 28.

12. Non statim definitur causa salvationis; cum describitur modus, quem Deus in salvando homine observat. Matth. V. 11. Rom. IIX. 18. 2. Cor. IV. 17. Jac. I. 12.

13. A merito damnationis, ad meritum salvationis, non licet argumentari. Illud procedit ex operibus perfectè malis, qualia

qualia ab homine præſtari poſſunt; hoc procedere deberet ex operibus perfectè bonis, qualia ab homine præſtari nequeunt.

14. Non negamus, Deum bona opera permutare ſeu compenſare præmiis, etiam æternis; quamvis negemus, hanc permutationem inſtitui, ex tenore divinæ juſtitiæ, adeoque meritoriè. Dat Deus aliquid *pro* alio; ſed non *propter* aliud: reddit *ſecundùm opera*; ſed non *ſecundum menſuram ſeu proportionem operum*. Matth. XVI. 27. Rom. II. 5, 6, 7. 1. Cor. III. 8. Gal. VI. 8. Apoc. II. 10. XXII. 12. Pſal. XXXII. 10. Prov. XIX. 17.

15. De Particula *PER* ſciendum, quod non ſemper indicet meritum; ſed quandoque nudam conditionem ſubjecti: ut adeo 1. Tim. II. 15. ſenſus ſit, *Fœminam ſalvari QUÆ parit*; non vero *QUIA parit.*

16. Similiter particulæ NAM, QUIA, PROPTEREA &c. in ſenſu ſtrictiori notant cauſam; in ſenſu autem latiori, antecedens quodcunq;, præſertim ſignum, ut Matt. XXV. 34. 35.

17. Tribulatio noſtra operatur gloriam æternam, 2 Cor. IV. 17. non tamen cauſaliter; ſed occaſionaliter, quatenus nos â rebus humanis avocat, & ad quærenda, quibus fides excitatur & conſervatur, media impellit. Alioqui enim afflictiones noſtræ negantur eſſe *dignæ gloriâ æternâ*. Rom. IIX. 18.

18. Charitas operit peccata 1. Petr. IV. 8. non in ſubjecto diligente; ſed in objecto, quod diligitur. Conf. Gloſſa marg. Lutheri.

19. Hebr. XIII. 16. malè, juxta Theologiam æquè ac Grammaticam, reddidit vulgata: *Hoſtiis promeretur DEus:* Vertendum quippe erat: *Hoſtiis* (εὐαρεστεῖται) *beneplacet ſibi DEUS.* Luth: Solche Opffer gefallen GOtt wol.

20. Pon-

Pontificii distingvunt inter Meritum de congruo & de condigno. Utrumque, juxta illos, est actus liberè elicitus: utrique retributio præmii convenit: utrobique inter laborem & præmium aliqua est proportio. In eo autem occurrit diversitas, quod ex eorum hypothesibus, merito de congruo respondeat liberalitas acceptantis; merito autem de condigno debitum præmiantis. Ut clarius ista exprimamus, Meritum de congruo illis est, cum homo juxta rigorem justitiæ, posset sibi ipsi relinqui; sed intuitu bonæ intentionis, quæ in illo est, decet misericordiam DEI, ei conferre gratiam primam: Meritum verò de condigno est, cum homo jam ita se gessit, ut Deus ex debito justitiæ, teneatur ei conferre gratiæ continuationem vitamque æternam.

RESPONS. PAULO MATTH. Wundsch/ Mævá-Bor.

21. Ita Pontificii, quibus non possumus assentiri. Nam bona intentio, tanquam fundamentum Meriti de congruo, nequit esse ante primam gratiam, adeoque nec mereri eam: Neque Deus unquam ex debito justitiæ, homini obligatur; quo ipso etiam Meritum de condigno evanescit.

Βεβαίωσις. Probamus, *bona Opera ad remissionem peccatorum & salutem æternam, modo meritorio haudquaquam influere,* 1. ex Definitione Meriti strictè sic dicti, quæ in ipsâ Thesi proponitur: Negatâ autem Definitione, negatur quoque Definitum.

2. ex Ps. CXXX. 3. *Si iniquitates observaveris, Domine, Deus, quis stabit?* Ubi interrogatio, more Hebræorum vim universalis negationis habet, sensusque est: *nemo stabit.* Si autem nemo coram Deo stare potest, sequitur nec quenquam coram Deo remissionem peccatorum & salutem æternam mereri posse: Qui enim hæc mereretur, ille utique coram Deo staret.

3. ex Rom. VI. 23. *Stipendium peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.* Ubi indi-

catur (1) quod mortem peccato mereamur: quippe cujus dicitur esse stipendium (2) quod *vitam aeternam ex gratiâ* consequamur, adeoque non ex merito. Rom. XI. 6. (3) quod unica causa meritoria vitæ æternæ, sit *Christus JEsus*: Nam vita æterna dicitur *gratia*, seu gratuita donatio *in Christo JEsu, Domino nostro*, tanquam eo, qui solus gratiam istam promeritus est. Conf. Rom. III. 24. seq.

4. ex analogiâ fidei, in aliis articulis. Nam si B. O. mererentur remissionem peccatorum & salutem æternam, sequeretur (1) Justificationem non esse gratuitam (2) Electionem è prævisione operum suspendi (3) Bonis Operibus perfectè legem impleri; quæ omnia veritati adversantur.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum.

Thesis IV. *Bona Opera, sub respectu ad salutem, sive producendam, sive conservandam, aut noxia, aut necessaria dicere, forma sanorum verborum prohibet.*

Ἔκθεσις 1. Cum Paulus nos jubet habere (ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων) *formam sanorum verborum* 2. Tim. I. 13. eo ipso indicat, in rebus Theologicis, non solùm rectè sentiendum; sed & circumspectè loquendum esse. Unde non ferendæ phrases quoquo modo suspectæ, etsi commodâ interpretatione ad orbitam reduci queant, ne quod plerumque fieri solet, *ex novis loquendi modis, nova* & quidem erronea *dogmata oriantur.*

2. Tale est illud, cum B. O. aut noxia, aut necessaria ad salutem, dicuntur. Utrumque enim si ab heterodoxo proferatur, damnamus, ùt heterodoxum; si ab orthodoxo, castigamus, ut minùs circumspectum.

3. Qui ex nostris B. O. dixerunt noxia ad salutem, intellexerunt B. O. non per se, sed per accidens spectata, videlicet respectu fiduciæ, in ea collocatæ. Qui adeò monendi fuerunt, ut sententiam retinerent; at lingvam calamumq; mutarent.

4. Similiter pronuntiaremus, si quis ex nostris B. O. diceret necessaria ad salutem, videlicet non producendam, vel conservandam, sed significandam & declarandam. Sententia mentis bona foret; sed expressio sententiæ, absque additâ declaratione, non satis tuta.

5. Concessimus, imo & demonstravimus, B. O. esse necessaria in Th. I. sed jam negamus, esse necessaria ad salutem. Hanc enim appendicem, nec volumus, nec possumus ferre.

6. Interim cum de salute quæritur, non negamus Operibus bonis, in subjecto habili (exclusis scilicet infantibus, iisq; qui in ultimo vitæ articulo convertuntur) necessitatem præsentiæ, sub nudo respectu ad subjectum, de quâ Apostolus loquitur Rom. II. 2. IIX. 13. X. 10. Hebr. X. 36. quamvis impugnemus, necessitatem efficientiæ, quatenus ad salutem, seu producendam, seu conservandam, ut causæ influentes referuntur; itemque sub respectu quocunque alio ad salutem, juxta illud quod in Formulâ Concordiæ legitur: *In Ecclesiis nostris meritò hoc notum, certum & firmum esse debet, quod phrases & propositiones illas, de bonis operibus ad salutem necessariis, non sint docendæ, defendendæ, pingendæ, sed potius, ut falsæ & non sinceræ, explodendæ atq; rejiciendæ.* Art. 4. p. 986. (705.)

7. Distingvimus etiam inter loca Scripturæ, in quibus describitur homo justificatus & in quibus describitur causa justificationis ac consequenter salutis. B. O. nunquam habent respectum ad justificationem, ut causæ; sed ad justificatum, ut adjuncta 1. Joh. II. 10. IV. 12. Jac. I. 25. 1. Tim. II. 15. similiter 2. Pet. I. 10. ubi in vulgatâ perperam textui originali adduntur hæc verba: *PER BONA OPERA.* Huc spectat illud Augustini L. de Fide & Operibus C. 4. *Bona Opera non præcedunt justificandos; sed seqvuntur justificatos.*

8. B. O. ut anteà innuimus, pertinent ad salutem demonstra-

monstrativè; non autem causativè: quo sensu accipiuntur loca, Luc. VII. 47. 1. Joh. III. 14. & præ cæteris Jac. II. 21. 22. 24. in quo Jacobus Paulo contradicere videtur; sed tantùm videtur: Nam Paulus per justificationem intelligit absolutionem â peccatis; Jacobus autem declarationem absolutionis, seu signum ejus externum, coram Ecclesiâ, prouti constat ex v. 18. 20.

9. Plura videantur superiùs Art. IV. de Justificatione Th. 4. p. 152.

Βεβαίωσις. Probamus I. generaliter, *quod in Ecclesiis Evangelicis abstinendum sit ab ejusmodi modis loquendi*, utpote qui expresse rejiciuntur in Formulâ Concordiæ p 834, 835, 984 989. (590, 591. 704, 708.)

II. Specialiter, quod cum formâ sanorum verborum pugnet assertio 1. *Bona Opera esse noxia ad salutem.* Nam Scriptura eorum necessitatem inculcat, quamvis sine respectu ad salutem. Vid. in hoc Art. Thes. 1.

2. *Bona Opera esse necessaria ad salutem*: Hoc enim si intelligatur (1) de salutis productione, ex adverso Scriptura docet, nos salutem consequi solâ fide, prouti ostendimus Art. 4. Th. 4. p. 152. sq. (2) de salutis conservatione, tum Scriptura, prouti fidem depingit, tanquam unicum medium apprehendendi salutem; ita eandem quoque sistit, tanquam unicum medium retinendi salutem. 1. Petr. I. 5. Proinde repetimus memorabilia verba celeberrimi, cùm viveret, Theologi & Philosophi, Amici animo meo conjunctissimi, D. Alberti, *de Interesse Religionum* Art. 6 Th. I. §. 9. p. 298. Ille enim, postquam verbis Hülsemanni ostenderat, propositionem, de quâ agimus, ab Ecclesiâ Evangelicâ tribus vicibus exclusam esse, nimirum in Artic. VI. August. Confess. in Colloquio Altenburgensi & per Formulam Concordiæ, ipse pergit: Addo ego: (4) *Rejecta est in nupera hâc lite cum*

Helmsta-

Helmstadiensibus, à maximâ parte Ecclesiæ Lutheranæ. Imo jam anno 1535. Lutherus Witteberga, cum in quadam publicâ disputatione pro Papisticâ sententiâ de Operum necessitate, argumentum proponeretur, plus quinquies ingeminavit hanc vocem, suo & totius sui collegii nomine: Propositionem, bona Opera esse necessaria ad salutem, volumus damnatam, abrogatam, ex Ecclesiis & Scholis nostris penitus explosam.

Ἀντίθεσις est 1. Nicolai Amsdorffii, magnorum alioqui meritorum Theologi, qui phrasin illam, B. O. esse noxia ad salutem, quamvis citra hæreseos contagium adhibuit, inter paradoxa referendam.

2. Majoristarum & Syncretistarum, qui B. O. necessaria ad salutem dicenda esse censuerunt & scripserunt.

3. Pietistarum & Hyperpietistarum, qui Majoristicum dogma, ex Ecclesiâ proscriptum, per posticam reducere annituntur. Vid. Supplem. Synops. Art. 22. Th. 7. Wigandiana Tit. de Justificatione n. 2. p. 58, 59. Piet. Sect. Art. 16. n. 6, 7, 8 & 9. item n. 16.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod bonis Operibus *detrahamus;* sic plerique Pontificiorum: quod *venerimus legem solvere & prorsus ex hominum animis extingvere;* sic Andreas Fabricius: quodque *Epicureismum & Atheismum* introducamus; sic Antonius Possevinus, Lorichius & Adamus Hungerus. Resp. Calumniam istam, perlectâ Augustanâ Confessione ejusque Apologiâ, in hoc Articulo, veluti nebulam â sole dispelli. Ipse Bellarminus L. 4. de Justific. c. 7. nobis testimonium sequens præbet: *Adversarii in eo conveniunt, quod Opera bona non sint necessaria nisi necessitate præsentiæ, cujus propositionis hic sensus est: ut Opera bona fieri debeant, quoniam alioqui fides nec esset viva, nec vera, nisi fructus bonos faceret; quomodò ignis non est ignis,*

 nisi

nisi calefaciat; tamen bona Opera non habeant ullam relationem ad salutem. &c.

II. Quod calumniemur Pontificios, quasi ante Lutherum de *Operibus verè bonis parum docuerint, & in Concionibus tantùm puerilia & non necessaria urserint. &c.* Sic Bellarminus in Judic. de Lib. Concord. Resp. ubi rerum testimonia adsunt, non opus esse verbis. Atqui illi, qui Aug. Conf. in quâ hæc extant, confutare jubebantur, suo tempore negare ista non audebant. Et Bellarminus expressè fatetur Tom. VI. Oper. Conc. 26. *Aliquot annis, antequam Lutherana hæresis oreretur, nulla propemodum fuerat religio.* Vid. plura ap. Carpzov. Isag. ad h. l. p. m. 515.

III. Quod *miseri nesciamus, quid dicamus:* Si enim fides, quâ justificamur, nihil aliud sit, quàm fiducia, quæ credit, quod propter Christum habeamus remissionem peccatorum; sequi illud, quod nihil ad fidem pertineat, quicquid utriusque Testamenti scriptis traditur, extra hunc articulum remissionis peccatorum: Sic Andreas Fabricius. Resp. Committi ignorationem elenchi: Neque enim docemus, quod Fides nihil aliud sit, quàm fiducia remissionis; sed quod illa fiducia sit præcipua pars fidei, præter quam etiam, ut partes fidei se habeant Notitia & Assensus: Harum verò partium objectum est, quicquid Deus in Scripturâ nobis revelavit.

IV. Quod articulus XX. per ταυτολογίαν repetitus sit; eo quod in antecedentibus, nimirum in Art. IV. & VI. eadem jam proposita fuerint: Sic Johannes â Daventriâ. Resp. Superiùs de bonis Operibus tantùm incidenter actum esse; jam igitur etiam ex professo de iis agendum fuisse: præsertim cùm in hoc Articulo, præ cæteris adversarii in docendo se impios & erga plenariam Christi satisfactionem ingratos ostenderent. Accedit, quod impræsentiarum aptè locum inveniat

niat tritum iſtud: *Nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.*

V. Quod Auguſtinus perperam pro nobis adducatur p 17. quippe qui in Juſtificatione non excluſerit opera ipſa, in ſe ſpectata, ſed tantùm opera, quæ extra gratiam fiant, qualia intellexerint Pelagiani: Quinimo ipſum Auguſtinum in libro de Fide & Operibus eos hæreſeos accuſaſſe, qui arbitrantur, *Fidem ſine operibus ſalvare.* Sic Bellarminus & Andreas Fabricius. Reſp. quod ab Auguſtino, quando de Juſtificatione agit, opera ipſa, quomodocunque ſe habeant, in oppoſitione ad fidem, excludantur, teſtimoniis ex iſto allegatis ad oculum oſtendi â Gerhardo in Loco de Juſtific. §. 159. Cum verò Auguſtinus eos, qui Fidem ſine operibus ſalvare dicunt, hæreſeos accuſat, ille τὸ *ſine operibus* non ad prædicatum refert, ſed ad ſubjectum, prouti ipſemet explicat L. de Spiritu & Literâ C. 25. ſcribens: *Cum dicat Apoſtolus, gratìs juſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis, non hoc agit, ut perceptâ ac profeſsâ fide, opera juſtitiæ contemnantur, ſed ut ſciat quisque, per fidem poſſe juſtificari, etiamſi Legis opera non præceſſerint: ſequuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.*

VI. Quod ab AuguſtanâConfesſione receſſerimus: ſiquidem iſta bonorum operum necesſitatem adſtruxerit, quam Formula Concordiæ deſtruxerit: Sic Epiſcopus Collonitſch in Confesſione Antiauguſtanâ. Reſp. Nullam occurrere contradictionem. Nam & Formula Concordiæ agnoſcit bonorum operum necesſitatem; non tamen ad ſalutem; qualis necesſitas nec in Auguſtanâ Confesſione adſtruitur. Pluribus iſta explicat D. Alberti, in Refutat. Antiauguſtan. Confesſ. P. 2. c. 3. Qu. 17. p. m. 209. ſeqq.

ARTI-

ARTICULUS XXI.

DE CULTU SANCTORUM.

I. EXPLICATIO.

MUtata Confesſio propè totum huncce Articulum, aliis verbis exhibet, ita tamen, ut orthodoxiæ nihil derogarit: Namque ibi legimus: *De veneratione Sanctorum docent, quod utile ſit Sanctorum memoriam proponere, ut eorum exemplis fidem noſtram confirmemus: Item, ut eorum fidem & bona opera imitemur, quantum cujusq; vocatio requirit: ut Cæſar exemplum Davidis imitari poteſt, in bello gerendo, ad repellendos Turcas; namuterq; Rex eſt. Debemus etiam gratias Deo agere, quod tam multa & glorioſa exempla miſericordiæ ſuæ propoſuerit Eccleſiæ in Sanctis. Item quod Eccleſiam pulcherrimis donis ac virtutibus Sanctorum ornaverit. Laudandi ſunt & ipſi Sancti, qui donis Dei piè uſi ſunt, & ad ornandam Eccleſiam contulerint. Cæterùm Scriptura non docet invocare Sanctos, ſeu auxilium à Sanctis petere, ſed unum Chriſtum nobis proponit mediatorem, propitiatorem, pontificem & interceſſorem. De hoc habemus præcepta & promisſiones, ut & ipſum invocemus, & ſtatuamus, exaudire preces noſtras, cum ad hunc Pontificem & interceſſorem confugimus, ſicut inquit Johan. XVI. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Johan. XIV. Quicquid petieritis in nomine meo, id faciam: Hæc teſtimonia jubent ad Chriſtum confugere, jubent ut Chriſtum ſentiamus eſſe interceſſorem & placatorem, jubent ut confidamus nos exaudiri à Patre propter Chriſtum De*

Sanctis

Actis verò, nec præcepta, nec promissiones, nec exempla sunt in hanc sententiam in Scripturis. Et obscuratur officium & honos Christi, cum homines confugiunt ad Sanctos, & hos ducunt esse mediatores, eosq́ invocant, & sibi fingunt opinionem, Sanctos esse benigniores; atq́ ita fiduciam, debitam Christo, transferunt in Sanctos. At Paulus inquit: Unùs est Mediator Dei & hominum. Hunc igitur cultum præcipuè requirit Christus, ut sentiamus ad ipsum confugiendum esse, ipsum esse intercessorem, propter quem certò exaudiamur.

Invariata Confessio p. 28. (19) de Cultu Sanctorum agit

- I. Positivè, indicans in quo debeat consistere. *De Cultu Sanctorum—uterq́ Rex est.*
- II. Remotivè, ostendens, in quo non debeat consistere: Ubi exhibetur
  - 1. Thesis: *Sed Scriptura non docet invocare Sanctos, seu petere auxilium â Sanctis.*
  - 2. Theseos ratio. *Quia unum Christum—advocatum apud Deum &c.*

APOLOGIA Augustanæ Confessionis p. 355. (223)

- I. Examinat, quæ contra hunc Articulum adferuntur: Sistitur enim
  - 1. Censura nostræ Confessionis. *Articulum XXI.—rhetoricantur.* p. 355. (223)
  - 2. Judicium de censurâ illâ, quod
    - 1. constet meris paralogismis. *Neq́ tamen aliud—non de invocatione.* ibid.
    - 2. adversetur antiquitati. *Neq́ reliqui veteres—testimonia veterum Scriptorum.* p. 355. 356. (223)
- II. Declarat uberiùs,
  - I. quid nostri hac in parte sentiant, videlicet quod statuant,

a

1. Sanctos esse trifariam honorandos. *Confessio nostra probat——necessaria, rixantur* p. 356. (223.224)

2. In Scripturis Canonicis legi de oratione Angelorum pro nobis; non autem de oratione Sanctorum mortuorum, quamvis interim haudquaquam negetur. *Præterea & hoc——Machabaorum posteriore.* p. 356. 357. (224.)

3. Si vel maximè Sancti pro nobis orent, non tamen propterea invocandos esse:

   1. quia de eo in Scripturâ nihil habetur *Porrò ut maximè pro Ecclesiâ——singulorum preces.* p. 357. (224.)

   2. quia oratio talis absque fide peragitur, & consequenter oratio non est, neque ad eam quisquam cogi debet. *Nihil afferri potest——non est oratio.* p. 358. (225.)

   3. quia exemplum Ecclesiæ, quod à Pontificiis allegatur, novum & inconveniens est. *Nam quod allegant Ecclesia——invocationi singulorum.* ibid.

II. quid Adversarii prætereà in medium proferant, videlicet

1. quod Sanctis divinitatem tribuant, fingendo, eos cogitationes hominum cernere: *Quidam planè tribuunt——quæstuosos cultus defendant* p. 357. 358. (224 225.)

2. quod merita Sanctorum pro aliis applicent, atque ita ex Sanctis non solùm deprecatores, sed etiam propitiatores faciant. Hic

   1. Thesis Heterodoxorum

      1. generaliter proponitur. *Deinde adversarii——etiam propitiatores.* p. 358: (225)

      2. specialiter exponitur.

a b c

II. quod

-v-c

1. quod frustrà distingvant inter Mediatorem intercessionis & redemptionis. *Faciunt enim eos mediatores — mediatores redemptionis.* ibid.
2. quod magis confidant misericordiæ Sanctorum, quàm Christi. *Fingunt enim homines — re ipsâ mediatores redemtionis.* p. 359. (225)
3. in compendio repetitur. *Hic adversarii primùm jubent —— meritis eorum salvemur* p. 361. (227)
4. exemplis illustratur. *Passim usurpatur —— in horâ mortis suscipe.* p. 362. 363. (227. 228)

2. Antithesis orthodoxa opponitur, consistens in eo
1. quod honor Christi perperam transferatur in Sanctos. *Id nullo modo ferendum est. Nam hic prorsus transfertur in Sanctos proprius honor Christi.* Et post pauca: *Atq; etiam illud — transfert in Sanctos.* p. 358. (225.)
2. quod quæ ad propitiatorem requiruntur, in solo Christo inveniantur; non in Sanctis. *Itaq; ostendimus quod verè — placatum Patrem.* p. 359. 360. 361 (225. 226. 227.)
3. quod malè ex aulis Regum deducatur, per mediatores ad Deum esse eundum. *Ubi autem institutus est —— cur quærimus alios?* p. 361 (227)
4. quod Maria non æquanda sit Christo, aut in ejus locum substituenda. *Ut largiamur, quod —— judex & ultor.* p. 362. (228.)
5. quod opinio adversariorum, tanquam injuria in Christum, meritò explodatur. *Nos autem sentimus —— aut aliorum Sanctorum.* p. 361. 362. (228. 229)

3. quod Sanctis certas procurationes assignent: Ubi sententia Adversariorum

a 1. delineatur. *Haret & hic error——tueatur equum.* 364. (229)
2. refutatur, tanquam
1. ex gentilismo orta. *Hæ persvasiones——defendere equites &c.* ibid.
2. Scripturæ contraria. *Et fingamus—idq; res ostendit.* ibid.
3. ex tenuibus & tolerabilibus initiis nimium provecta. *Videtur initio—abusus secuti sunt.* p. 365. (229.)

4. quod imagines Sanctorum colant
1. vulgares. *Ab invocatione ad imagines—certo tempore sculptis.* ibid.
2. artificiosè, ad decipiendum vulgus, fabricatas. *Vidimus in quodam—aut annuere.* ibid.

5. quod prodigiosas fabulas de Sanctis confinxerint, atque interim, quæ expendi in illis merebantur, neglexerint. Ubi considerandum specialiter
1. quid adversarii fecerint. *Et tamen omnium—Polyphemus aliquando extitisset.* p. 365. 366. (229. 230.) Et post quædam alia: *Sed histriones quidam—in cultu Sanctorum taxamus.* p. 367. (230. 231.)
2. quid iidem facere debuerint. *Cumq; Sancti maximas res—proderat recitari.* p. 366. 367. (230.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Tametsi verisimile sit, Sanctos demortuos in Ecclesiâ triumphante, generaliter orare pro Ecclesiâ militante; atq; nos insuper fateamur, eos gratâ memoriâ, celebratione virtutum ac piâ imitatione meritò honorari; nullatenus tamen admittere possumus, vel ut mediatores seu propitiatores, aut adjutores, vel etiam ut intercessores seu deprecatores, invocandos esse; falsaq; sunt, quæ de procuratione certorum negotiorum, Sanctis singulis competente, in Papatu traduntur.*

Ἔνδειξις

Ἔκθεσις 1. ex Thesi patet, de Sanctis demortuis nunc agi; non de viventibus. Ab his ad illos N. V. C. Unde impertinenter allegantur loca Joh. XLII. 8. Jerem. XV. 1. Baruch. III. 4.

2. Adversarii, in formatione status controversiæ monent, se non loqui de Sanctis V. sed N. T. Nobis Sanctorum in utroque Testamento eadem ratio est; sed quia Adversarii Sanctis V. T. cultum invocationis denegant, eo ipso omnia testimonia, pro tali cultu, ex V. T. conquisita, tutò rejiciuntur.

3. Largimur, dari communionem inter Ecclesiam triumphantem Sanctorum in cœlo, & militantem Sanctorum adhuc superstitum in terrâ; negamus verò ejusmodi subjectionem militantium erga triumphantes, ut illi hos religiosè invocare debeant.

4. Alia quæstio est, an Sancti demortui orent pro viventibus fratribus? & alia, an propterea invocandi sint, ut orent? Illam admittimus; hanc inficiamur. Atqui & in Ecclesiâ militante, alter pro altero orare jubetur 1. Tim. II. 1. Jac. V. 16. quamvis nullus ab alio invocari debeat, ut oret.

5. Oratio Sanctorum demortuorum pro viventibus, duntaxat generalis est; non specialis: quia specialia, quibus viventes indigeant, non norunt, prouti in Thesi sequenti exponemus.

6. Porrò haud inficias imus, Sanctos demortuos esse honorandos; quamvis negemus, esse invocandos.

7. Distingvimus ergò inter honorem ordinatum & inordinatum. Quomodò Sancti demortui, juxta voluntatem Dei, in Scripturâ revelatam, honorari debeant, exponitur in Apolog. p. 156. (223. 224.)

8. Nempe consistit honor ille, in *gratâ memoriâ, celebratione virtutum, ac piâ imitatione:* sed quoad ea, quæ verè narrantur de Sanctis; non autem quoad ea, quæ affinguntur

Sanctis. Nugas enim illas, quæ in Legendis, Passionalib. similibusque libris, *ferrei oris & plumbei cordis*, (ut Claudius Espencæus de *Legendâ*, quæ vocatur, *aureâ* loquitur) de prodigiosis & superstitiosis Sanctorum actionibus, nihil ad ædificationem facientibus, adferuntur, jure meritoque spernimus. Conf. 1. Cor. XIV. 26.

9. Excusatio Adversariorum, quod Sanctos pro Mediatoribus intercessionis; non redemtionis habeant, nulla est: quia ad merita eorum provocant. Vid. Apolog. p. 358. (225) In Scripturâ verò, ne quidem ut intercessores invocandi, describuntur.

10. Mentio quidem fit in Sacris promissionum sanctis Patribus factarum: sed â promissionibus Dei, ad merita hominum non licet argumentari. Conf. Exod. XXXII. 13. 1. Reg. IIX. 25. Ps. CXXXIII. 1. in quo ultimo loco vulgata habet: *Memento, Domine, David & mansvetudinis ejus:* pro quo in textu Hebræo legitur: *Memento, Domine, David & afflictionis ejus*; quia videlicet afflictio videbatur impugnare promissionem de regno Davidi factam 1. Sam. XVI. 13.

11. Alius Vulgatæ error est, in illo Gen. XLIIX. 16. *Invocetur super eos nomen meum* (scilicet Jacobi); *nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac*: cum verti debeat: *Vocentur de nomine meo, & Abrahami, & Isaaci*: Sic enim exprimitur Hebraismus ille, Es. IV. 1. Jac. II. 7. Actor. XV. 17. Vid. Exercitatio nostra de Concil. Hieros. c. 34. §. 9.

12. Hominis impii, qualis Saul fuit, exemplum, non nisi impiè Christiano, ut norma actionis, proponitur, ex 1. Sam. XXIIX. 14. Ut nil dicamus, de eo, quod Saul ibi non Samueli, sed diabolo, in Samuelis formâ apparenti, honorem exhibuerit.

13. Simile illud, quod per Sanctos adeundus sit Deus, quemadmodum per Ministros adimus Regem, jam suo tempore

ore rejecit Auctor Commentar. in Epistolam ad Romanos, Ambrosio adscriptorum, inquiens: *Solent miserâ uti excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum; sicut per Comites pervenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti; cum de hac re, si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur Majestatis. Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei, deferunt creaturæ & relicto Domino, conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod servetur Deo. Nam & ideo ad Regem per Tribunos aut Comites itur, quia homo utique Rex est & nescit, quibus debeat Remp. credere. Ad Deum autem, quem utiq; nihil latet: omnium enim merita novit: ad promerendum, suffragatore non opus est, sed mente devotâ. Ubicunq; enim talis locutus fuerit illi, respondebit illi.* Add. Apol p. 362. (227.)

14. Si propterea invocandi sunt Sancti, quia sunt Filii ac Servi Dei, sequitur omnes Christianos in mundo superstites esse invocandos, quia omnes sunt Filii ac Servi Dei. Joh. I. 12. Rom. VI. 22. 1. Petr. II. 16.

15. Miracula, quæ pro invocatione Sanctorum urgeri solent, nos haud movent, præmonitos â Spiritu S. ne hujusmodi argumento nimium tribuamus. 2. Thess. II. 9. 10.

16. Quod Sancti non sint otiosi, credimus: quod verò post mortem procurationibus certis defungantur in terris, non credimus; e. gr. quod curam gerat boum Pelagius: equorum Eulogius, & cum his vena est secanda, Stephanus: ovium Wendelinus: anserum Gallus: porcorum Antonius &c. quod mures avertat Nicasius: glires Gertrudis & Ulricus: bruchos Magnus: fulmen Scholastica: quod fruges tueatur Lupus: vites Urbanus & Medardus: sanitatem Servatius: quod conjugio præsit Andrêas: fœcunditati cingulum Mariæ: parturientibus Margaretha & Notpyrgis: negotiatoribus Erasmus:

mus:

mus: equitibus Georgius: Theologis Augustinus: Jc. Ivo: Medicis Cosmus & Damianus: Philosophis Catharina: Studiosis Gregorius: Fabris ferrariis Eulogius: fabris lignariis Josephus: figulis Goarus: sartoribus Gutmannus: sutoribus Crispinus & Crispinianus; textoribus Severus, pictoribus Lucas; venatoribus Hubertus & Eustachius: nautis Nicolaus: molitoribus Arnoldus: quod opituletur contra febrim Petronella & in specie contra quartanam Sigismundus: item contra epilepsiam Johannes & Valentinus: contra oculorum vitia Otilia: contra dentium dolores Apollonia: contra asthma Blasius: contra mammarum exulcerationem Agatha: contra pudendorum morbos Apollinaris: contra matricis affectum Stephanus: contra arthritidem Wolffgangus: contra calculum Liborius: contra rabidi canis morsum Hubertus: contra venena Johannes Evangelista & Benedictus: contra pestem Sebastianus, Rochus & (risus teneatur) sanctus Sudarius: contra obsessionem à dæmone Anastasius & Romanus &c. Sic & regiones quæque suos habent præfectos, ut Germania Georgium: Hispania Jacobum: Gallia Dionysium & Genovefam: Polonia Stanislaum & Ladislaum: Hungaria Ludovicum & Mariam Aquisgranensem: Borussia Albertum &c.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Verisimile esse, Sanctos demortuos in Ecclesiâ triumphante, generaliter orare pro Ecclesiâ militante:* quia legimus eos orare contra tyrannos Apocal. VI. 9. 10. Convenientiùs autem videtur Sanctis pro alio orare, quàm contra alium. Cæterùm directè Thesis ista ex Scripturis demonstrari nequit, juxta Apolog. p. 357. (224.)

II. *Eos meritò honorari à viventibus, gratâ memoriâ.* Hebr. XIII. 7. *celebratione virtutum*, Sirac. XLIV. 1. seq. *piâ imitatione*, Hebr. XIII. 7.

III. *Eos non esse invocandos*, 1. ex Ps. L. 15. Quia Deus sibi

...cultum vendicat. Nam (1) jubet *se invocare in die ..ibulationis*; non autem alios (2) promittit ultrò auxilium, tametsi nullus alius interveniat: *Eripiam te*; (3) indicat sibi gratias referendas esse; non alii: *Glorificabis me*. Quis ergò sanæ mentis honorem Deo debitum Sanctis deferret? Conf. Ef. XLII. 8

2. ex Luc. XI. 1. 2. Quia Christus, cum ab Apostolis rogaretur, ut eos orare doceret, jubet *Patrem cælestem* invocare; non Sanctos. Conf. Matth. IV. 10. ubi ad *solum* Deum expressè restringitur, quod hic indefinitè de *Patre* dicitur.

3. ex aliis rationibus, quæ exhibentur in Apologiâ p. 357. 358. (224. 225.)

IV. *Eos nec pro mediatoribus, nec pro intercessoribus habendos esse*, ex 1. Tim. II. 5. & 1. Joh. II. 1. 2. Quia (1) non nisi (εἷς μεσίτης) *unicus mediator est, inter Deum & homines*, (2) idemque etiam est *advocatus* noster. Add. Rom. IIX. 34. 1. Joh. II. 1. (3) Et quidem talis Advocatus, qui tum voce, tum *merito* sufficienter interpellat: Nam *propitiatio est pro peccatis totius mundi*.

V. *Falsa esse, quæ de procuratione certorum negotiorum, Sanctis singulis competente, in Papatu tradantur*, (1) Quia de iis nec vola nec vestigium in Scripturâ exstat, quæ Deum describit, ut ubique præsentem, Jer. XXIII. 23. 24. omnia quibus in verbo suo alios non præfecit, immediatè regentem. Sap. XII. 15. precantes ubique audientem Psal. XCIV. 8. 9 (2) Quia figmentum hoc, de procuratione certorum negotiorum, Sanctis, seu ut in Papatu vocantur, Divis singulis, quasi Semideis, competente, ex gentilismo originem ducit, quod uberiùs ostenditur in Apolog. p. 364. (229)

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui (1) Sanctos invocant, Apol. p. 355. (223) (2) plus commodi ex misericordiâ Sanctorum, quàm Christi expectant. Apol. p. 358. (225) (3)

Sanctis certas procurationes assignant Apol. p. 364. (...)
(4) Prodigiosa de Sanctis fingunt, Apol. p. 365. sq. (230. 231)

Thesis II. *Quod Sancti demortui omnia, quæ in toto terrarum orbe geruntur, aut in precibus ab iis expetuntur, ipsasq́ etiam cogitationes hominum cognoscant, nec in Scripturâ, nec in sanâ ratione, ullum fundamentum habet.*

Ἔκθεσις 1. Ante omnia distingvimus inter notitiam generalem eorum, quæ in terris, præsertim in Ecclesiâ, geruntur; & inter notitiam specialem. Illam habent Sancti demortui, ex reminiscentiâ eorum, quæ dum ipsi in vivis essent, accidebant, & consideratione moniti Salomonei Eccl. I. 9. seq. Hanc verò iisdem denegamus; quâ tamen instructi esse deberent, si invocandi forent.

2. Posito, non concesso, quod Sancti demortui quædam, ex peculiari revelatione, de statu superstitum in terris percipiant, ex eo tamen concludi nequit, quod uniuscujusq; miserias, gemitus &c. norint. Hæc verò si non norunt, frustrà ad avertendas miserias, aut exaudiendos gemitus, vel etiam ad deprecandum pro aliis, invocantur. Id qui faciunt, surdis fabulam narrant.

3. Seqvuntur Sancti Agnum quocunq; iverit Apoc. XIV. 3. sed quoad communionem beatitudinis; non omnipræsentiæ, vel omniscientiæ.

4. Scholastici cognitionem Sanctorum in cœlis, distingvunt in matutinam & vespertinam. Illam vocant, quâ divinam essentiam in lumine verbi, & creaturas in ipsâ DEI essentiâ, veluti in speculo relucentes, cognoscunt; hanc verò, quâ naturali intellectus sui virtute, res creatas cognoscunt. Origo distinctionis petita est, ex libro Augustini super *Genesin ad Literam*, qui Angelis Matutinam & Vespertinam visionem assignat: Scholastici verò eadem, ad quoscunque

Beatos,

Beatos, in cœlesti patriâ degentes, transtulerunt. Cæterùm Scriptura nullum planè illius doctrinæ fundamentum suppeditat. Contrarium potiùs reperimus, nempe quod *specularis cognitio*, huic vitæ, in oppositione ad alteram vitam tribuatur. 1. Cor. XIII. 12.

5. Similiter & ista sine testimonio Scripturæ finguntur, quod Sancti miserias nostras cognoscant, ex relatione Angelorum ascendentium & descendentium: item quod ipsi mirâ celeritate, instar Angelorum, nunc in cœlis, nunc in terrâ sint &c. Cui commento Augustinus in L. de Curâ pro mortuis c. 13. T. 4. contradicit, inter alia scribens: *Si rebus viventium interessent animæ, ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nullâ nocte desereret &c. Sed profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est: quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus assumsit me. Si ergo dereliquerunt nos Patres nostri, quomodò nostris curis & rebus intersunt? Si autem Parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur?* Et post pauca sequitur: *Ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quæcunque aguntur, aut eveniunt, in istâ vitâ hominum.*

Βεβαίωσις. Probamus, quod quæ de cognitione isthac Sanctorum dicuntur, *nullum fundamentum habeant* 1. in Scripturâ. Hæc enim contrarium docet. Es. LXIII. 16. & 2. Reg. XXII. 20. ex quibus dictis ita argumentatur Augustinus l. c. *Esaias Propheta dicit: Tu es Pater noster; quia Abraham nos nescivit & Israel non cognovit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum, ageretur, ignoraverunt, quibus Deo credentibus, populus ipse de illorum stirpe promissus est: quomodò, mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandisque miscentur? Quomodò dicimus, eis fuisse consultum, qui obierunt, antequam venirent mala, quæ illorum obitum consecuta sunt: si & post mortem sentiunt, quæcunque in vita hu-*

manæ calamitate contingunt. Et poſt pauca idem ſanctus Epiſcopus, de mortuis ait: *In pace requieſcunt, ubi mala ulla, nec patiendo, nec compatiendo ſuſtinent.*

2. in ſanâ Ratione. Sic enim infinita foret Sanctorum ſcientia: Si autem ſcientia eorum infinita eſſet, utiq; & eſſentia infinita foret.

Ἀντίθεσις eſt Pontificiorum, de quibus vid. Apol. p.225.(358)ſqq.

Theſis III. *Reliquias Chriſti, aut Sanctorum colere, gratiæve impetrandæ ergo, quocunq; modo tractare aut adhibere, ſuperſtitio eſt.*

Ἔκθεσις. 1. Reliquiarum nomine, in ſenſu Pontificio, veniunt, quæcunque de Chriſto & Sanctis, ſive ut partes, ſive ut adjuncta corporis ſuperſunt, v. gr. Oſſa & Veſtimenta; item Inſtrumenta, quibus olim uſi, vel excarnificati ſunt, ſimiliter Lignum, Lapides &c. ſangvine eorum tincti, vel tantùm contactu honorati; nec non Terra ſepulchris impoſita, &c.

2. Ejusmodi res nec irreverenter habendas, nec religiosè colendas; ſed ita tractandas eſſe docemus, ne ſuperſtitioni fomentum ſuppeditetur.

3. Oſſa igitur Sanctorum, niſi hi aliud rationabiliter præceperint, in loco honeſto ſepeliantur, aut ſi jam ſepulta ſint, ibi relinquantur: quod Joſias fecit, ad cujus exemplum in aliis adverſarii provocant, 2. Reg. XXIII. 18.

4. Joſephus Patriarcha, jusſit transferri oſſa ſua in Palæſtinam: ſed ut ſepelirentur; non ut colerentur, Exod. XIII. 9. cum quo conf. Joſ. XXXIV. 32.

5. Ab eo, quod Deus aſſervari juſſit ſuper terram, ad id quod Deus recondi juſſit in terram (ut videlicet in pulverem redeat Gen. III. 19.) infirmum nectitur argumentum.

6. Quapropter cum Sanctorum oſſibus nihil commune habent Manna, Tabulæ legis & Virga Aaronis: quæ quidem

..an in arcâ asservabantur, Hebr. IX. 4. sed ad memoriam; non ad cultum.

7. Fatemur, Deum miracula fecisse ad corpora, vel vestimenta Sanctorum, quando in Ecclesiâ plantandâ, aut reformandâ, miraculis opus erat, in testimonium veræ doctrinæ, per Sanctos annunciatæ 2. Reg. XIII. 21. Act. V. 15. XIX. 12. Enimverò negamus, propterea Sanctis eorumve reliquiis quibuscunque religiosum cultum deberi.

8. Versio vulgata perperam reddidit Ps. XCIX. 5. *Adorate scabellum pedum ejus*: cum transferri deberet: *Adorate ad scabellum*.

Βεβαίωσις. Probamus 1. ex silentio Scripturæ. Quia de ejusmodi cultu ibi nec mandatum, nec promissio, nec exemplum reperitur. Contrarium verò nobis injungitur. Es. XLII. 8.

2. ex fraude multiplici, quæ circa reliquias occurrit, adeo ut Christianus nunquam possit esse certus, quæ reliquiæ veræ sint, quæ falsæ. Ipsi Pontificii negare nequeunt, easdem reliquias in diversis locis ostendi, atque ubi ostenduntur, ibi pro genuinis haberi. Ex hoc autem veritati reliquiarum nihil decedere, nemo fortè credet, nisi æquè stolidus aut impudens ac Johannes Ferrandus Jesuita, qui in *Disquisitione Reliquiariâ* scribere non veretur, L. 1. c. 1. p. 6. *Cur mihi non erit integrum, qui clarè pervideam principem causam tantæ, tamq; suspiciendæ earundem numero Reliquiarum affluentiæ (non omnium quidem, at certè aliquot) nullam aliam concipi, adducive posse, quàm omnium potentis pollentisq; Numinis interminatam virtutem, & in Fideles suos eximiam benignitatem. Duplici autem ratione (quantum cogitatione consequi valeo) infinitam suam potentiam hâc in re, quàm maximè exerit, ac prodit Deus. Prior est, quia ejusdem generis Reliquias, tam secundum entitatem, quàm secundum virtutem divinitus affusam, ita multiplicat, &, ut in Scholis loqui usu venit, admi-*

rabiliter replicat, ut quæ unæ sunt, unæ quodammodò non sin.. vel potiùs, ut suâ nativâ unitate singulares sint, & sui unitate singulari miro modo multiplices. &c.

Αντίθεσις est Pontificiorum, quorum superstitio ab Erasmo, in Colloquio de *Peregrinatione Religiosâ*, falsè exagitatur.

Thesis IV. *Imagines pertinenter formatas, memoriæ, ornatus, & doctrinæ; non autem cultûs gratiâ, in templis habere licet.*

Ἔκθεσις 1. Alia est quæstio, an liceat habere imagines; & alia, an liceat colere. Priorem affirmamus; posteriorem negamus.

2. Distingvimus autem inter Imagines pertinenter ac impertinenter formatas. Posterioris generis sunt, quæ inferunt aliquid (α) lasciviæ v. gr. nudorum hominum, (β) mendacii v. gr. Georgii Christophori, undecim mille Virginum, aliorumque his similium, de quibus conf. Voëtius Disput. Select. art. 3. de *Sanctis Chimericis* p. 472. (γ) monstrositatis v. gr. hominis cum tribus capitibus, vel cum duobus, intervolante columbâ, ad denotandam S.S. Trinitatem: (δ) sceleris per hominem depictum commendati, v. gr. Garneti Regicidium meditantis.

3. Essentia & Natura Dei depingi non potest; sed tantùm ejus revelatio. Unde in templis nostris non exhibentur Imagines Dei, quas Anthropomorphitis relinquimus; sed Theophanias.

4. Non autem loquimur de Revelatione Dei, factâ per species intelligiles; sed sensibiles. Hinc Deum haudquaquam depingimus ut ebrium, quamvis se ita manifestarit Davidi. Ps. LXXIIX. 66.

5. Propter id, quod per accidens adest imagini; non tollitur Imago ipsa, per se spectata. Usum probamus; abusum improbamus.

6. Pro-

6. Prohibitio divina Imaginum, non est absoluta; sed conditionata. Eo enim tantum fine interdicuntur, ne pro Diis habeantur, vel divino cultu afficiantur. Lev. XXVI. 1.

7. Hinc aliud est Imago; aliud Idolum. Sæpè conveniunt materialiter, cum idem quod nobis Imago est, superstitioso homini sit Idolum; formaliter verò semper differunt, cum Imago quatenus Imago, à solâ repræsentatione alterius; Idolum verò, quatenus Idolum, ab opinione cultus ita dicatur. Serpens à Mose in deserto erectus, initio erat imago; accedente verò cultu, fiebat idolum, atque ideo destruebatur ab Hiskiâ. 2. Reg. XIIX. 4. Ex quo clarè patet, quod εἰκονοποιΐα non semper sit εἰδωλοποιΐα. Spectat enim huc illud Martialis L. 5. Epigram. 24.

Qui fingit sacros, auro vel marmore, vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

8. Neque tamen asserimus, quod imagines in templis necessariò debeant haberi; sed quod eas ex libertate Christianâ liceat habere. Tolli possunt; sed non privatâ autoritate, aut per tumultum.

Βεβαίωσις Probamus I. *quod Imagines in templis memoriæ, ornatûs & doctrinæ gratiâ habere liceat*. Quia ipse Deus eas templo suo inferri permisit, imo jussit, nempe Cherubinorum Exod. XXV 18. Boum, 2. Paral. IV. 3. 4. &c.

II. *quod imagines in templis, cultûs gratiâ habere non liceat*, (1) Quia interdicta prostant (α) in V. T. Exod. XX. 4. 5. Deut. V. 7. 8. 9. (β) in N. T. Matth. IV. 10. (2) Quia Israëlitæ verum Deum per Imaginem colentes idololatriam committebant: Ergò multò magis idololatriam committunt, qui Sanctos in Imaginibus colunt.

Ἀντίθεσις est I. Calvinianorum, qui Imagines è templis eliminant.

II. Pontificiorum, qui cultui Imaginum patrocinantur. Vid. Apol. p. 365. (229) In modo autem cultus determinando

nando variant. Nam (1) Moderatiores docent, ... colendas esse per accidens, quatenus vicem gerunt exemplaris ita ut cultus ultimò referatur ad eum, qui in Imagine repræsentatur: Quo spectat versiculus:

Effigiem Christi, qui transis, semper honora:
Non tamen effigiem; sed quem designat adora.

(2) Crassiores contendunt, Imagines etiam colendas esse per se, ita ut ipsæ terminent cultum: in quâ opinione non solùm plerique ex vulgo sunt, sed haud pauci quoque ex eruditis, v. gr. Bellarminus, Tannerus, Azorius &c.

Thesis V. *Mariam Deiparam, uti præ reliquis hominibus, gratiam apud Deum invenisse credimus, atq; eo nomine, tanquam benedictam inter mulieres, magni facimus; ita religioso cultu venerari, aut Christo æquare, vel etiam, ut magis propitium, Filio anteponere, idololatricum censemus.*

Ἔκθεσις. 1. Non quæritur inter nos & Adversarios, an Maria honore afficienda sit; sed quo genere honoris. Prius illud nemo nostrum inficiatur.

2. Gratiosa vocatur Maria: non tamen activè, quod gratiam attulerit ad Deum; sed passivè, quia gratiam invenit apud Deum. Luc. I. 30.

3. Eidem concedimus prærogativam, præ reliquis Sanctis, tam viventibus, quàm mortuis; nequaquam verò divinitatem, quæ nisi adsit, cultus religiosus locum habere nequit.

4. Quod Mater præferenda sit Filio, qui tantùm homo est, nec quicquam, nisi quod humanum sit, habet, concedimus: Quod verò Mater præferenda sit Filio, qui simul Deus & homo est, imo in quo ut homine, tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Col. II. 9. pernegamus.

5. Vide-

7. Videantur etiam quædam huc pertinentia, Art. II. de Peccato Originis Th. 4. Observ. 5. 6. 7. p. 72.

Βεβαίωσις. Probamus, *Mariam non esse religioso cultu afficiendam:* Quia de eo in Scripturâ S. nec mandatum, nec exemplum, nec promissio extat. Contrarium verò inculcatur Matth. IV. 10. Et Maria ipsa suos ad Christum amandat, Joh. II. 5. Vid. plura in Thesi I. probationis membro 3. p. 430.

Αντίθεσις est Pontificiorum, quorum Idololatria hac in parte supremum apicem conscendit. Simillimi omninò sunt Collyridianis, in primitivâ Ecclesiâ damnatis: Id quod Disputatio nostra de Collyridianis, anno 1686. d. 3. Octobris habita, pluribus detexit, in cujus Thesi 20 ex Epiphan. Hæres. 79. n. 7. adducuntur illa: *Honoretur Maria: Pater verò, Filius & Spiritus S. adorentur: Mariam adorare nemo velit.* Et n. 9. *Maria in honore sit: Dominus adoretur.* Merentur etiam legi à Pontificio Scriptore, cum approbatione Superiorum, Gandavi anno 1673. edita *Monita salutaria B. V. Mariæ ad cultores suos indiscretos.*

Thesis VI. *Angelis creatis religiosum cultum deferre, nefas est.*

Ἔκθεσις 1. Ex Thesi patet, de Angelis creatis nunc agi; non de increato, qui ipsus Dei Filius est, de quo loquebatur Jacobus Patriarcha Gen. XLIIX. 16.

2. Cultus religiosus opponitur cultui civili, qualem Angelis non denegamus.

3. In verbis Pauli: *Hâc nocte mihi adstitit Angelus DEI, cujus sum & cui (λατρεύω) servio.* Act. XXVII. 23. pronomen relativum utrumque, nempe CUJUS & CUI ad Deum pertinet; non ad Angelum. Nam ipsis Adversariis consentientibus, λατρεία soli Deo debetur.

4. Apoc. I. 4. per VII. Spiritus describitur unus numero Spiritus S. septiformi charismate insignis.

Βεβαίωσις. Probamus ex Apoc. XXII. 8. 9. ubi, cum Johannes Evangelista Angelum adorare vellet, istud ei interdicitur: Observentur vero tria, (1) Prohibitio seria: (ὅρα μή) *Vide ne*, scilicet feceris, (2) Ratio prohibitionis, non solùm ad Evangelistam, sed etiam ad quoscunque Christianos pertinens: *Conservus tuus sum & fratrum tuorum prophetarum, & servientium verba libri hujus*, (3) Mandatum contrarium: *DEUM adora*, videlicet solum. Nam quod inclusiva subintelligatur, patet ex collatione Matth. IV. 10.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod falsò in Apologiâ p. 325. (223) statuamus, *veteres Scriptores ante Gregorium, nullam fecisse mentionem invocationis Sanctorum*; cum doctrina illa tam antiqua sit, ut *vix ejus reperiri possit initium*. Sic Daventria, Hoffmeisterus, Virvesius, Bellarminus &c. Resp. Quæ ex Patribus, quotquot ante Gregorium vixerunt, pro Invocatione Sanctorum ab Adversariis adducuntur, aut depromi solent ex scriptis suppositìtiis, vel suspectæ fidei; aut sic comparata sunt, ut per manifestam petitionem ejus, quod est in principio, ab honore vel memoriâ qualicunque, ad invocationem concludatur. Vid. Chemnitius, Gerhardus, Chamier.

II. Quod nostri in Apologia p. 357. (224) quæ ex libro Maccabæorum allegantur, satis *inverecundè* somnium appellarint. Sic Cochlæus & Virvesius. Resp. In ipso Maccabæorum Libro II. c. XV. v. 11. juxta vulgatam ita dicuntur.

Quis-

Quisquis ergò nostros propterea *inverecundiæ* postulat, hoc ipso Vulgatam, quæ Pontificiis avthentica est, simul accusat.

III. Quod Confessio svadens Cæsari, ut in bello contra Turcas Davidem imitetur p. 28.(19.) contradicat Luthero, qui statuerit, bellum gerere contra Turcam, esse bellum gerere contra Deum. Sic Fabricius. Resp. Nullibi Lutherus ipsum bellum contra Turcas improbavit; sed duntaxat modum gerendi bellum tunc usitatum, ubi sine prævià pœnitentiâ, ex solâ fiduciâ in Bullas Papales collocatâ, expeditiones ejusmodi suscipiebantur. Vid. Gerh. Loco de Magistratu §. 386.

IV. Quod Sanctos contemnamus & probro afficiamus. Sic Bellarminus, Daventria, Cochlæus, & quis non? Resp. Calumnia hæc est luculenta, quæ ex ipsâ Confessione ejusq; Apologiâ nullo negotio, velut nebula à sole, dispellitur. Conf. p. 28. 328. (19. 223) seq.

V. Quod ab Augustanâ Confessione, in hoc articulo, recesserimus, eò quod apud nos jam minus tribuatur Sanctis, quàm olim â Majoribus nostris tributum fuerit. Sic Antiaugustana Confessio, jussu Episcopi Collonitsch edita, quam D. Alberti sufficienter refutavit P. 2. c. 3. Qu. 18. p. 213.

EPILOGUS PARTIS I.

Variata Confessio plurima addidit & in illis, quæ retinuit, verba mutavit, sed citra heterodoxias misturam. Sic enim illa: *Hæc summa est doctrinæ, quæ in Ecclesiis nostris traditur. Et consentaneam esse judicamus & Propheticæ ac Apostolicæ Scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ, postremò etiam Romanæ Ecclesiæ, quatenus ex probatis Scriptoribus nota est. Atq; idem judicaturos esse speramus omnes bonos & doctos viros. Non enim*

aspernamur consensum Catholicæ Ecclesiæ, nec est animus nobis ullum novum dogma & ignotum sanctæ Ecclesiæ, invehere in Ecclesiam. Nec patrocinari impiis aut seditiosis opinionibus volumus, quas Catholica Ecclesia damnavit. Non enim adducti pravâ cupiditate, sed coacti auctoritate verbi Dei & veteris Ecclesiæ, amplexi sumus hanc doctrinam; ut & gloria Dei fieret illustrior, & consuleretur piis mentibus in universâ Ecclesiâ. Constat enim plerosq; abusus irrepsisse in Ecclesiam, qui emendatione opus habent. Et cum propter gloriam Christi, tum propter salutem omnium gentium maximè optamus, ut diligenter cognitis his controversiis, Ecclesia repurgetur, & ut iis abusibus liberetur, qui dissimulari non possunt. Quam ob causam diu jam omnes boni viri in omnibus nationibus expetunt Synodum, cujus quidem spem aliquam clementissimus Imperator omnibus gentibus ostendit. Faciet igitur Imperator rem dignissimam suâ magnitudine & felicitate, & exoptatam universæ Ecclesiæ, si in Synodo permiserit judicium de tantis rebus, non illis, qui privatos affectus in consilium adhibent, sed delectis piis & doctis viris, qui gloriæ Christi, & saluti universæ Ecclesiæ consulere cupiant. Hæc est usitata & legitima via in Ecclesiâ, dirimendi dissensiones, videlicet ad Synodos referre controversias Ecclesiasticas. Hunc morem servavit Ecclesia inde usque ad Apostolis. Et præstantissimi Imperatores, Constantinus ac Theodosius, etiam in rebus non valdè obscuris, & dogmatibus absurdis, tamen sine Synodo, nihil constituere voluerunt, ut Ecclesiæ libertatem in judiciis dogmatum conservarent. Et honestissimum est Cæsari, illorum optimorum Principum exemplum imitari, præsertim cum nos nihil mutaverimus, sine exemplo veteris Ecclesiæ. Et speramus, hanc tantam felicitatem Imperatori divinitus datam esse, ad Ecclesiæ emendationem & salutem. Certè hanc gratiam Deus ab ipso reposcit, ut potentiam suam conferat ad ornandam Christi gloriam, ad Ecclesiæ pacem, ad

ad prohibendam immanem & injustissimam crudelitatem, quæ mirâ quadam rabie passim exercetur in membra Christi, in homines pios & innocentes. Harum maximarum rerum curam mandavit Deus summis Principibus. Ideo excitat Monarchas, ut injusta imperia prohibeant, quemadmodum excitavit Cyrum, ut liberaret à captivitate populum Judæorum; Constantinum, ut illam infinitam sævitiam, qua tunc in Christianos exercebatur, depelleret. Ita optamus, ut Cæsar, & curam emendandæ Ecclesiæ suscipiat, & injustam crudelitatem prohibeat.

Jam accedimus ad invariatum Exemplar, in quo
in CONFESSIONE ipsâ
Epilogus totus est Apologeticus. Depellit enim ab Ecclesiis nostris crimen

- I. Hæreséos, eo argumento, quia nihil docemus, quod discrepet
  - 1. *à Scripturis*, scilicet Canonicis.
  - 2. *ab Ecclesiâ Catholicâ* i. e. perpetuo consensu omnium, qui ante nos vixerunt, puræ Ecclesiæ Doctorum.
  - 3. *ab Ecclesiâ Romanâ*, nimirum vetere illâ & orthodoxâ, cui opponitur Ecclesia Romana recens & ab Antichristo subjugata. *Hæc ferè est summa——pro hæreticis haberi postulant.* p. 29. (19)
- II. Schismatis, eo argumento
  - 1. quia retentâ verâ doctrinâ tantùm Abusus resecuimus, perperam Ecclesiæ obtrusos. *Sed dissensio——irrepserunt.* ibid.
  - 2. quia ne Canones quidem postulant, ut similes sint omnium Ecclesiarum ritus. *In quibus etiam——ritus fuerunt.* p. 29. (19. 20)
  - 3. quia etiam apud nos ritus sacri retinentur, quotquot salvâ conscientiâ retineri queunt. *Quanquam apud nos——correcti sunt.* p. 29. (20)

In APOLOGIA p. 367. (231.)

Quæ hic tractantur, ad duo summa capita revocari qveunt. Nam

I. Incusantur Adversarii, tanquam officii sui immemores,

1. quod dissimulent abusus, tamétsi

1. omnes boni eorum abolitionem exoptent. *Cumq; omnes boni viri—irrepsisse in Ecclesiam.* p. 367. 368. (231)

2. jam ante Lutherum de iisdem querelæ extiterint. *Neq; enim primus fuit Lutherus—degeneravit istorum Theologia* p. 368. (231.)

3. Lutherus propter emendationem eorum in pretio esse cœperit. *Nec alia causa fuit—dissimulaverunt abusus.* p. 368. 369. (231. 232)

2. quod Imperatorem non melioribus consiliis instruant. *Ac si vellent Ecclesiæ—nos quoquo modo opprimant.* p. 369 (232.)

3. quod de Ecclesia parùm solliciti sint, imo saluti ejus officiant,

1. quæ in Ecclesiâ haberi deberent, non suppeditando. *De statu Ecclesiæ—dogmatum Ecclesiasticorum.* ibid.

2. abusus crudeliter defendendo. *Manifestos abusus—idoneos Doctores.* ibid.

3. fanaticis viam sternendo. *Sed hac via—cupimus conservare.* p. 369. 370. (232)

II. Compellatur Imperator, oblatâ

1. Petitione, ne orthodoxiam opprimi sinat. *QuareTe optime Imperator—in Ecclesiâ opprimatur.* p. 370. (232.)

2. Petitionis ratione, quia ad hoc à Deo vocatus sit. *Hoc officium Deo—innocentium defendant.* ibid.



PARS

PARS POSTERIOR
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS,

DE ABUSIBUS.

PROLOGUS.

DEsideraverat Imperator in Comitiis Augustanis A.C. 1530. ut tam nostri, quàm adversarii, sententiam *de præsentibus Fidei controversiis* & *Abusibus* exhiberent. Cui mandato, ut obsequerentur nostri, in Confessione suâ, post præcipuas Fidei controversias, de *Abusibus* agunt i. e de Ritualibus: ita tamen, ut nomine illo vitia & errores, cum ipsarum actionum externarum, tum etiam fidei de iisdem actionibus, complectantur.

Ejusmodi Abusus non imputarunt Ecclesiæ Catholicæ; sed tantùm Curiæ Romanæ, & iis qui â Curiâ Romanâ se captivos detineri patiebantur, in Ecclesiâ Catholicâ.

Germanicum Latinumque Exemplaria, quoad Proëmium nonnihil discrepant; verùm in nudis duntaxat verbis. Cum autem utrumque Exemplar Cæsari oblatum sit, coordinari sibi invicem; non opponi debent.

In Proëmio Latino continentur tria,

- I. Protestatio. *Cum Ecclesiæ apud nos — vitio temporum recepti.* p. 30. (20)
- II. Petitio,
  - 1 Ut Cæsar benevolè audiat. *Rogamus — contra conscientiam observare.* ibid.
  - 2. ne fidem calumniatoribus habeat. *Nec habeat fidem — iniqui & malevoli describunt.* ibid.
- III. Promissio boni effectus. *Facilè autem hoc — ritè fiant in Ecclesiis,* ibid.

ARTI-

ARTICULUS I.
DE
UTRAQUE SPE-
CIE.

I. EXPLICATIO.

VAriata Confessio tres priores Articulos transposuit. Agit enim (1) *de Missâ*, (2) *de Utraq. Specie*, (3) *de Confessione*. In ipso hoc Articulo ibidem omittuntur, quæ in invariatâ Confessione, circa finem de Processionibus dicuntur: cætera autem pluribus verbis exponuntur & illustrantur, citra orthodoxiæ jacturam, aut periculum, modò non communi Ecclesiæ Evangelicæ nomine proferrentur. Studio brevitatis non nisi pauca quædam inde decerpemus: *Et quoniam communis Missa apud nos celebratur, ut intelligat populus, se quoque sanctificari sangvine Christi, & discat verum usum ceremoniæ; datur Laicis utraq. pars Sacramenti, in Cænâ Domini; quia Sacramentum institutum est, non solùm pro parte Ecclesiæ, scilicet pro Presbyteris, sed etiam pro reliquâ Ecclesiâ: igitur & populus utitur Sacramento, sicut Christus instituit, &c.* Item circa finem: *Hæc doctrina invitat pios ad usum & reverentiam Sacramenti. Etenim non solùm ceremonia mutilata fuit anteà, sed etiam neglecta præcipua doctrina de fructu Et fortasſis ceremoniæ mutilatio significavit obscuratum esse Evangelium de sangvine Christi, hoc est de beneficio mortis Christi. Nunc DEI beneficio renovatur ac restituitur pura doctrina de fide, unà cum ceremoniis, &c.*

Quod

Quod ad invariatam Confessionem attinet, ab eâ reprehenditur duplex abusus, nempe

RESPO GEOR DANIEL Seiler / Spir. Palat.

I. Sacrilegium Calicis. Ostenditur enim,

1. quid apud nos fiat. *Laicis datur utraq; species Sacramenti, in Domini Cœnâ.* Pro defensione facti illius urgetur

1. Mandatum Christi. *Quia hic mos — ut omnes bibant*, p. 30. (21)

2. Praxis Apostolica. *Et ne quis possit —— specie usam esse.* p. 30. 31. (21.)

3. Consensus Antiquitatis. *Et diu mansit —— Cap. Comperimus.* p. 31. (21)

4. Adversæ Consvetudinis novitas & iniquitas. *Tantùm consvetudo —— Ecclesia recepta est.* ibid.

2. quid Pontificii concedere debeant. *Quare si qui — offensione conscientiæ* p. 32. (21)

II. Processio cum Sacramento, ex Sacrilegio Calicis orta. *Et quia divisio —— fieri solita est.* ibid.

IN APOLOGIA p. 371. (233) seq.

I. Usus utriusque speciei probatur,

1. quia Christus sic instituit, & quidem pro totâ Ecclesiâ. *Non potest dubitari — usus alterius speciei* p. 371. (233)

2. quia ordinatio ista rationem testamenti habet, atque adeo immutabilis est. *Cur mutatur ordinatio Christi — rescindere licebit.* Ibid.

3. quia Paulus ita tradidit, prouti à Christo acceperat. *Et Paulus inquit —— Sacramentum institutum esse.* p. 371. 372. (233)

4. quia idem adhuc apud Græcos obtinet, atque antehac etiam apud Latinos obtinuit. *Et manet mos adhuc —— de divinâ ordinatione.* p. 372. (233)

II. Confutatio Adversariorum refutatur. Exponitur autem

1. quid debuissent facere. *Adversarii in Confutatione — nisi pars Sacramenti*. p. 372. (233. 234.)

2. quid fecerint. Examinantur nempe eorum

   1. Antithesis. *Nunc ipsi defendunt —— utriusque partis* p. 372 (234)

   2. Antitheseos rationes,

      1. quod initio mos fuit alterutram duntaxat speciem dare. *Primum fingunt — ullum adferre possunt*. p. 373. (234) Hic diluuntur ulterius, quæ proferuntur,

         1. ex Luc. XXIV. 30. 35. &c. Ubi tantùm Panis fit mentio. *Sed allegant locos —— communi consvetudine sermonis*. ibid.

         2. de Laicâ communione. *Addunt de Laicâ communione —— tantùm pars Sacramenti*. ibid.

      2. quod hac ratione Clerici à Laicis discriminandi sint. *Ac videte impudentiam —— facilè judicari potest*. p. 373. 374 (234)

      3. quod, cum posteri Eli amitterent unam partem Sacerdotii, 1 Sam. II. 36. adumbrata sit ablatio calicis, sub respectu ad Laicos. *Et in confutatione allegant —— ab alterâ parte pœna causâ*. p. 374. (234. 235)

      4. quod Laici teneantur contenti esse alterâ tantùm specie. *Debent, inquiunt, esse contenti — plura non dicemus*. p. 374. 375. (235)

      5. quod metuendum sit periculum effusionis, si calix Laicis porrigatur. *Allegant & periculum — faciat res indifferentes*. p. 375. (235)

3. quàm malè fecerint, ubi

   1. excusantur, qui talia passi sunt. *Nos quidem Ecclesiam —— contingere non posset*. ibid.

a 2. incu-

2. incusantur, qui hac ratione Ecclesiam oppresserunt. *Sed autores qui defendunt—peribit lex à Sacerdote.* p. 375. 376. (236.)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Christus Eucharistiam, sub utrâque specie, esculentâ ac potulentâ, instituit, & quidem eo fine, ut Sacramentum istud, ab omnibus fidelibus, qui illo utuntur, sine discrimine statûs, integrum, atq; adeo sub utraq; specie accipiatur.*

Ἔκθεσις 1. Hìc ante omnia, cum Durando, Bonaventurâ aliisque veteribus Scholasticis, distingvimus inter integritatem totius Christi & totius Sacramenti. Non dicit Christum dividi, qui statuit, Sacramentum, omissâ actione â Christo præceptâ, dividi. Quapropter ex actione sacrilegii, quam adversariis, propter calicis subtractionem, intentamus, minimè sequitur, nos cum Nestorio Christum dividere: Id quod ex sequentibus evidenter constabit.

2. Observandum scilicet, quod non quæratur, an sanguis Christi sit cum corpore; sed an communicantibus dispensetur cum corpore. Sive ut alii explicant: Non de coëxistentiâ sermo est; sed de compartitione. Neque enim omne illud, quod cum corpore Christi est, communicantibus distribuitur cum corpore Christi; nisi communicantes animæ & divinitatis Christi participes fieri dicamus; quod Bellarminus rectè nobiscum inficiatur.

3. Nihil mediante pane dispensatur, nisi quod ex voluntate Christi, cum pane unitur; uti pariter nihil mediante vino dispensatur, nisi quod ex voluntate Christi, cum vino unitur. De voluntate autem Christi, ex institutione judicandum est.

4. Piè enim faciunt, qui Sacramentum non aſpiciunt opus naturæ; ſed ut myſterium fidei: quæ non ratione; ſed ſolo Dei verbo nititur.

5. Cæterùm cum Quæſtione hac, de integritate & mutilatione Sacramenti, non confundenda eſt Quæſtio alia, de fructu integri & mutili Sacramenti.

6. Si quis interroget, an communicantes ſub Papatu, ante reductam Evangelii lucem, ex mutilo Sacramento fructum ſalutarem perceperint? diſtingvimus inter defraudantes & defraudatos. Speramus â divinâ miſericordiâ, illorum tyrannidem & iniquitatem, his non cesſiſſe in reatum; ſecus atque nunc, diſcusſis tenebris, fieri exiſtimamus, Gal. VI, 7. Vid. Apol. p. 375. 376. (235. 236.)

7. Τὸ *Facere* in verbis Inſtitutionis non modò reſpicit primum actum Sacramentalem, nempe Conſecrationem; ſed etiam duos reliquos, nempe Diſtributionem & Communicationem: quia poſtponitur omnibus. Proinde inane eſt effugium, quod Chriſtus per eos, qui *Facere* debebant, ſolos Sacerdotes intellexerit.

8. Svaretz rectè diſtinguit, inter Præceptum, quod circa ipſum exercitium actûs verſatur, v. gr. de dandâ eleemoſynâ; & quod ſpecificationem, ſeu modum in agendo, determinat, v. gr. de ratione jejunii. Illud ſemper obligat; hoc non ſemper, ſed tamen ita, ut cum actus fit, non alio modo fiat, quàm præceptum eſt. Tale omnino præceptum, in inſtitutione Cœnæ accepimus: unde fruſtra diſcrimen inter Præceptum & Inſtitutionem nobis obvertitur.

9. Disjunctiva particula in Scripturâ non ſemper disjungit; ſed quandoque copulat: quod ex Verſione vulgatâ patet Marc. XIII. 32. Joh. III. 8. Act. VII. 42. XXV. 11. ſi loca illa cum originali textu conferantur. Hinc ſolvi poteſt objectio ex 1. Cor. XI. 27. ex quo Adverſarii, libertatem

...i communicandi ſub unâ, probant; cum tamen in ipsâ Vulgatâ pro (η) AUT, legamus ET.

10. Cavendum, ne epulum vulgare Act. XX. 11. XXVII. 35. confundamus cum epulo Sacramentali.

11. Epuli ſacramentalis denominatio non ſemper adæquata eſt; ſed quandoque inadæquata & ſynechdochica, ut ſub nomine partis intelligatur totum v. gr. cum *Fractio panis* dicitur Act. II. 42. 46. XX. 7. 1. Cor. X. 17. Vid. Apol. p. 373. (234.)

12. Diſcretio inter Clericos & Laicos, non quærenda eſt in mediis ſalutis: quia utrique ad vitam æternam æqvaliter tendunt: ſed in actibus officii, utrisque præcepti. Vid. Apol. p. 374. (234.)

13. Communio Laicâ, in primitivâ Eccleſiâ, â communione Clericorum, non differebat numero ſymbolorum; ſed loco: quia Laici extra cancellos, ſeu ut hodie loqvuntur, extra chorum accipiebant euchariſtiam; Clerici autem intra cancellos, ſeu chorum. Vid. Apol. p. 373. (234.)

14. Non attendendum, quid olim Chriſtiani, ex religioſo, non tamen ſatis ordinato affectu, fecerint; ſed quid juxta voluntatem Chriſti, facere debuerint. Fatemur, nonnullos partem benedicti panis domum aſportaſſe, ac privatim comediſſe; quos verò eodem qvoque modo, cum vino egiſſe, ex antiquitate oſtendit Gerhard. Conf. Cathol. L. 2. P. 2 Art. 14. c. 7. Sufficit, quod in publicis cætibus, nunquam panis ſine vino diſtributus fuerit. Vid. Apol. p. 373. (234.)

15. In Oratione Dominicâ Matth. VI. 10. non petimus panem animæ; ſed corporis. Malè igitur ex iſtâ Petitione, argumentum ducitur ad communionem ſub unâ.

16. Concomitantia (ut Adverſarii vocant) corporis ac ſangvinis Chriſti, aut naturalis, aut ſacramentalis eſſe concipitur. Illam admittimus; hanc, propter honorem, quem

Christianus quilibet divinæ institutioni debet, impugnat. Merentur hic legi, quæ Lutherus T. 3. Jenens. Germ. p. 514. non sine cupioso sale, Adversariis obvertit, **im Bericht an einen guten Freund/ von beyderley Gestalt des Sacraments/ auffs Bischoffs von Meissen** Mandat Ao. 1528. **außgegeben.**

17. Articuli fidei, non ex typis & figuris; sed ex propriâ sede sunt confirmandi. Proinde nihil probant, quæ de Agno Paschali, quod sine potu absumtus fuerit, adducuntur.

18. Hypothesis falsa est, quod Joh. VI. 32. 35. 48. 50. 51. 58. de Manducatione sacramentali agatur, prouti in Thesi sequenti ostendemus. Ponamus tamen, rem ita se habere: Atqui ibidem & Bibitionis necessitas maximo conatu inculcatur. v. 53. 54. 55. 56.

19. Quæ de periculo effusionis urgentur, nullius momenti sunt; quia Vinum extra usum, nempè bibitionem, nudum est Vinum: Addimus, quod idem periculum immineat Sacerdoti conficienti & bibenti. Vid. Apol. p. 375. (235.)

20. Reliqua prorsus frivola sunt v. gr. ex 1. Sam. II. 36. item quo *Laici debeant esse contenti* &c. seu uti Eccius protulit, quod *Laicis non conveniat equi donati dentes inspicere.* Vid. Apol. p. 373. 374. (234. 235)

Βεβαίωσις, Probatur 1. ex Matth. XXVI. 26. seqq. quia (1) quibus dicitur *Manducate*, ad eos pariter pertinet *Bibite:* Parium enim par est ratio. At omnibus dictum est *Manducate*, fatentibus Adversariis *E.* & *Bibite.* (2) Christus prævidens futuram ποθηϱοκληψίαν, ut eidem occurreret, de re potulentâ addebat manifestum universalitatis signum, dicens, *Bibite OMNES*, nempe omnes, quotquot Eucharistiam accipitis. Nullus enim ex Apostolis, tum, ut Pontificio stylo utar, *Conficiens* erat; sed omnes *Accipientes*, atque Ecclesiam, pro quâ Sacramentum instituebatur, repræsentantes, (3) Pro quibus sanguis

ſanguis in remisſionem peccatorum effuſus eſt, ab iis in Euchariſtiâ accipi debet, v. 28. Atqui pro omnibus, nullo prorſus excepto, tam Laicis, quâm Clericis, effuſus eſt. Ergo.

2. Argumenta plura petantur ex Confeſſione Auguſtanâ p. 30. (21) ejusque Apologiâ p. 371. (233) quorum Analyſis repetatur ex Sect. I.

Ἀντίϑεσις Eſt Pontificiorum.

Theſis II. *Chriſtus Euchariſtiam ſemel tantùm, nempè in eâ nocte, quâ traditus eſt, inſtituit ac celebravit; proindeq; falſum eſt, quod Joh. VI. & Luc. XXIV. inſtitutio, aut celebratio Euchariſtiæ deſcribatur.*

Ἔκϑεσις 1. Quod Chriſtus in eâ nocte, quâ traditus eſt, Euchariſtiam inſtituerit ac celebrarit, Adverſarii nobiſcum concedunt: illud verò in quæſtione eſt, an Chriſtus ſemel tantùm & quidem in eâ nocte, quâ traditus eſt, iſtud fecerit; quod Adverſarii negant, utpote ſtatuentes, Chriſtum ante hunc actum, jam alibi quoque Euchariſtiam inſtituiſſe Joh. VI. & poſt hunc actum denuò celebraſſe Luc. XXIV.

2. Quod ad primum locum attinet Joh. VI. in eo non agitur de comeſtione & bibitione ſacramentali; ſed merè ſpirituali.

3. Panis, qui ibi deſcribitur, eſt ſatisfactorius; non confirmatorius ac obſignatorius, qualem accipimus in Euchariſtiâ.

4. Interim concedimus, quæ in capite iſto extant, poſſe aliquo modo ad noſtrum Sacramentum referri: videlicet cum de fructu & uſu Euchariſtiæ; nequaquam verò cum de eſſentiâ agitur.

5. In altero loco Luc. XXIV. Cœna Emauntica & Cœna Euchariſtica habent convenientiam generalem; deſtituuntur autem convenientiâ ſpeciali.

6. Neque enim conſecratio panis tum facta eſt ad uſum ſacra-

sacramentalem; sed tantùm ad usum vulgarem, planè ut Actor. XXVII. 35.

7. Apologia Aug. Conf. fatetur, aliquos locos, in quibus fractio panis memoratur, de Eucharistiâ intelligi p. 373. (234) non verò omnes, neque etiam præcise hunc, de quo disputatur.

Βεβαίωσις. Probatur I. *quod Joh. VI. non describatur institutio Eucharistiæ:* Quia ad Eucharistiam requiritur Panis naturalis, acceptio oralis, & comestio à bibitione distincta. At Joh. VI. agitur de Pane mystico, v. 33. 50. 58; acceptione spirituali v. 40. 47. & comestione, quæ eadem planè est cum bibitione v. 35. Addimus (1) quod Johannea usurpatio necessaria fuerit, ante Eucharistam institutam; Sacramentalis verò non nisi post Eucharistiam institutam (2) quod Johannea usurpatio ad salutem simpliciter sit necessaria, v. 53. Sacramentalis autem usurpatio non item, dummodò absit contemtus (3) quod Johannea usurpatio non nisi ad vitam fiat v. 51. Sacramentalis autem usurpatio è contrario etiam ad mortem fieri queat. 1. Cor. XI. 27.

II. *Quod Luc. XXIV. 30. non describatur celebratio Eucharistiæ:* Quia (1) institutio Eucharistiæ est testamentaria 1. Cor. XI. 25. Testamentum verò non potest mutari, post mortem Testatoris Gal. III. 15. Hebr. IX. 17. Id quod factum esset, si Eucharistia sub utraque specie ante mortem Christi instituta, ab ipso Christo post mortem celebrata fuisset sub unâ specie (2) Paulus institutionem Eucharistiæ post historiam Luc. XXIV. descriptam, totidem verbis repetit, quot Christus usus est ante istam historiam 1. Cor. XI. 23. sq. Unde colligimus, primam institutionem non fuisse immutatam.

Αντίθεσις est Pontificiorum.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod mutaverimus Augustanam Confessionem, eradendo, quæ antehac ibi lecta fuerint, & alia substituendo. Sic Fabricius. Resp. nobis non posse imputari, quæ Melanchton propriâ auctoritate fecit, nisi eum sequamur: Id quod hactenus â nobis factum non est.

II. Quod Augustana Confessio Canoni Gelasii falsum sensum affinxerit: quippe qui de solis Sacerdotibus, non etiam de Laicis, intelligi debeat. Sic Fabritius, Daventria, Cochlæus. Resp. verba clara esse, si integer Canon aspiciatur: ita autem ille se habet: *Comperimus, quod quidam desumtâ tantummodò corporis portione, à calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi, aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius & ejusdem mysterii, non potest sine grandi sacrilegio provenire.* Quis non videt, de *percipientibus*, qui admitti, vel *arceri* â conficientibus (ut vocant) queunt, sermonem esse? Unde Cassander & Lindanus fatentur, Canonem istum ad laicos pertinere. Vid. Gerh. loco de Cœnâ §. 44. p. m. 34.

III. Quod in Augustanâ Confessione agnoscamus, consvetudinem communicandi sub unâ esse antiquissimam; quia ibi legitur: *Non constat, quando aut quo autore cœperit.* Sic Daventria, Hoffmeisterus, Virvesius. Resp. His verbis non indicari consvetudinis istius antiquitatem; sed duntaxat latentem originem: quemadmodum v. gr. si quis de Phtysico dicat, non constare, quando aut quâ ex causâ morbus ejus cœperit: is propterea non innuit morbum esse inveteratum; sed tantùm morbi originem latere. Vid. Carpz Isag. p. 588.

IV. Quod nos, introducendo communionem sub utrâ-

que non liberaverimus Ecclesiam ab aliquo abusu; sed potiùs abusu novo eam oneraverimus. Sic Fabricius. Resp. Quicquid nobis hac in parte impingitur, ipsum Sacramenti Autorem JEsum Christum ferire, cujus mandatis hac in parte obsequimur.

V. Quod Lutherus statuerit, cujusvis arbitrio relinquendum esse, utrum sub unâ, an sub utraque communicare velit; quodque idem Collocutores nostri, in Augustanis Comitiis fecerint. Sic Hoffmeisterus & Antiaugustana Confessio, jussu Episcopi à Colonitsch edita. Resp. De mente Lutheri non ex Scriptis primorum, sed posteriorum annorum, judicandum esse. Ostendi autem nequit, quod post Augustanam Confessionem tale quid scripserit, aut suis indulserit. Collocutoribus autem nostris injuriam fieri, luculenter demonstravit D. Alberti in Refut. Antiaugust. Conf. P. 2. c. 3. Qu. 19. p. 229. seq.

ARTICULUS II.

DE

CONJUGIO SACERDOTUM.

I. EXPLICATIO.

ARticulus hic, qui genuinæ Confessioni secundus est, in Confessione variatâ quintum locum occupat, in quo Melanchton, tametsi rem ipsam retineat, verba tamen prorsus alia substituit, & quæ breviùs antehac dicta erant, prolixiùs exposuit: id quod concedi, imo &, propter quædam memoratu digna, laudari posset, nisi sub nomine Confessionis Augustanæ prodiisset.

uisset. Excerpemus nonnulla, quandoquidem ne omnia apponamus, prolixitate prohibemur: Ita autem Philippus: *Cum doctrina Christiana honorificè prædicet conjugium, eoq; uti jubeat, non solùm pro creationis causâ, sed etiam ad frenandas vitandasq; libidines, nunc non solùm Pontificiâ lege, sed etiam novâ atq; inusitatâ sævitiâ, prohibentur conjugia Sacerdotibus, & contracta dirimuntur. Idq; hoc est indignius, quod hæc in Ecclesiâ fiunt, quæ ut maximè debet abhorrere à turpitudine; ita conjugium ad vitanda multa ingentia flagitia, summo studio tueri debebat. Adhac cum in omnibus ethnicis Rebuspubl. mediocriter constitutis, propter gravissimas causas, conjugium in magno honore fuerit; quid minus decet in Ecclesiâ, quàm & sanctissimum fœdus conjugii distrahere, aut capitalibus pœnis, velut summum scelus, punire conjugium? Unde hæc in Ecclesiam, in quâ debet excellere mutua dilectio, pervasit immanitas?* Item: *Quod verò objicitur autoritas legis Pontificiæ, cur non allegant autoritatem Canonum adversus turpia exempla impuri cælibatus, & scelera digna animadversione? Nulla debet esse autoritas Pontificii decreti, pugnantis cum Jure Naturæ, & cum mandato divino: Naturâ homines ita conditi sunt, ut sint fæcundi.* Concluditur: *Deniq; cum legis Pontificiæ defensio multa peccata conjuncta habeat, confirmationem vagarum libidinum, superstitiones & neces piorum sacerdotum, manifestum est, nostras Ecclesias rectè facere, quæ legem illam Pontificiam abolent ac damnant. Rogamus etiam inclytum Imperatorem, ne se defensione impuri cælibatûs, & cæde Sacerdotum polluat. Scriptum est enim: Beatus qui miseretur egeni & pauperis; in die malâ liberabit eum Dominus.*

Cæterùm in Confessione invariatâ

a I. Rationes restituti Sacerdotibus conjugii redduntur, depromtæ

b 1. â querelis plurimorum ipsiusque Pii II. Pontificis, de incontinentiâ Sacerdotum. *Publica querela fuit*

a b

—*liceat ipsis contrahere matrimonium.* p. 31. (21. 22.)

2. â mandato Pauli. *Primùm quia Paulus —— nubere quàm uri.* p. 31. (22)

3. â consilio Christi. *Secundò Christus—idoneos esse.* ibid.

4. â primævâ institutione conjugii. *Quia Deus creavit—sibi licere uxores ducere.* p. 32. 33. (22)

5. ab exemplis antiquæ Ecclesiæ. *Constat etiam—qui sit maritus.* p. 33. (22)

6. â novitate cœlibatûs imperati. *Et in Germaniâ primúm—à laudatissimis Synodis distraherentur.* ibid.

7. â fine conjugii, qui est, ut sit remedium infirmitatis. *Et cum senescente—fiat & in hoc negotio.* p. 34. (22)

8. â periculo *Ac videntur — prohibeatur conjugium.* p. 34. (23)

II. Querelæ de sævitiâ adversariorum annectuntur, utpote quæ

1. nudè describitur. *Cum autem extet—adversus conjugium Sacerdotum.* p. 35. (23.)

2. ulteriùs exaggeratur, tanquam contraria,

   1. Legibus divinis & humanis. *Deus præcipit—nisi propter conjugium.* ibid.

   2. doctrinæ Apostolicæ. *Paulus vocat — conjugii defenditur.* p. 35. 36. (23)

III. Argumenta adversariorum refutantur. Urgebant autem, quod Conjugio Sacerdotum obstet

1. Lex Ecclesiastica. *Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere.* p. 36. (23)

2. Votum. *Ita nec votum—hactenus fieri consvevit,* ibid.

IN APOLOGIA p. 376. (236) seqq.

I. Aditus ad disputationem paratur. Nam

1. Narratur, quid Adversarii de hoc Articulo judicaverint. *In tantâ infamiâ—sic enim loquuntur.* p. 376. 377. (236)

a b 2. Osten-

a b

2. Ostenditur iniquitas illius judicii. *Quæ major impudentia—summâ licentiâ faciunt.* p. 377. (236)

3. Oratio ad Imperatorem convertitur, quem
   1. ad sævitiam stimulabant Adversarii. *Et has suas libidines—immanis ac fera posset audire.* p. 377, 378. (236. 237)
   2. à clementiâ & æquitate commendant nostri. *Sed quia nulla cadit—persvasiones opponunt.* p. 378. (237)

4. vera causa imperati cœlibatus detegitur. *Et tamen non tuentur—munire conantur*, p. 378. 379. (237)

II. Rationes pro conjugio Sacerdotum adferuntur, & â cavillationibus Adversariorum vindicantur,

1. per generalem propositionem. *Nos hanc legem—ad argumenta nostra.* p. 379. (237)
2. per specialem recensionem. Urgent enim nostri
   1. Quod Deus hominem ad conjugium in primâ creatione ordinarit, Gen. I. 28. ubi
      1. Ratio ipsa ponitur. *Primum Genesis docet—tolli statutis aut votis.* p. 479. 380. (237. 238)
      2. Exceptio refutatur, scilicet quod nunc repletâ terrâ cesset prima ordinatio. *Hæc cavillantur adversarii—sine speciali opere Dei.* p. 380. (238)
   2. Quod conjugium sit juris naturalis, ubi
      1. Ratio ipsa ponitur. *Secundò, & quia hæc creatio—legibus humanis tolli.* p. 381. (238)
      2. Exceptio refutatur, scilicet, quod initiò mandatum sit conjugium, non verò hodierno etiam tempore. *Ridiculum igitur est—labefactari queant.* p. 381. 382. (238. 239)
   3. Quod Paulus 1. Cor. VII. 2. præceperit, *ut propter fornicationem unusquisq; habeat uxorem suam*, ubi

a b c

a b c

1. Ratio ipſa ponitur. *Tertiò Paulus ait — idonei ad cœlibatum* p. 382. (239)
2. Exceptiones refutantur, ſcilicet
   1. quod non ſpecialiter hoc Sacerdotibus præcipiatur. *Adverſarii jubent — ad conſcientiam cujusq; pertinent* p. 382. 383. (239. 240.)
   2. quod Sacerdotes debeant â Deo continentiam petere & corpus affligere. *Nam quod hic jubent — quam præcepti eſt.* p. 383. 384. (240)
   3. quod Chriſtus laudet eos, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum. Matth. XIX. 12. *Si quis hic objecerit—per hanc legem.* p. 384 (240)

4. Quod diſſentiat lex Pontificia â Canonibus Conciliorum, ubi
   1. Ratio ipſa ponitur. *Quartè diſſentit Lex — homo non ſeparet.* p. 384. 385. (240. 241)
   2. Exceptio refutatur, ſcilicet quod cœlibatus præceptus ſit â Conciliis. *Adverſarii vociferantur —contemtum mulierum.* p. 381. (241)

5. Quod Adverſarii ſuperſtitioſas opiniones, ſub prætextu religionis, foveant, ubi
   1. Ratio ipſa ponitur. Tales enim ſuperſtitiones ſunt,
      1. quod cœlibatus ſit mundities. *Quintò etſi adverſarii — juſtificationem, quam conjugium.* p. 385. (241) Atque iterum: *Sed reſpondebimus ordine—habere Deum propitium.* p. 386. 387. 388. (241. 242. 243)
      2. quod quia continentia in V. T. præcepta ſit, ad eam magis obligentur Sacerdotes in N. *Et huc allegant—prohibebat ne orarent.* p. 386. (241) Atque iterum: *Ad exempla Sacerdotum Leviticorum*

a b c d

c d

corum—abutuntur prætextu religionis. p. 390. 391, 392. (244. 245)

2. Exceptio refutatur, ſcilicet, quod Joviniani more, conjugium æquemus virginitati. *Hic exclamabunt—remisſionem peccatorum aut ſalutem.* p. 385. (243)

6. Quod propter pericula animarum & publica ſcandala, ſententiam noſtram defendere cogamur: ubi

1. Ratio ipſa ponitur. *Sextò cum habeamus—defendit his parricidiis.* p. 392. 393. 394. (245. 246. 247.)

2. Exceptio refutatur, ſcilicet quod ſchiſmaticè ſeparemur ab Epiſcopis. *Scimus aliquando offenſionis—tot parricidiorum cum adverſariis.* p. 394. 395. (247.)

3. per ſummariam recapitulationem. *Expoſuimus cauſas — contracta matrimonia diſſolvere.* p. 395. 396. (247.)

III. Argumenta Adverſariorum diluuntur, ita ut

1. præſentia cum antecedentibus connectantur. *Obiter etiam dum—defendant legem.* p. 396. (247)

2. argumenta ipſa proponantur & ſolvantur, nempe

1. quod lex de cœlibatûs neceſſitate, divinitus revelata ſit. *Primùm dicunt à Deo—prætextu illius legis.* p. 396 (247. 248)

2. quod Sacerdotes debeant eſſe mundi. *Secundum argumentum——fiant mundi conjuges.* p. 396. 397. (248)

3. quod foveamus hæreſin Joviniani. *Tertium argumentum eſt — mereatur juſtificationem.* p. 397. 398. (249)

a

IV. Tota

a

IV. Tota disputatio concluditur, ostendendo
1. quàm mala sit causa adversariorum. *Talibus argumentis — quasi flos fœni.* p. 398. 399. (249)
2. quàm bona sit causa nostratium. *Nostri Principes quicquid—aliarum rerum omnium.* p. 399. (249)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Sacerdotes, æquè ac alij homines, matrimonium licitè contrahunt, nec voto quomodocunq; concepto, si dono continentiæ careant, hac in parte impediuntur,*

Ἔκθεσις 1. Ex Thesi patet, quod de conjugio Sacerdotum acturi, non propugnemus ejus necessitatem; sed duntaxat libertatem.

2. Itemque quod distinguamus inter Sacerdotes dono continentiæ gaudentes & carentes. Qui dono illo gaudent, non quidem peccant, si extra persecutionis periculum constituti, matrimonium contrahant. 1. Cor. VII. 28 Meliùs tamen faciunt, si dono utantur. Ib. v. 38. Qui autem dono eodem non gaudent, ad matrimonium, quando fieri potest, contrahendum obligantur: Ib. v. 9.

3. Donum isthoc continentiæ spectat ad dona administrantia; non sanctificantia. Haudquaquam igitur cœlebs, ut cœlebs, melior est coram Deo, quàm conjugatus; tametsi ad rem Dei gerendam aptior sit. Vid. Apol. p. 386. (241) 398. (249) & imprimis p. 391. (243)

4. Utilis est in Ecclesiâ pressâ cœlibatus: sed non minus Laicis, quàm Ecclesiæ Ministris. De omnibus enim fidelibus indifferenter loquitur Apostolus 1. Cor. VII. 26. 27.

5. Malè verò consilium istud Pauli, habetur pro præcepto, sive lege. Conf. ib. v. 35.

6. Nec

6. Nec quod ab eodem Dei viro ſvadebatur ſecundum quid, nempe propter *præſentem neceſſitatem* v. 26. urgendum eſt ſimpliciter, quaſi ſemper & indiſcriminatim obſervari debeat.

7. Vita ſpiritualis, non excludit curas & actiones ſeculares quaſcunque; ſed tantùm vitioſas, Luc. XXI. 34. 2. Tim. II. 4. Alioqui enim nec edere, aut bibere liceret.

8. Quare diſtingvimus inter curas vitæ ſpirituali oppoſitas ac coordinatas: itemque inter curas ipſas & curarum exceſſum.

9. Caſtitas triplex eſt, Virginalis, Vidualis ac Conjugalis. Perperam igitur ab Adverſariis Conjugium Caſtitati contradiſtinguitur; cum potiùs ei ſubordinari mereatur.

10. Promittitur equidem à Deo precum exauditio Matth. VII. 7. ſed ſi ſecundum voluntatem ejus petierimus 1. Joh. V. 4. non ſi contra voluntatem: Hoc enim foret tentare Deum. Temerariè igitur faciunt, qui continentiam, ſpe auxilii divini, profitentur; tametſi ſciant, ſe dono continentiæ à Deo inſtructos non eſſe, atque ideo divinitus conjugio deſtinari. Vid. 1. Cor. VII. 7. Add. Apol. p. 383. (240)

11. Laudantur, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, Matth. XIX. 12. ſed ſub conditione, ſi donum iſtud à Deo acceperint. Unde mox additur: *Qui poteſt capere, capiat.* Neque ibi ſermo eſt de conſecutione regni gloriæ; ſed de promotione regni gratiæ. Conf. Apol. p. 384. (240)

12. Leges ceremoniales V. T. qualis extat Exod. XIX. 15. non obligant in N. T. Neque ibi ſolis ſacerdotibus; ſed toti populo continentia à mulieribus injungitur: & quidem non continentia perpetua; verùm duntaxat triduana. Conf. Apol. p. 386. 390. (241. 244)

13. Mundities decet Sacerdotes: ſed vera; non fictitia, aut hypocritica. Conjugium certè immundum dici nequit,

quod Deus verbo suo sanctificavit. Conf. Apol. p. 385. (24. seqq. item p. 397. (248)

14. Non æquamus conjugium Virginitati, cum Joviniano; sed Virginitatem in iis, qui donum continentiæ habent, statuimus præstare conjugio: videlicet juxta illum sensum, quem in observ. 3. expressimus. Conf. Apol. p. 389. 398. (243. 249)

15. De Votis, quousque obligent, dicemus ad Art. 6. hujusce Partis posterioris. Legantur intereà, quæ in ipsâ Aug. Conf. extant. p. 36. (23)

Βεβαίωσις Probatur 1. ex 1. Tim. III. 2. 4. Quia Episcopum & Maritum uxoris esse, non pugnant: *Oportet*, inquit Paulus, *Episcopum esse unius uxoris maritum:* ubi verbum necessitans *Oportet* non ad τὸ *Maritum*, sed ad τὸ *unius Uxoris* refertur: ut sensus sit, non indignum esse officio Episcopali eum, qui in Conjugio vivit; modò sit *unius* tantùm & non plurium simul uxorum maritus. Sic Chrysostomus in Tit. Homil. 2. *Paulus obstruere prorsus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens, eam rem culpâ carere, imo ita esse pretiosam, ut cum ipsâ etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatûs solium evehi.* Atque iterum in 1. Tim. III. Homil. 10. *Non hoc veluti sanciens dicit Apostolus, quod non liceat absq; uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judæis quippe licitum erat, etiam secundo Matrimonio jungi, & duas simul habere uxores.*

2. Argumenta plura petantur ex Confessione p. 32. (21) seq. ejusque Apologiâ p. 379. (236) seqq. Item in Articulo V. inferiùs proponendo, ubi plura exhibentur in Confessione p. 53. (33) seqq. & in Apologiâ p. 457. (288)

Αντίθεσις est Pontificiorum, ex quibus Jesuita effrons Costerus, in Enchirid. tit. de Cœlibatu c. 19. propos. 9. p. m. 550. scribit: *Sacerdotem graviùs peccare, si contrahat matrimonium, quàm si fornicetur, aut domi concubinam foveat.*

Plura

Plura hujus furfuris congessimus in Exercit. ad Concil Hierosſ. c. 41. n. 5.

Thesis II. *Mortuâ priori conjuge, Sacerdotes æquè ac alii homines, ad secundas nuptias licitè transeunt.*

Ἔκθεσις 1. Distinguimus inter Polygamiam simultaneam & successivam. Illa prohibetur; hæc conceditur.

2. Conceditur verò non tantùm permissione facti; sed & permissione juris, tàm divini, quàm humani.

3. In locis 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. non agitur de singularitate nuptiarum, videlicet quod Sacerdotibus non nisi semel nuptias celebrare concedatur; sed de singularitate mulieris, quod non nisi unam, uno eodemque tempore, mulierem habere debeant.

Βεβαίωσις. Probatur 1. quia secundæ nuptiæ omnibus promiscuè conceduntur, Rom. VII. 2. 3. 1. Cor. VII. 39. 1. Tim. V. 14. Malè igitur excipiuntur Sacerdotes, quos eadem causa ad secundas nuptias stimulare potest, quæ ad primas stimulavit, aut quæ Laicos stimulat.

2. Quia Paulus 1. Cor. VII. 8. seipsum inter viduos numerat: & tamen 1. Cor. IX. 5. asserit, *se habere potestatem circumducendi uxorem, sicut Cephas & reliqui Apostoli.*

3. Quia in primitivâ Ecclesiâ, sacerdotibus hoc licuit. Alioqui enim non potuisset orthodoxis objicere Tertullianus, jam Montanista L. de Monogamiâ c. 12. *Cur non erubescunt, quotquot ex digamiâ præsident apud vos.* &c.

Ἀντίθεσις est Græcorum, qui tametsi primas nuptias Sacerdotibus concedant, secundas tamen, nisi ut digami loco moveri velint, illis prohibent.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod apud nos Ministri Ecclesiæ, quamvis dono con-

tinentiæ gaudeant, necesſitate præcepti, uxores habere teneantur. Sic Fabricius, Daventria, Cochlæus. Reſp. Calumniam diſpelli per Apologiam. p. 383. (239. 240)

II. Quod dicendo, hominem ad hoc creatum eſſe, ut generet, idem ſit, ac ſi ſtatueremus, hominem creatum eſſe Epicuri de grege porcum. Sic Fabricius. Reſp. Injuriam hancce in Deum ipſum redundare, qui eadem nobiſcum dicit, Gen. I. 27. 28.

III. Quod noſtri ridiculè ſcripſerint, *Eccleſiis aliquando defuturos Paſtores, ſi diutiùs prohibeatur conjugium Sacerdotibus*, p. 34. (23) Sic Fabricius. Hæc non intelligenda eſſe de Sacerdotibus, quomodocunque ſe habentibus; ſed de Sacerdotibus caſtis, & gregi bono exemplo prælucentibus.

ARTICULUS III.

DE MISSA.

I. EXPLICATIO.

HIc Articulus, qui in invariatâ Confeſſione tertium locum occupat, in Confeſſione variatâ primus eſt, ubi utrinque in initio quidem & fine eadem propè verba retinentur, ſed in medio plurima adduntur, quamvis ſine orthodoxiæ præjudicio, aut contaminatione. Inter multa alia repetere liceat iſta: *Conſtat autem, multis ſeculis publicam fuiſſe querelam bonorum virorom, de Miſſarum abuſu ac prophanatione: non enim obſcurum eſt, quàm latè pateat hic abuſus, in omnibus templis, â qualibus celebrentur Miſſæ, contra Canonum interdictum. Deinde quàm turpiter ad ſacrilegum quæſtum conferantur. Plurimi enim celebrant Miſſas, & ſine pœnitentiâ, & tantùm ventris causâ. Hæc notiora ſunt, quàm ut disſimulari posſint. Nec videtur*

unquam

unquam ulla res divina, ab initio mundi, adeo vulgò ad quæstum collata esse, sicut Missa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant Sacramentum, cum ait: Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sangvinis Domini. Et in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. Ut igitur sæpè aliàs mundus dedit pœnas pro idololatriâ; ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipuè plectitur Ecclesia, his postremis temporibus, cæcitate, discordiis, bellis & aliis multis pestibus. Item circa finem: *Ex Nicenæ Synodi decretis apparet, unum aliquem celebrasse Liturgiam, ut Græci vocant, qui cæteris omnibus porrexerit corpus & sanguinem Domini. Hæc enim sunt verba decreti: Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel â presbytero sacram communionem. Hic disertè ipsos presbyteros ait accipere Sacramentum, ab uno quodam porrigente. Nec privatæ Missæ ulla fit mentio, ante Gregorii tempora; sed quoties veteres de Missâ loqvuntur, apparet, eos de unâ quadam communi Missâ loqui.*

Cæterùm in invariatâ Confessione. p. 36. (23)

I. Innocentia Nostrorum demonstratur,
- 1. Negatione eorum, quæ objiciebantur. *Falsò accusantur nostri, quod Missam aboleant.* p. 36. (23)
- 2. Recensione eorum, quæ apud nos fiunt,
  - 1. quod reverenter Missam, in sensu orthodoxo sic dictam, tractemus. *Retinetur — celebratur.* Ibid.
  - 2. quod ceremonias in primitivâ Ecclesiâ usitatas servemus. *Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes.* Ib.
  - 3. quod sacra illa in lingvâ notâ celebremus. *Præterquam quod Latinis — humano jure.* p. 36. 37. (23. 24)
  - 4. quod populus cum Ministro utatur Sacramento. *Assvevit populus — publicarũ ceremoniarũ.* p. 37. (24)

a b

5. quod non nisi sufficienter instituti & edocti, ad usum Sacramenti admittantur. *Nulli enim admittuntur—pietatem erga Deum.* Ibid.

6. quod non minori religione apud nos, quàm apud adversarios Missa fiat. *Itaq; non videntur—quàm apud nos.* Ibid.

II. Abusus Pontificiorum detegitur. Nam

1. ex Missâ quæstum faciunt. Istud

1. proponitur. *Constat autem hanc—Canonum celebrent.* p. 37. (24)

2. exaggeratur

1. quod sit contra monitum Apostoli. *Paulus autem graviter—sangvinis Domini.* p. 37. 38. (24)

2. quod propterea Missæ privatæ prorsus abolendæ fuerint. *Itaq; cum apud nos—quæstûs causâ fierent.* p. 38. (24)

3. quod conniventia Episcoporum, in hâc causâ, dissensiones auxerit. *Neq; ignoraverunt—de Sacramento extiterunt.* Ibid.

4. quod prophanatio ista Dei pœnam provocaverit. *Fortasse dat pœnas—collata fuisse, ut Missa.* p. 38. (25)

2. Missam pro sacrificio, quod ex opere operato peccata deleat, venditant. Istud

1. proponitur, sistendo

1. Hypothesin adversariorum, de insufficientiâ satisfactionis Christi. *Accessit opinio—mortalibus & venialibus.* Ibid.

2. Theses hypothesi illi superstructas,

1. de Sacrificio Missatico. *Hinc manavit—ex opere operato.* Ibid.

a b c 2. de

F C

2. de finitâ Missarum efficaciâ, adeoque necessariâ earum multiplicatione. *Hinc cœptum est — multitudinem Missarum.* Ibid.

2. Refutatur, quia talia dogmata adversantur Scripturæ S. ex quâ discimus,

1. Christum sufficienter satisfecisse, Hebr. IX. 26. 28. *De his opinionibus — in perpetuum sanctificatos.* p. 39. (25)
2. Nos per fidem in Christum justificari, non ex ullo opere, Rom. III. 25. *Item Scriptura docet — Scriptura non patitur.* Ibid.
3. Missam fieri debere in Christi memoriam, ut fides recordetur, quæ beneficia per Christum contingant, Sacramento utentibus Luc. XXII. 19. *Sed Christus jubet — debeo accipere medicinam.* p. 39. 40. (25. 26.)

III Substitutio unius communis Missæ, in locum plurium solitariarum, defenditur. Exponitur enim

1. quid apud nos fiat. *Cum autem Missa — qui petunt.* p. 40. (26)
2. quod idem in veteri Ecclesiâ factum sit: Provocatur autem ad testimonia,
   1. generaliter. *Neque hic mos — plurimum loquuntur.* Ibid.
   2. specialiter
      1. Chrysostomi. *Chrysostomus ait — alios arcere.* Ibid.
      2. Canonum veterum. *Et ex Canonibus — sacram Communionem.* Ibid.
      3. Pauli Apostoli, 1. Cor. XI. 33. *Et Paulus — communionis participatio.* Ibid.
      4. Historiæ Tripartitæ. *Nam olim etiam — oblationis morem.* p. 41. (26)

2

a

IV. Brevis recapitulatio totius articuli instituitur. *Postquam igitur Missa—certè moderari prodesset.* Ibid.

IN APOLOGIA p. 399. (250) seqq.

I. Repetuntur quædam ex ipsâ Confessione. *Initio hoc iterum—& alia similia.* p. 399. (250)

II. Disputatio instituitur,

1. de Usu linguæ Latinæ in sacris, ubi sistitur
   1. heterodoxa Thesis. *Adversarii longam—prodesse sine intellectu.* p. 400. (250)
   2. orthodoxa Antithesis. *Hæc nolumus odiosè—Pharisaicæ opiniones.* Ibid.
2. de Missis solitariis, quibus opponuntur
   1. Praxis Græcæ Ecclesiæ. *Quod non tantùm fit—Dominicis diebus & festis.* p. 401. (250. 251)
   2. Reliquiæ consvetudinis priscæ in Monasteriis. *In Monasteriis fit—ejus rei modum desideraverint.* p. 401. (251)
   3. Institutum Francisci, quod â Successoribus mutatum est. *Quanquam S. Franciscus—autoritatem majorum.* Ibid.
   4. Testimonium Epiphanii. *Epiphanius scribit—καὶ κυϱιακῇ.* p. 401. 402. (251)
3. de Sacrificio, (ut vocatur) Missatico. Hîc
   1. Status controversiæ, ab Adversariis neglectus & turbatus, restituitur, videlicet, quod non tam quæratur, an Missa ullo modo Sacrificium dici queat? quàm an sit tale Sacrificium, quod prosit ex opere operato? *Etsi autem Adversarii hoc in loco—Monachi & Sophistæ.* p. 402. 403. (251. 252.)
   2. Adversariorum socordia, in explicandâ Sacrificii

a b c quid-

quidditate, arguitur. *Quanquam autem causa—cum species sacrificii recensuerimus.* p. 403. 404. 405. (252. 253)

3. diversitas inter Sacrificium & Sacramentum manifestatur. *Theologi rectè solent—ut eum honore afficiamus.* p. 405. (253)

4. Sacrificii duæ species describuntur. *Sunt autem Sacrificii species—retributiones, primitiæ, decimæ* p. 405. 406. (253. 254)

5. quod non nisi unicum sit Sacrificium propitiatorium, nempe mors Christi, ostenditur. *Sed reverà unicum—ut exhibeat propitiationem.* p. 405. 406. (254. 255)

6. quod eucharistica Sacrificia plura quidem, non tamen satisfactoria sint, demonstratur. *Nunc reliqua sunt—h. e. fide in Christum.* p. 408 (255. 256)

7. quod cultus N. T. spiritualis sit, & opinionem de opere operato excludat, ex Scripturâ probatur. *In summâ cultus N. T. est spiritualis — afflictiones propter Evangelium, & similia.* p. 408. 409. 410. 411. (256. 257. 258)

8. Objectionibus adversariorum respondetur,
   1. ex Malach. I. 11. *Et de his Sacrificiis — magnum nomen Domini.* p. 411. 412. (258. 259)
   2. ex Malach. III. 3. *Citatur ex Malachiâ—more Levitici sacerdotii* p. 412. 413. (259)
   3. quod sicut in Lege fuit juge Sacrificium; ita etiam in N.T. requiratur. *Allegant & juge Sacrificium——in auro & argento.* p. 413—419. (259—263)
   4. ex Hebr. V. 1. *Allegant & ex Epistolâ —— pro*

a b c d Ooo *aliis*

b c d

aliis ex opere operato p. 419——422. (263. 264. 265)

5. ex Patribus. *Et quoniam loca Scripturæ——Patribus & Scripturæ* p. 424. 425. (266. 267)

6. ex vocibus Missæ, λειτεργίας, Altaris, Oblationis. *Adversarii revocant nos—de gratiarum actione* &c. p. 429—432. (269—272)

9. Monstra opinionum Pontificiarum de Sacrificio Missatico recensentur & eliminantur. *Ostendimus rationem quare — neq; Patrum testimonia habent.* p. 422. 423. 424. (265. 266)

10. Orthodoxa sententia de Sacramento proponitur,

1. quod finis ejus duplex sit, primarius & secundarius. *Quidam belli homines — ostendens promissionem.* p. 225. 226. (267)

2. quod ex opere operato, sine fide, non prosit: *Ergo sicut promissio—sine fide prosit, aut facienti, aut aliis.* p. 426—429. (267. 268. 269)

4. de applicatione Missæ pro defunctis, quâ in parte

1. Opinio adversariorum, refellitur sequentibus argumentis,

1. quod nullum habeat testimonium in Scripturâ. *Quod verò defendunt — transferre ad mortuos.* p. 432. (272)

2. quod sit injuriosa in Deum. *Hoc est abuti—quantum morti Christi.* Ibid.

3. quod adversetur Apostolo Rom. V. 1. *Deinde peccatum—alieni operis.* p. 432. 433. (272. 273)

4. quod purgatorium ipsum nullis nitatur fulcris. *Omittemus jam — vanissimam esse.* p. 432. (274)

a b c

5. Ar-

5. quod cœna Domini alium in finem instituta sit. *Illud tantùm opponemus——quid sit fides intelligunt.* p. 433. 434. (273. 274)

2. Argumentis eorum respondetur, petitis

1. ex Græco Canone & Patribus. *Nec Græcus Canon —aliter se ipsi interpretarentur.* p. 435. (274)
2. â damnatione Aërii hæretici. *Falsò enim citant adversarii——gloriam Christi & justitiam fidei.* p. 435. 436. 437. (274. 275. 276)

III. Tota causa peroratur. *Hæc de Missâ breviter——erit agenda causa* p. 437. 438. (276)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Quod Missa sacrificium propriè sic dictum vereq; propitiatorium sit, in quâ videlicet JEsus Christus, modo incruento, pro vivis mortuisq;, ad impetranda omnis generis beneficia, Patri cœlesti â Sacerdote offeratur, pernegamus.*

Ἔκθεσις 1. Vox Sacrificii, quà sensum latiorem, in Apologiâ p. 405. (253) definitur: *Opus, quod nos reddimus Deo, ut eum honore afficiamus;* quæ descriptio etiam Sacrificiis impropriè sic dictis applicari potest, nempe (1) Fidei Phil. II. 17. (2) Precationi Ps. XLI. 2. Hebr. V. 7. (3) Gratiarum actioni Ps. L. 23. Hebr. XIII. 15. (4) Patientiæ 2. Tim. IV. 6. (5) Carnis mortificationi & vitæ renovationi Rom. XII. 1. 1 Petr. II. 5. (6) Liberalitati Phil. IV. 18. 19. Hebr. XIII. 16. (7) Verbi prædicationi Rom. XV. 16. & (quæ loca frequenter objici solent) Mal. I. 11. III. 3. Conf. Apol. p. 411. (258) seqq. At in sensu strictiori Sacrificium definitur: *Actio sacra, quâ Sacerdos, juxta voluntatem Dei, rem externam & visibilem Deo offert, ut Deus per illius destructionem, colatur.*

2. Ex quo patet, ad Sacrificium propriè dictum requiri (1), ut res externa & sensibilis offeratur, (2) ut res oblata destruatur, (3) ut oblatio fiat Deo & juxta voluntatem Dei, (4) ut offeratur â Sacerdote propriè dicto.

3. Pariter & vox oblationis, quâ Scriptores Ecclesiastici frequentissimè utuntur, in sensu generali notat præsentationem cuicunque objecto personali, quocunque modo, quocunque fine, & â quocunque subjecto offerente factam: in sensu autem speciali respicitur ad Sacrificium, ubi quidem τὸ Offerre nihil aliud notat, quàm Sacrificium ex eo facere, quod nondum tale est.

4. Errare igitur nequit, qui de Oblatione generaliter sic dictâ exponit, omnia loca Scriptorum, in quibus aliquid offerri legitur (1) Sacerdoti, vel alii creaturæ, (2) â Laicis (3) quod non est res externa & visibilis (4) quod non destruitur.

5. His præsuppositis, concedimus Missam, sive (quod nobis impræsentiarum idem notat) Eucharistiam, posse appellari Sacrificium impropriè loquendo, nimirum (1) per Synecdochen speciei pro genere, ut nomine Sacrificii intelligamus quamvis actionem sacram (2) per Metonymiam subjecti, ut Missa non per se Sacrificium vocetur, sed propter preces memoriamque & prædicationem beneficiorum divinorum; quo respectu passim *Sacrificium Eucharisticum* salutatur: item propter dona communicantium, quæ in primitivâ Ecclesiâ partim usui Sacramenti, partim sustentationi Ministrorum & Pauperum destinabantur (3) per Metonymiam effectûs, propter novitatem vitæ, quam Eucharistiâ utentes stipulantur (4) per Metonymiam signi, quia fit in commemorationem illius, qui unicum sacrificium in arâ crucis factus, cum pane ac vino sacramentaliter communicantibus porrigitur. At nunc quæstio est; an Missa sit Sacrificium propriè sic dictum? quod inficiamur.

6. Si-

6. Similiter largimur, non tantùm Euchariſtiam offerri communicantibus, ſed ipſum quoque Chriſtum, dum celebratur Euchariſtia, offerri Patri ſuo, juxta acceptionem vocabuli generalem, videlicet ſi intelligatur oblatio per preces, tàm â Miniſtro, quàm ab Eccleſiâ ad Deum fuſas, ut propter Chriſti meritum, quæ petimus, ex divinâ gratiâ conſequamur. Enimverò nunc de eo quæritur, an Chriſtus â Sacerdote, ut Sacrificium ſtrictè ſic dictum & quidem modo, quem Adverſarii ſic vocant, incruento offeratur? quod negamus.

7. Sic quoque alia eſt quæſtio, an in Miſsâ ſeu Euchariſtiâ præſens ſit Sacrificium propriè dictum, ſcilicet Chriſtus, qui ſemel ſe obtulit? Et alia rurſus; an ipſa celebratio Miſſæ ſit Sacrificium propriè ſic dictum? Illam admittimus; hanc rejicimus.

8. Sacrificium & Sacramentum ita differunt, quod hic â Deo aliquid offertur hominibus; ibi ab hominibus aliquid offertur Deo. Vid. Apol. p. 405. (253)

9. Quandoquidem Adverſarii ex Sacerdotum nomine ad Sacrificium argumentantur, obſervandum eſt, Sacerdotes in ſenſu ſtrictiori dici eos, qui circa Sacrificia, propriè ſic appellata, occupantur; quorum adeo officium, cum reliquis typis, præſente antitypo, exſpiravit. At Sacerdotes in ſenſu latiori illi etiam vocantur, qui Sacrificia impropriè ſic dicta offerunt, quales in N. T. quoad miniſterium internum ac privatum, omnes Chriſtiani ſunt Eſ. LXI. 6. LXVI. 21. 1. Petr. II. 9. Apoc. I. 6. & quoad miniſterium externum ac ſolenne illi, qui peculiari vocatione ad hoc officium â cæteris ſegregantur, quos Lutherus diſtinctionis gratiâ *Sacerdotes Eccleſiaſticos* (Kirchen Prieſter) appellavit.

10. Eodem modo in N. T. præſto eſt *Altare* impropriè ſic dictum, quo nomine Hebr. XIII. 10. totum Chriſti mediato-

ris mysterium denotatur, adeo ut *edere de altari*, sit fructum Satisfactionis Christi percipere: Non autem suppetit Altare propriè sic dictum.

11. Cum verò Eucharistia appellatur *Sacramentum Altaris*, tunc per Altare non intelligimus aram ad sacrificandum erectam; sed mensam, cui olim, in primitivâ Ecclesiâ, Christianorum munera imponebantur. Quod enim non omne Altare propter Sacrificia erigatur, patet ex Jos. XXII. 26. 27.

12. A primitivâ Ecclesiâ, in administratione Eucharistiæ, usurpatam fuisse commemorationem mortuorum, concedimus: verùm eâ de causâ, quâ hodie à Pontificiis suscipitur, usurpatam fuisse, inficias imus.

13. Finis nimirum tunc non erat satisfactio pro pœnis; sed partim gratulatio & commendatio, respectu mortuorum; partim adhortatio ad imitationem, respectu viventium; partim denique gratiarum actio, pro liberatione, respectu Dei.

14. Ipsa hæc commemoratio vocabatur *Oblatio*: nempe Oblatio verbalis; non realis. Neque enim pro mortuis Eucharistia offerebatur; sed tantùm mortuorum nomina in precibus, celebrationi Eucharistiæ annexis, Domino offerebantur.

15. Verum est, quod Melchisedecus præfiguraverit Christum, videlicet in eo, quod nec Patrem, nec Matrem habuisse legitur, itemque quod Rex justitiæ & pacis, simulque Sacerdos fuerit &c. Hebr. VII. 2. 3. Interim falsum est, quod oblatio ejus facta Abrahamo, sacrificium fuerit & Missam præfiguraverit Gen. XIV. 18. Ponamus tamen, non concedamus, rem ita se habere, sequeretur certè ex eo (1) Laicis non esse denegandum vinum; quia Melchisedecus vinum Abrahami militibus attulit: (2) aquæ mistionem cum vino, non esse necessariam; quia probabile non est, Melchisedecum vino diluto, hospites suos è prælio reduces excepisse: (3) non fieri transsubstantiationem; quia panis Melchise.

chisedeci mansit panis & vinum Melchisedeci mansit vinum: (4) Missam non offerri pro mortuis; quia Melchisedecus non nisi vivorum rationem habuit: (5) non adorari debere; quia cultus ille, pani & vino Melchisedeci delatus non est. &c.

16. Pronomen demonstrativum *HOC*, cui immediatè succedit verbum *FACITE*, non referendum est ad nomen *CORPUS*; sed ad totam actionem complexam, â Christo hunc in modum præceptam; *ACCIPITE, COMEDITE, HOC EST CORPUS MEUM.* Proinde *Facere*, non est Sacrificare; nisi statuere velimus, omnes Christianos, adeoque & Laicos sacrificare debere; quia omnes *facere* debent, quod Christus præcepit, nempe accipere & comedere, quod pro iis in mortem est traditum.

17 Christus est æternus Sacerdos, Hebr. VII. 3. propter efficaciam Sacrificii, ab ipso semel oblati, semper permanentem; nequaquam verò propter actus sacrificii, quotidiè iterandi, transeuntes.

18. Quod ex jugi Sacrificio V. T. non stabiliatur Missaticum, quod vocant Sacrificium, prolixissimè exponitur in Apolog. p. 413. (259) seqq.

19 Ibi quoq; agitur de vocabulo λειτουργίας. p. 429. (269) sqq.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Missam non esse sacrificium propriè sic dictum* (1) â distinctione inter Sacramentum & Sacrificium. Vid. Apol. p. 405. (253). (2) à defectu requisitorum Sacrificii propriè sic dicti, de quibus vid. ἔκθ. observat. 2.

II. *Missam non posse dici propitiatoriam*: quia tale Sacrificium non nisi unicum est, nempe mors Christi, â quâ etiam Sacrificia veteris Testamenti, per se inefficacia, valorem acceperunt. Vid. Apol. p. 406. 407. (254. 255)

III. *Christum in Missâ non offerri quotidie*, (1) ex Hebr. IX. 12. 26. 28. (2) ex locis parallelis aliis Hebr. VII. 27. seq. X. 10. 14. Rom. VI. 10. 1. Petr. III. 18. Quia

Chri-

Christus (1) *non sacrificatus est*, nisi *SEMEL:* id quo[...] ter in citatis versiculis repetitur (2) per istud Sacrificium suum *aeternam* (λύτρωσιν) *redemptionem invenit*, v. 12. ut proinde novo lytro, quod mediante Sacerdote in Missâ persolvatur, non opus habeamus (3) *per hostiam suam apparuit ad* (ἀθέτησιν) *abolitionem peccati.* v. 26. ex quo sequitur, nihil in fidelibus superesse, quod de novo, tanquam â Christo anteà non abolitum, per Missam aboleatur. (4) postquam *semel oblatus est* exspectari vult, donec *in secundo* adventu *sine peccato videatur* v. 28. Non ergo quotidie â Sacerdote offertur.

IV. *Modum incruentum, quo Christus in Missâ offerri perhibetur, non facere ad propitiationem*, ex Hebr. IX. 22, Quia *sine sangvinis effusione nulla fit remissio.*

V. *Missam non ordinari pro mortuis*, ex 1. Cor. XI. 24. 26. Ordinatur enim pro illis tantùm, qui possunt (1) edere & bibere (2) hoc in commemorationem Christi facere (3) Mortem Domini annunciare. Conf. plura ex Apol. p. 432. (272) seqq.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui in hisce per omnia nobis contradicunt.

Thesis II. *Missa meritò in linguâ populo cognitâ, celebratur.*

Ἔκθεσις 1. Vox Missae Ecclesiastica est; non Biblica. Ab Ecclesiasticis enim Scriptoribus, primùm circa finem Seculi III. usurpata reperitur. Dicta autem est *Missa*, quasi *Missio*, uti Remissa pro Remissio. Caeterùm Missio in Ecclesiâ olim duplex erat, alia Catechumenorum, ante Sacramenti administrationem; alia reliquorum Fidelium, post Sacramenti administrationem. Tunc enim proclamabatur: *Ite, missa est*: à quâ solenni voce, Eucharistia, cum omnibus suis precibus & ritibus, nomen accepit.

2. Ipsam

2. Ipſam igitur Miſſæ vocem non improbamus, utpote quæ in Auguſtanâ Confesſione ejusque Apologiâ retinetur; at cum abuſibus, circa rem voce iſta notatam, in Papatu occurrentibus, nihil nobis commercii eſt.

RESPON. CAROL LUDOV Hoheisel Gedan.

3. Unde in Diſputationibus noſtris contra Miſſam, nunquam Miſſa verè Chriſtiana; verùm unicè Miſſa Pontificia intelligitur.

4. Alia quæſtio eſt, quid fieri quomodocunque posſit? & alia, quid ex uſu populi meritò fieri debeat? Non negamus, Miſſam ſeu Euchariſtiam eſſe, quæ ſervatâ in reliquis Chriſti inſtitutione, in linguâ ignotâ celebratur; at hoc inficiamur, quod ad Eccleſiæ ædificationem tantum conferat, quantum, ſi in linguâ notâ celebraretur, conferret.

5. Unitas Eccleſiæ in toto orbe diſperſæ, non æſtimanda eſt ex unitate linguæ, quâ Miniſtri Dei utuntur; ſed ex unitate fidei, quâ Chriſtiani inter ſe connectuntur.

Βεβαίωσις, Probamus ex 1. Cor. XIV. ubi Apoſtolus ex profeſſo, contra uſum linguæ ignotæ in Sacris, diſputat, oſtenditque (1) eum, qui linguâ ignotâ loquitur, ſemet ipſum quidem ædificare; non verò Eccleſiam v. 3. 4. 17. ad cujus tamen ædificationem omnia tendere debent v. 12. (2) eum nihil prodeſſe Eccleſiæ v. 6. ſed in aërem loqui v. 9. (3) eundem eſſe barbarum ei, cui loquitur v. 11. (4) ad illius benedictionem non poſſe à populo *Amen* (videlicet ex fide) reſponderi. v. 16. (5) linguas *in ſignum datas eſſe infidelibus; non fidelibus* v. 22. Addantur plura ex Apologiâ p. 400 (250)

Αντίθεσις eſt Pontificiorum, ex quibus Benjamin Prioli, Pontificiorum cœtui addictus, cum Calvini ſententiam de Sacrificio Miſſatico detegeret, ſuam pariter de Linguæ Latinæ uſu, prodidiſſe videtur Hiſt L. 1. c. 20. p. 22. ſcribens: *Nil quicquam ſuos prius imbuit, quam ſanctificum cruſtulum, ſacroſan-*

 ctum

ctumq; panificium non verti in Christum per murmur Sacrifici; quod horresco memorans: summum illud, quod venerantur, non manibus pistoris effingi, nec mutabile, nec interiturum; Missæ Sacrificium, & pro mortuis preces, vilia habere &c.

Thesis III. *Missa, prouti apud Pontificios, juxta Missale Romanum, celebratur, ob plurimos enormesq; errores, probari nequit.*

Ἔκθεσις 1. Non quæritur de aliis veterum Liturgiis & Missis, sive veris, sive suppositìtiis, quæ Margarinus de la Bigne in Bibliothecâ Patrum, & Pamelius in Liturgico collegerunt & exhibuerunt; sed tantùm de Missâ Romanâ.

2. Liber, in quo ratio celebrandi hanc Missam traditur, *Missale* dici consvevit, quod Zacharias Papa exorsus est, & Gregorius M. in meliorem formam redegit. Accesserunt deinde alia atque alia, donec tandem ei, ex decreto Concilii Tridentini, autoritate Pii V. ultima manus imponebatur.

3. Non inficiamur, in formulâ illâ Missaticâ occurrere quædam bona; sed negamus omnia ibi esse bona. Malorum fertilior propè seges est, quàm bonorum.

Βεβαίωσις. Improbamus in Missâ Pontificiâ (1) quod *confessio* peccatorum non soli DEO; sed & *Mariæ, Archangelo* & *Sanctis demortuis* fit: (2) quod DEUS *per merita Sanctorum* oratur: (3) quod panis & vinum, ante consecrationem, prædicantur esse *immaculata hostia, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus & negligentiis* ejus, qui hæc offert, imo & *pro omnibus circumstantibus & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atq; defunctis, quibus proficiat ad salutem in vitam æternam* (4) quod Sacerdos precatur, ut *per aquæ & vini* (cui aqua miscetur) *mysterium, divinitatis Christi consortes fiamus*: (5) quod ad *intercessionem Sanctorum* provocatur: (6) quod panis & vinum offeruntur *in honorem*

rum Mariæ & omnium Sanctorum, ut illis oblatio isthæc ad honorem proficiat: (7) quod panis & vinum religioso adorationis cultu afficitur: (8) quod Symbola, jam ex opinione Adversariorum transsubstantiata, nihilominus de novo, cruce signantur; tanquam ulterioris consecrationis, sive benedictionis capacia: (9) quod Sacerdos, consecratione jam peractâ, tanquam mediator inter Deum, Patrem & Filium, pro Filio apud Patrem intercedit, inquiens: *Supra hæc sacrificia, propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel & sacrificium Patriarahæ nostri Abrahæ &c:* (10) quod blasphemè supponitur, ac si corpus Christi nequeat coram Deo nisi per Angelos sisti. Hunc enim in finem preces continuantur: *Jube hæc perferri, per manus Sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ*: (11) quod actio sacra tot ineptis & superfluis gesticulationibus contaminatur. De his & aliis exhibentur plura apud Lutherum T. 3. Jenens. Germ. f. 500. seqq.

Αντίθεσις est Pontificiorum.

Thesis IV. *Actus formales, Sacramentum Eucharistiæ in esse suo constituentes & ad integritatem illius necessarii, tres sunt, nempe Symbolorum, per repetita institutionis verba, Consecratio; inter communicantes Distributio; & respectu eorundem Acceptio: ut proinde Missæ privatæ, seu, solitariæ, in quibus nulla fit Distributio, rejiciantur; neq; Symbola, licet consecrata, extra usum, v. g. cum reconduntur, aut ad cultum exponuntur, vel circumgestantur &c. pro Sacramento haberi debeant.*

Ἔκθεσις 1. Sub nomine Consecrationis, non intelligitur magica immutatio; sed Symbolorum, juxta mandatum Christi, per preces & verba institutionis, suscepta præparatio.

2. Christus enim per εὐλογίαν (Matthæi XXVI. 26.) sive εὐχαριστίαν (Luc. XXII. 17) à Patre cœlesti obtinuit, atque ideo etiam ordinavit, ut quoties, juxta primam institutionem, actio isthæc celebratur, verum corpus & verus sanguis, mediantibus externis symbolis, præsto sint: id quod actu impetratur, Ministro preces, præsertim orationem Domini & verba institutionis debitè repetente. Accuratè procedentes distingvunt inter Consecrationem Destinationis & Unitionis. Illa fit per preces, quibus symbola ab usu vulgari ad usum Sacramentalem separantur & destinantur; hæc fit per ipsa verba institutionis, ad quorum recitationem, res cœlestis cum re terrenâ unitur.

3. In Distributione, Symbola non debent misceri, v. g. ut panis vino intinctus exhibeatur; sed debent discerni, ut quodlibet eorum, seorsim communicantibus porrigatur, juxta mandatum Christi: *Edite, Bibite.*

4. De cætero distinguimus inter (δόσιν, καὶ δόσεως τρόπον) Distributionem & Distributionis modum. Illa necessaria est; hic indifferens: Unde parum refert, sive Minister manibus, sive ori communicantium, Symbola inserat, dummodò nihil cum scandalo Ecclesiæ fiat

5. Pro Acceptione, alii ex Theologis nostratibus substituunt Communicationem. Intelligunt autem Communicationem passivam; non activam, quippe quæ eadem est cum Distributione.

6. Hi actus conjunctim & indistractè; non autem divisim & distractè, ad Sacramenti integritatem necessarii sunt. Nam actiones incomplexæ, in Eucharistiâ debent continuari, ut inde emergat una actio complexa.

7. Quando igitur pronuntiamus, quod nihil habeat rationem Sacramenti, extra usum; tunc per usum, non significatur actio partialis; sed totalis, videlicet eo modo, quo à nobis definitum est.

8. Præ-

8. Præsentia Christi in Eucharistiâ, non initio, nec medio, nec fini actionis Sacramentalis; sed toti actioni complexæ, prouti â Christo instituta est, i. e. Consecrationi, Distributioni & Acceptioni, simul sumtis, alligatur.

9. Cum verò in scriptis nostratium, Eucharistia in manducatione & bibitione consistere statuitur, notandum, quod priores actus, nempe consecratio & distributio, non excludantur; sed præsupponantur.

10. Nam in ejusmodi loquendi formulis, definitur Eucharistia ad extra, ut separetur ab actibus extraneis; quales sunt inclusio, circumgestatio, adoratio &c. nequaquam verò ad intra, ut separetur â se ipsâ, sive ut actus ultimus reliquos actus subordinatos excludat. Adeo & hic locum invenit Axioma Logicum: *Exclusiva non tangit, nisi oppositum.*

11. Unio inter rem terrenam & cœlestem, non fit propter rem terrenam, videlicet ut hæc in statum eminentiorem elevata, reponatur, circumgestetur, colatur; sed propter hominem, re terrenâ, juxta Christi institutionem, usurum, ut is, mediante re terrenâ, rem cœlestem consequatur.

12. Ab eo quod fit secundum mandatum Dei, ad id quod fit sine mandato Dei N. V. C. Manna quidem volente Deo asservabatur in arcâ Hebr. IX. 4. At cum absque peculiari jussu, in usum futurum reconderetur, putrescebat Exod. XVI. 20. Similiter cum Deus juberet circumgestare arcam, id bene cessit Jos. VI. 14. Non item cum absque Dei mandato adversus hostes portaretur, 1. Sam. IV. 3. seqq. Jam verò nullum mandatum ostendi potest, de symbolis Sacramentalibus recondendis, aut ad cultum eis deferendum, reponendis, vel circumgestandis.

13. Licet circumgestare Symbola: sed usûs gratia v. gr. propter infirmos; non ad cultum.

14. Concedimus, ſymbola conſecrata reverenter eſſe tractanda; at negamus, religiosè eſſe colenda: utpote quod eis ne quidem in Euchariſtiæ celebratione competit; multò minus extra eam, ubi unio ſacramentalis ceſſat, & panis quamvis antè conſecratus, nihil niſi communis panis eſt.

15. Alia quæſtio eſt, an Chriſtus in Euchariſtiâ præſens, ſit religiosè colendus? & alia, an Euchariſtia ipſa, ſive ſymbola Euchariſtiæ conſecrata, ſint religiosè colenda. Illam affirmamus; hanc inficiamur.

16. Etſi enim id, quod cum Deo perſonaliter unitur, poſſit fieri objectum religioſi cultus; idem tamen nequaquam extendendum eſt ad id, quod cum Deo unitur ſacramentaliter. Quapropter â naturâ humanâ, in hypoſtaſin τȣ̃ λόγȣ aſſumtâ, ad Panem euchariſticum, argumentari non licet.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Actus formales Euchariſtiæ tres eſſe, Conſecrationem, Diſtributionem & Acceptionem* (I) ex Matth. XXVI. 26. Quia tot actuum mentio fit in inſtitutione Euchariſtiæ, nimirum (α) Conſecrationis: *JESUS benedixit*; (β) Diſtributionis: *Panem acceptum fregit, deditq; Diſcipulis*; (γ) Acceptionis: *Ac dixit: Accipite, Comedite.*

2. ex I. Cor. X. 16. Quia Paulus de Euchariſtiæ inſtitutione ac adminiſtratione ſcribens, ſimiliter tres illos actus commemorat, nimirum (1) Conſecrationem: *Poculum benedictionis, cui benedicimus*; (2) Diſtributionem: *Panis quem frangimus*; Frangitur autem propter diſtributionem; (3) Acceptionem: *Nonne communio ſanguinis & corporis eſt.* Hujuſce communionis Finis CUI ſunt homines, quibus ſymbola, ut accipi queant, diſtribuuntur.

II. *Miſſas privatas ſeu ſolitarias, in quibus nulla Diſtributio fit, meritò rejici*, ex Matth. XXVI. 26. I. Cor. XI. 23. Quia deeſt unus formalium & conſequenter ad integritatem neceſſariorum actuum, contra inſtitutionem ac exemplum Chriſti

Christi & praxin primitivæ Ecclesiæ. Nam (1) Christus instituendo Eucharistiam, non tantùm *benedixit*, sed etiam symbola distribuit. Quisquis igitur Eucharistiam sine Distributione celebrat, ille institutionem negligit, & ab exemplo Christi, nobis loco normæ proposito, recedit (2) verba illa: *Accipite, Manducate, Bibite*: expressè requirunt usum, & quidem usum sic determinatum, ut *in Manducando & Bibendo* consistat: (3) Consecratio fit propter Distributionem. Si igitur illa necessaria est, sequitur hanc magis necessariam esse, juxta Canonem: *Propter quod aliquid tale est, illud magis tale est*: (4) Paulus & qui eum in primis seculis exceperunt, Eucharistiam nunquam sine distributione celebrarunt. Vid. Aug. Conf. p. 37. 40. (24. 26.) & Apol. p. 403. (250) seq. ubi hæc latiùs deducuntur, atque alia insuper argumenta adferuntur. Nobiscum, quanto Missæ privatæ dedecori sint Ecclesiæ, agnoscit Benjamin Prioli, cum Histor. L. 2. n. 46. p. 79. de Carolo I. Angliæ Rege scriberet: *Cogitatum forsan de solenni, ut nos loquimur, Sacrificio retinendo; amputatâ Missatum frequentiâ, quæ vulgi incuriâ & illuvie Sacerdotum, dedecorat Religionem, præsertim è privatis ædibus eliminandâ; cum notetur clarè, quò crebriùs privatim missificatur, eò injustiorem & iracundiorem fieri dominum ædium, & deteriorem familiam.*

III. *Symbola, licet consecrata, extra usum non esse Sacramentum*: ex iis, quæ in præcedentibus adducta sunt. Quia, ut quid Sacramentum sit, oportet actus formales, indivulso nexu cohærere, quos Autor Sacramenti, indivulso nexu conjunxit. At nec Symbola per se actus illi sunt, nec super illis aut cum illis extra usum actus concurrunt: Sola enim adest Consecratio, sine Distributione, aut Acceptione.

IV. *Usum Eucharistiæ non consistere in eo, ut Symbola consecrata recondantur, aut ad cultum exponantur, vel circumgestentur.*

ſentur &c. ex Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 24. 25. Quia Chriſtus jubet *Hoc facere*, quod ipſe fecit. At ipſe nunquam talia fecit, neque facere potuit; quippe quæ Chriſtianos ad idololatriam ſeducunt, contra interdictum Dei. Eſa. XLII. 8. Deut. XXXII 3.

Ἀντίθεσις eſt Pontificiorum per omnia.

Theſis V. *Sacrificia Veteris Teſtamenti abſolutè & per ſe non merebantur remisſionem peccatorum, ſed tantùm relativè & per aliud, cujus typi erant, nempe per Chriſtum aliquando ſacrificandum, quando hic fide apprehendebatur: atq; idem ille adeò ſtrictisſimè loquendo, unicum Sacrificium propitiatorium & V. & N. T. eſt.*

Ἔκθεσις 1. Quot modis ſumatur vox Sacrificii & oblationis & quæ ad Sacrificium ſtrictè ſic dictum requirantur, expoſuimus in Theſ. I. Obſerv. 1. ſeqq.

2. De duabus Sacrificiorum ſpeciebus, quarum aliud dicitur propitiatorium; aliud εὐχαριστικὸν ſeu gratiarum actorium, vid. Apol. p. 405. 406. (253. 254)

3. Sacrificia V. T. non erant ſigna merè ſignificativa; ſed ſimul ejus, quod ſignificabant, exhibitiva. Habebant enim ſe ut organa, divinitus ordinata, quæ Chriſtum Patri, in arâ crucis offerendum, peccatoribus proponebant, offerebant, applicabant & obſignabant.

4. Nec tamen exhibebant Chriſtum realiter; ſed duntaxat typicè.

5. Propter hanc oblationem Chriſti, rectè dicuntur pertinuiſſe ad Evangelium: ſi non quoad actum præceptum, utpote qui legalis erat; attamen quoad finem ac effectum.

6. Uſus legalis ſacrificiorum V. T. in eo conſiſtebat, quod peccatorem, pro quo brutum interficiebatur, de reatu & atrocitate peccati admonerent. Hebr. X. 3. Uſus verò evangelicus

gelicus in eo se exerebat, quod Christum, ut unicum & sufficiens sacrificium propitiatorium adumbrarent. Hebr. IIX. 5. X. 10. 11. 12.

Βεβαίωσις videatur in Apol. p. 406. (254) seqq. Ut tamen methodus consveta servetur, probamus

1. quod Sacrificia V. T. absolutè & per se non meruerint remissionem peccatorum, ex Hebr. X. 4. quia *impossibile est sangvine taurorum & hircorum aufferri peccata.*

2. quod Sacrificia relativè, per Christum, cujus typi erant, meruerint remisſionem, ex Epistolâ ad Hebræos ferè integrâ, præsertim ex c. IX. p. t.

3. quod Christus strictissimè loquendo unicum sacrificium propitiatorium V. & N. T. sit, ex Apoc. XIII. 8. Quia Christus describitur ut *agnus occisus ab origine mundi*, videlicet tempore V. T. in typis & objectivè; at tempore N. T. ut antitypus & formaliter.

Ἀντίθεσις est 1. Socinianorum, qui cum Judæis censent, Sacrificia V. T. absolutè & per se, remissionem peccatorum promeruisse & propitiatoria fuisse; neque omnia Christum præfigurasse; sed duntaxat anniversarium istud Sacrificium, de quo Lev. XVI. 2. seqq. Exod. XXX. 10.

2. Pontificiorum, qui Missam pro Sacrificio propitiatorio strictè sic dicto venditant, de quo vid. Thes. 1.

Thesis VI. *Receptacula animarum, à corporibus discedentium, non nisi duo sunt, videlicet Cœlum & Infernus. Cætera verò, nempe Limbus Patrum, Limbus Infantum & Purgatorium, ut figmenta se habent, proindeq; orationes pro mortuis, ex Purgatorio liberandis, frustrà funduntur.*

Ἔκθεσις 1. Homo confertur cum bestiis Eccles. III. 19. seqq. quoad necessitatem moriendi; non quoad statum post mortem.

2. De ſtatu hominis poſt mortem, nihil conſtabat Salomoni, ex lumine rationis ſibi relictæ Eccleſ. III. 17. 21. Enimverò ex lumine revelationis probè noverat, *animas piorum ad DEum tendere* Eccl. XII. 7. Quapropter quæ conditionatè ab eo dicuntur, non accipienda ſunt abſolutè.

3. In Jobo XIV. 7. ſeqq. non agitur de ſtatu animæ ſeparatæ; ſed de conditione hominis morientis, uſque ad Reſurrectionem. Is enim quoad corpus non evigilabit, *donec erunt cæli.*

4. Similiter Pſ. VI. 6. XXX. 10. CXV. 17. David non negat ſimpliciter, *mortuos laudare Deum*; ſed ſecundum quid, nempe illos non laudare Deum, cum iis, qui in Eccleſiâ militante adhuc degunt.

5. Receptacula animarum à corporibus diſcedentium duo ſtatuimus, cœlum ſeu τȣ̃ gloriæ, & infernum ſeu τȣ̃ ignominiæ. Hæc juxta noſtram ſententiam ſe habent ut oppoſita immediata: Adverſarii autem pro oppoſitis mediatis agnoſcunt.

6. Animæ piorum, quibus cœlum patet, diverſimodè conſiderantur, vel ſub reſpectu ad judicium futurum, quatenus adhuc ſeparatæ manent; vel ſub reſpectu ad judicium præteritum, quatenus ut cum corpore, rurſus unitæ ſpectantur. Hinc Spiritus S. atque Eccleſiaſtici Scriptores, aliter atque aliter de animâ loqvuntur, quæ ante judicium legitur eſſe, *in ſinu Abrahæ, in Paradiſo, ſub Altari, in ſecuritatis requie* &c. poſt judicium verò legitur pervenire *ad conſumationem gloriæ, ad perfectam lætitiam, ad expectatam mercedem, ad nondum acceptas promisſiones &c.*

7. Poſſeſſio gaudiorum ante unionem animæ cum corpore, ut plena ſe habet, quoad partes; augmentum verò capiet poſt unionem cum corpore, quoad gradus.

8. Quod quidem augmentum partim erit intenſivum,

cum

cum anima piorum magis gaudeat, videns corpus de gaudio ſuo participare; partim verò extenſivum, cum majus ſit gaudium, quo afficitur ſimul & anima & corpus, quàm quo ſola anima.

9. Adverſarii plura receptacula comminiſcuntur. Aliud juxta eos eſt temporarium, tum pro animabus in veniali peccato decedentibus, pro quibus nondum ſatisfactum eſt, quas in Purgatorium rejiciunt; tum pro animabus eorum, qui ante Meſſiæ adventum in Domino obierunt, quibus Limbum Patrum aſſignant. Aliud eſt perpetuum, pro parvulis ſine Baptiſmo mortuis, quos in Limbum Infantum relegant. De ſingulis ſpeciatim dicemus.

10. Ut igitur â Purgatorio incipiamus, obſervandum, quod loca, quæ de totius hominis calamitatibus in hac vitâ agant, malè transferantur ad calamitates ſolius animæ, quas poſt mortem pati perhibetur Mich. VII. 8. 9. Zach. XIII. 8. 9. 1. Cor. III. 15. 1. Sam. II. 6. Pſ. XXXIX. 12. XLIX. 16. LXVI. 12. XXCVI. 13. CVII. 14.

11. Vaticinium de effectis Evangelii, tempore N. T. ineptè habetur pro deſcriptione Purgatorii Eſ. IV. 4. Malach. III. 2. 3. IV. 1. Matth. III 11. Apoc. XV. 2.

12. E diverſis gradibus pœnarum poſt mortem, in eodem receptaculo, nempe Inferno, elici nequeunt diverſæ ſpecies pœnarum, in diſtinctis receptaculis, nempe Purgatorio & Inferno. Nihil igitur obtinent, quæ petuntur ex Matth. V. 22. Luc. XII. 47. 48. Sic & Luc. XVI. 24. Hebr. X. 27. de Inferno ſermo eſt; non de Purgatorio.

13. Per inferos, quorum genua, in honorem Chriſti flecti debent, Phil. II. 10. Apoc. V. 13. intelligimus homines mortuos ac ſepultos tandemque reſuſcitandos; vel etiam Diabolos in extremo die Judicem univerſalem cum tremore honoraturos, quibus genua per metaphoram attribuuntur, non

aliter ac alibi *statio ad dextram*, Zach. III. 1. *tremor* Jac. II. 19. *catena*, quibus ligatur, 2. Petr. II. 4. *laquei*, quibus ligatos tenet homines, 2. Tim. II. 26.

14. Matth. V. 26. per particulam *DONEC*, non ponitur tempus solutionis; sed negatur, æquè ac Matth. I. 25. Conditio enim impossibilis, in allegato loco priori, habet vim negandi.

15. Unius negatio non est alterius affirmatio, & vice versâ. Unde tametsi legamus, Peccatum in Spiritum S. non remitti in alterâ vitâ, Matth. XII. 32. haudquaquam tamen ex eo sequitur, alia peccata, quæ non sunt in Spiritum S. remitti in alterâ vitâ.

16. Theologia allegorica non est argumentativa. Quapropter nolumus immorari argumentis, pro existentiâ purgatorii, desumtis â gladio flammante Cherubini Genes. III. 24. â clibano fumante & lampade igneâ. Gen. XV. 17. â majestate DEI graphicè descriptâ, Dan. VII. 10. &c.

17. Reliqua absona & penè ridicula sunt, quæ ab Adversariis urgentur, v. gr. ex Ps. VI. 1. XXXIIX. 1. *Domine, in furore tuo* (i. e. Purgatorio) *ne arguas me, neq; in irâ tuâ* (i. e. Inferno) *corripias me* &c. Item: Eccles. IV. 14. *De carcere* (i. e. Purgatorio) *quis egreditur ad regnum* (i. e. Cœlum) &c.

18. Progredimur ad Limbum Patrum, ubi in præcipuo Adversariorum argumento verum est, quod Jacobus Patriarcha non potuerit dicere, se descensurum esse ad Filium Josephum, in eundem locum, utpote quem â bestia devoratum & in ventriculo ejus sepultum credebat Gen. XXXVII. 35. Verùm nihil obstat, quò minus verba illa intelligantur de descensu in eundem statum. Imo alibi particula אֶל non significat AD, sed PROPTER, 1. Sam. I. 27. Quod si nunc quoque ita accipiatur, sensus erit, Jacobum esse descensurum proter Filium, quem tantopere lugebat.

19. Quæ

19. Quæ Scripturæ oracula, de liberatione omnium piorum, ex captivitate Satanæ, agunt, malè adhibentur, ad probandam liberationem ſpecialem Patrum ex Limbo e. gr. Zachar. IX. 11.

20. Chriſtus prædicavit animabus in carcere infernali Legem; non Evangelium: Nam ad immorigeros & infideles loquebatur, 1. Petr. III. 19. ut proinde iſtud ad Patres morigeros & fideles trahi nequeat.

21. Reſtat Limbus Infantum, quod commentum, falſis nititur hypotheſibus (1) de merito peccati originalis, quaſi hoc ſolummodò damni & non etiam ſenſus pœnâ dignum ſit. Vid. ſuperiùs Art. II. Th. 3. obſerv. 5. ſeqq. p. 75. 76. (2) de abſolutâ neceſſitate Baptiſmi, quaſi ejus non ſolùm contemptus, ſed etiam nuda privatio damnet. Vid. ſuperiùs Art. IX. Th. 1. obſ. 8. ſeqq. p. 223.

22. Cum in Theſi mentio fiat, Orationis, quæ pro mortuis fieri ſolet, obſervandum, quod inter nos & Pontificios non tam quæratur, an pro mortuis orare liceat? quàm an pro mortuis ex purgatorio liberandis aliquo cum fructu oretur?

23. Nempe & nos in Apologiâ Aug. Conf. p. 435 (274) profitemur, *Orationem pro mortuis à nobis non prohiberi:* ut tamen propterea in caſtra Pontificiorum haudquaquam tranſeamus. Illi enim orationis pro mortuis neceſsitatem adſtrunnt; nos libertatem concedimus: Illi orationem meritoriam faciunt; nos contra meritum tale diſputamus: Illorum cum orant finis eſt ſatisfactio pro peccatis, vel pœnis in Purgatorio ſuſtinendis; apud nos, cum oramus, finis eſt, primùm declaratio affectus viventium erga defunctum; deinde exhortatio & conſolatio ſuperſtitum; denique celebratio & applicatio promisſionum divinarum reſpectu defuncti.

24. Sic pro mortuis in Concionibus funebribus & denunciatione ſolenni, quæ poſt ſepulturam è ſuggeſtu fieri ſolet,

itemque quoties in communi ſermone, mortuorum, cum voto addito, memoria refricatur, oramus, corpori quietem & in extremo die beatam reſurrectionem optantes, animæ autem de ſalute conceſsâ gratulantes, & Deo pro liberatione ejus gratias agentes.

25. Unde diſtinguimus inter orationem commemoratoriam, aut gratulatoriam; & inter orationem precatoriam, aut ſatisfactoriam.

26. Quin imo & bonum, quod anima ſine oratione noſtrâ jam habet, nihilominus peti à Deo poteſt, in ſignum confesſionis, quod id animæ non niſi ex Dei beneficio contingat. Sic oramus, ut ſanctificetur nomen Dei; ut pasſionis Chriſti efficacia ad nos pertingat &c. Ejusmodi ergo ſenſum habet votum vulgare: *Deus miſereatur animæ ejus*; quod Lutherus non improbat, ſcribens: *Pro mortuis, quia Scriptura nihil meminit, exiſtimo non eſſe peccatum, ex liberâ devotione ita vel ſimiliter orare, ut Deus animæ miſereatur.*

27. Signa luctus perperam habentur pro oratione, quâ ſuperſtites mortuis ſuccurrerint e. gr. 1. Sam. XXXI. 13. 2. Sam. I. 11.

28. Neque lis eſt, an pro memoriâ mortuorum fas ſit, diſtribuere eleemoſynam? quod olim fiebat Tob. IV. 18. neque hodie apud nos fieri deſinit; ſed an pro animâ eorum ex purgatorio liberandâ, iſthæc fieri debeant?

29. Iſaacum poſt mortem matris oraſſe legimus Geneſ. XXIV. 62. ſed quod pro animâ matris, ex purgatorio liberandâ oraverit, nullibi legimus. Neque anima illa ex hypotheſi Pontificiorum in Purgatorium, ſed in Limbum Patrum deſcendit, ex quo, ante deſcenſum Chriſti ad inferos, per nullam orationem liberari potuit.

30. Patriarchæ volebant ſepeliri in Palæſtinâ Gen. XLVII. 29. 30. L. 15. non propter metum Purgatorii, ut participes

cipes fierent precum & ſacrificiorum; ſed in ſignum fidei de Mesſiâ, in Palæſtinâ naſcendo, itemque ut cum Mesſiâ reſurgerent Matth. XVII. 52. 53.

31. Locus 2. Maccab. XII. 46. allegatur ex libro apocrypho. Accedit, quod idem ille verſus, nec in autographo Græco, nec in Joſepho, ſive Græco, ſive Hebræo, inveniatur.

32. Chriſtiani olim baptizabantur ſuper mortuis; non pro mortuis; uti perperam redditur in vulgatâ 1. Cor. XV. 29. Fiebat hoc in ſignum fidei de Reſurrectione; non in ſatisfactionem pro animabus in Purgatorio.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Receptacula animarum â corporibus diſcedentium, non niſi duo eſſe, videlicet cœlum & infernum*, 1. ex Marc. XVI. 16. quia non niſi duo hominum genera ſunt, fidelium, qui ſalvantur, & infidelium, qui damnantur. Add Joh. III. 18.

2. ex Luc. XVI. 19. ſeqq. ubi anima Lazari rectâ in cœlum; anima autem Epulonis rectâ in infernum detruſa fuiſſe legitur. Si locus intermedius foret, ſaltem Lazari anima ibi aliquandiu detenta fuiſſet. Hæc pericope Evangelica, quæ olim etiam in Papatu Dom. I. poſt Trinitatis explicari ſolebat, hodie prætermittitur, quia aut Purgatorio, aut Limbo Patrum nimis apertè contrariatur. Quod ſinus Abrahæ in cœlo ſit, patet ex Luc. XIII. 29.

3. ex Apoc. XX. 15. Nam *quicunque non ſunt ſcripti in libro vitæ*, dicuntur mitti *in ignem gehennæ.*

II. *Purgatorium eſſe commentum*, 1. ex Rom. VI. 7. Quia qui *mortuus eſt*, dicitur *liberatus eſſe â peccato*. Qui autem liberatus eſt â peccato, ille non amplius obligatur, ad pœnam ſuſtinendam pro peccato. Nam ſublato peccato tollitur reatus.

2. ex Rom. IIX. 1. Quia *in illis, qui in Chriſto JEſu ſunt*, (οὐδὲν κατάκριμα) *nulla condemnatio* ſupereſt. Sumus autem in Chriſto per fidem Gal. III. 26. 27. Unde ſequitur, quod qui

qui in fide obeunt, Purgatorio deputari nequeant; alioq; enim superesset in illis aliqua condemnatio.

3. ex Apoc. XIV. 13. quia *qui in Domino moriuntur,* (ἀπάρτι) *statim beati sunt.* Ergo nulli iis cruciatus perferendi sunt, priusquam beatitudinem consequantur.

4. ex Eccles. XI. 3. ubi homo comparatur arbori, in verbis sequentibus: *Ubicunq; arbor ceciderit, ibi erit.* Nulla igitur spes eluctandi aliquando ex loco illo superest.

5. Ipsi Pontificii emunctioris naris Purgatorium rident. Hoc enim à Cardinali Richelio factum esse, Guido Patinus, Medicinæ Doctor & Regius in Academiâ Parisiensi Professor, in Epistolâ 2. Junii 1657. scriptâ, quæ inter literas ab ipso Gallicè editas LXVII. est, p. 218. prodit. Cum enim Parisiis per dies XIV. Missæ solennes pro defunctâ Lusitaniæ Reginâ celebrarentur, Cardinalis Doctorem Mulotum, Confessionarium suum interrogabat: *Quot Missis pro animâ ex purgatorio liberandâ opus esset?* Mulotus regerebat: *Numerum esse incertum, neq; ullâ Ecclesiæ definitione expressum.* Ad hoc verò subridens Richelius, se id definiturum esse, ajebat: *Tot videlicet ad impetrandam hanc liberationem requiri Missas, quot pilæ niveæ ad calefaciendum furnum pistorium, requirantur.* De quo Cardinalis pronunciato Patinus, hoc judicium fert: *Ecce homines, qui sanctum & benedictum ignem, ad quem lautè adeo saginantur, ludibrio habent!*

III. *Limbum Patrum esse commentum,* 1. ex Eccles. XII. 7. Quia *animæ* fidelium etiam in V. T. *ad Deum veniebant.* Add. 1. Sam. XXV. 29.

2. ex illis locis, in quibus Patres V. T. à terrâ sursum evecti leguntur; cum Limbus, juxta Pontificios sub terrâ sit. Ita enim de Enocho legimus Gen. V. 24. Sirac. XLIX. 16. & de Eliâ 2. Reg. II. 11. Sirac. XLIIX. 9.

IV. *Limbum Infantum esse commentum,* 1. ex 2. Sam. XII.

18. 20.

18. 20. 23. Quia David super filiolo suo, die VII. adeoq; ante circumcisionem mortuo, gaudebat, cogitans, quod ad eum aliquando venturus esset. Si verò Limbus puerorum daretur, qui David spem concipere potuisset, se ad filiolum illum aliquando venturum esse?

2. ex Matth. II. 16. Quia inter pueros Bethlehemi trucidatos, fuerunt nondum circumcisi. Illos verò cum Pontificii Martyribus annumerent, certum est, juxta eorum hypothesin, in Limbum venire non potuisse. Huc autem pertinebant, si Limbus esset receptaculum eorum, qui sine Sacramento initiationis decedunt.

V. *Orationem pro mortuis, ex purgatorio liberandis, frustrà fundi*, ex membro κατασκευῆς. II. Quia purgatorium non datur Quod verò non datur, ex eo nec quisquam liberari potest: Non entis enim nulla est affectio.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum per omnia.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod Missam, quam in hoc articulo approbamus, postea in Articulis Smalcaldicis & praxi ipsâ sustulerimus. Sic Joh. Cochlæus, Thomas Henrici, Episcopus à Colonitsch, in Antiaugustanâ Confessione &c. Resp. Missam, prouti à Christo instituta & ab Apostolis usurpata est, etiamnum apud nos retineri; sed abusûs Missæ correctos esse, de quibus in ipsâ Apologiâ jam tum Majores nostri conquerebantur. Vid. D. Alberti Refut. Antiaugust. Conf. P. 2. c. 3. Qu. 20. p. 235. & quæ superiùs â nobis proposita fuerunt Thes. 2.

II. Quod vocabulum Missæ retinendo, veram nostram sententiam dissimulaverimus & Adversariis adulati fuerimus. Sic Pontificii & nonnulli ex Reformatis, præsertim Neostadienses. Resp. Vocabulum Missæ retentum esse in significa-

tione primitivæ Ecclesiæ, â quâ originem sumsit, ubi pro administratione Eucharistiæ accipiebatur: Quam verò ab adulatione omni Majores nostri longissimè recesserint, patet ex Apologiâ, in quâ abusus circa Missam, cultui Baälitico æquiparatur.

III. Quod mentiamur, quando Missas privatas, ante Gregorii M. ætatem, ignotas fuisse asserimus. Sic Thomas Henrici & Bellarminus L. 1. de Sacram. c. 3. Resp. Pronunciati nostri rationem reddi in Apol. p. 401. (251) Add. Balduinus L. 4. Anti-Pazmanni c. 3. & Gerh. in Conf. Cathol. L. 2. Special. P. 2. Art. 15. c. 4. in Append.

IV. Quod falsò imputemus Pontificiis, ac si doceant, Missam ex opere operato, delere peccata vivorum & mortuorum. Sic Cochlæus & Bellarminus in Judic. de Formul. Concord. Mend. 19. Resp. nostros ista non tantùm dixisse, verùm & probasse in Apolog. p. 402. (251) seq. 422. (265) seq. contra quæ cùm eo tempore nihil exceptum fuerit, meritò pro confessis & agnitis habentur. Plura videantur in Balduino l. c.

V. Quod calumnia sit, Missas apud Pontificios ad quæstum dirigi. Resp. Solem in meridie negari. Passim enim, inprimis in Italiâ, Sacrificuli, sine titulo ordinati, non aliter ac mercenarii, matutino tempore, in templis conductorem exspectant, quem si non nanciscantur, miseris prandio carendum est. Vid. plura ap. Gerhard. l. c. itemque in Sleidani Commentar. de Statu Religionis & Reip. L. 9. p. m. 247. ubi argumentum Libelli Gallici, in Pontificios mercatores, exhibetur, interque alia scribitur: *Huc pertinet, quod eandem rem, eadem temporis puncto, pluribus divendunt in solidum, & quidem insciis emptoribus, præsertim iis locis, ubi major est hominum frequentia. Venit ex nobilitate quispiam in ædem Dominicanorum, & missam deposcit: annuit Monachus: mox alius*

alius idem petit, & idem tertius, eoque plures: prodit tandem ille personatus, & Missâ peractâ, pecuniam à singulis accipit integram. Hoccine tu nihil esse putas? ingenio certè res ista non caret; ac ferè videas, non illis ad faciendum quæstum aliquâ majori opus esse materiâ.

ARTICULUS IV.

DE CONFESSIONE.

I. EXPLICATIO.

HIc Articulus in mutatâ Confessione numero III. est, & verbis, si pauca quædam excipias, planè novis, orthodoxiæ tamen nihil derogantibus, constat, ex quibus, cum prolixa sint, pauca hæc decerpere visum est. Initium ita se habet: *Huic parti doctrinæ Christianæ de pœnitentiâ, inprimis magnas tenebras offuderunt theologi & canonistæ. Idq; testantur non solùm ipsorum bibliothecæ, sed etiam omnium piorum conscientiæ, quæ fatentur, illas inextricabiles disputationes theologorum, & traditiones infinitas de pœnitentiâ, horribilem carnificinam conscientiarum fuisse. Nusquam enim quidquam certi docent, quomodò contingat remissio peccatorum, de fide prorsus est altissimum silentium. Imo jubent perpetuò dubitare de remissione peccatorum. Posteà excruciant conscientias acerbâ enumeratione delictorum, item satisfactionibus: qualis enim laqueus conscientiæ fuit traditio, quæ præcipit omnia peccata enumerare:* Et post multa alia: *Hoc totum beneficium absolutionis & hujus ministerii, antà fuit omnino obscuratum falsis opinionibus illorum, qui docuerunt, absolutionem non valere, nisi sufficienter contriti simus. Et posteà jubebant dubitare de absolutione, quia nemo sciret se satis contritum esse. Quid fuit hoc aliud, quàm Evangelii consolationem eripere conscientiis, & tollere ex Ecclesiâ ac prorsus*

 abolere

abolere ministerium Evangelii, seu potestatem clavium? Quis non videt hos tam perniciosos errores meritò reprehensos esse? Concluditur: *Speramus bonos viros in hoc loco non solùm nihil reprehendere; sed etiam gratiam habere his, qui repurgarunt hanc doctrinæ Christianæ partem, quam prodest in Ecclesiis extare quàm plenissimè explicatam atq; illustratam. Christus inquit, Angelos in cœlo lætari, cum vident resipiscere peccatorem. Itaq; gratulantur Ecclesiæ, & ipsi Angeli puram de pœnitentiâ doctrinam.*

CONFESSIO INVARIATA p. 41. (27) seq. progreditur

- I. Positivè, exponendo, quid apud nos fiat,
  - 1. quod retineamus Pœnitentium Confessionem: *Confessio in Ecclesiis —— & absolutis* Item in fine Articuli: *Verùm Confessio —— apud nos retinetur.*
  - 2. quod rectè versemur circa absolutionem
    - 1. eam magni faciendo. *Et docetur populus — perterrefactis conscientiis.*
    - 2. fidem requirendo. *Et quod requirat Deus — remissionem peccatorum.*
- II. Remotivè, exponendo, quid apud nos non fiat, scilicet
  - 1. quod non patiamur satisfactiones, more Pontificiorum, nimium extolli. *Anteà immodicè —— à nostris patefacta sit.*
  - 2. quod non postulemus specialem enumerationem delictorum, ubi sistitur
    - 1. Thesis. *Sed de Confessione —— enumerandi omnia delicta.*
    - 2. Probatio.
      - 1. quia talis enumeratio, Scripturâ teste, est impossibilis. *Sed de Confessione —— inscrutabile.*
      - 2. quia Conscientiarum carnificina est. *Quod si nulla peccata — meminisse possunt.*
      - 3. quia veteres Scriptores ejus necessitatem inficiantur, nempe

1. Chry-

1. Chrysostomus. *Testantur & veteres —— conscientia tua memoria.*
2. Glossator Juris Canonici. *Et glossa—juris esse Confessionem.*

APOLOGIA

Articulum hunc præterit. Omnia enim quæ ab Adversariis allata erant, jam refutata exhibuerant ad Partem I. August. Conf. Art. XI. p. 146. (158) seq. itemque p. 285. (181) sqq.

II. DEMONSTRATIO.

Thesis. *Formulæ absolutionis, in quibus confitenti, merita seu propria seu aliorum, exceptâ solius Christi satisfactione, in remissionem peccatorum & vitam æternam cedere perhibentur, impia sunt.*

Ἔκθεσις 1. ex Thesi patet, quod distingvamus, inter meritum nudi hominis; & inter meritum Christi, Dei ac Hominis. Huic unicè innitendum; non simul illi.

2. Deus peccata remittens, hominem intuetur: Exod. IV. 31. 2. Sam. XVI. 12. sed oculis gratiæ; non commutativæ justitiæ.

3. Sic in V. T. respiciebatur ad Patriarchas Exod. XXXII. 13. 2. Reg. IIX. 19. non propter horum merita apud Deum; sed propter Dei fœdus cum illis initum. Conf. Exod. II. 24. Lev. XXVI. 42.

4. Reliqua vid. superiùs Part. I. Artic. IV. de Justif. Thes. I. & IV. p. 137. 152. itemque Art. XX. de Bonis Operibus Thes. II. & III. p. 407. 411.

Βεβαίωσις. Probamus, quia quantum merito hominis adscribitur, tantum merito & satisfactioni Christi adimitur, contra Es. LXIII. 3. 1. Tim. II. 5. Vid. superius Part. I. Art. III. de Filio Dei Th. 4. p. 107. seqq.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum.

III. VINDICATIO.

Accuſamur,

Quod Majores noſtri falsò Pontificiis tribuerint, ante Lutherum, apud eos *fidei & meriti Chriſti, ac juſtitiæ fidei, nullam eſſe factam mentionem.* Ita Bellarminus L. 1. de Sacram. c. 3. Reſp. Hæc â noſtris non dici abſolutè; ſed reſpectivè, videlicet, quod cum Adverſarii de Confesſione & Abſolutione agerent, de his ſiluerint. Proinde verba eorum ſecundum ſubſtratam materiam intelligenda ſunt.

ARTICULUS V.

DE DISCRIMINE CIBORUM.

I. EXPLICATIO.

HIc Articulus in variatâ Confeſſione, numero IV eſt, in quo pauca verbotenus retinentur & quæ retenta ſunt, ſubinde aliter, quàm ipſa Confeſſio habet, tranſpoſita leguntur, ſalvá tamen doctrinæ veritate. Titulus haud ineptè præponitur iſte: *De diſcrimine ciborum & ſimilibus traditionibus Pontificiis.* Initium fit verbis ſequentibus: *In hac corporali vitâ opus eſt traditionibus, hoc eſt, locorum ac temporum diſcriminibus, ut ordine gerantur res in Eccleſiâ, ſicut præcipit Paulus, ut omnia fiant ordine, & ita, ut deceant. Ideo & Eccleſia habet traditiones, hoc eſt, conſtituit quibus temporibus, & ubi convenire populus debeat: Ad hunc civilem finem licet condere traditiones: ſed homines imperiti doctrinæ Chriſtianæ non ſunt hoc fine contenti; ſed affingunt ſuperſtitioſas opiniones traditionibus, easq; per ſuperſtitionem ſine modo cumulant. Id quaſi ſunt accidiſſe in Eccle-*

Ecclesiâ non tantùm recentiores Gerson & alii quidam, sed Augustinus etiam.

IN CONFESSIONE INVARIATA p. 28. (43)

I. Thesis heterodoxa

1. proponitur, videlicet quod Adversarii sentiant, Traditiones humanas, tanquam cultum Dei, necessariò observandum, promereri gratiam & satisfacere pro peccatis: *Publica persvasio fuit — si quid omitterent.* p. 43. (28)

2. refutatur sequentibus rationibus,

   1. Quia sic obscuratur doctrina de gratiâ Christi & justitiâ fidei: *Ex hac persvasione—pœnitentia tota consistere.* p. 43. 44 (28)

   2. Quia sic derogatur præceptis DEI, quandoquidem iis Traditiones anteponuntur. *Secundò hæ Traditiones —— observationes DEO gratiores esse.* p. 44. 45. (28. 29)

   3. Quia sic conscientiis periculum creatur, propter impossibilitatem observationis postulatæ. *Tertiò Traditiones—sic enim loquitur.* p 45. 46 (29. 30.)

II. Antithesis orthodoxa opponitur, ita ut ordine exhibeantur

1. Occasio dissentiendi ab Adversariis. *Quare nostri non debent videri —— ab ipsis electas.* p. 48. 49. (30)

2. Status causæ. *Sic igitur docuerunt —— sint necessarius cultus.* p. 47. (30)

3. Rationes probantes, ex Scripturæ testimoniis petitæ. *Addunt testimonia —— sine tali cultu.* p. 47. 48. (30. 31)

4. Exceptionum refutatio, ubi observetur

a

1. Objectio, quod cum Joviniano aboleamus disciplinam & mortificationem carnis. *Hic objiciunt—sicut Jovinianus*. p. 48. (31)
2. Responsio, quod aliud constet ex nostrâ doctrinâ & praxi,
   1. de cruce. *Verùm aliud deprehenditur—crucifigi cum Christo.* ibid.
   2. de exercitiis corporalibus. *Insuper docent, quod quilibet —— juxta vocationem suam.* p. 48. 49. (31)
   3. de Jejuniorum approbatione. *Itaq; non damnantur—sint necessarius cultus.* p. 49. (31)
   4. de plerarumque Traditionum legitimâ observatione. *Servantur tamen apud nos—si omittantur cum scandalo.* ibid.
5. Consensus Antiquitatis. *Hæc libertas in ritibus—bonam conversationem & pietatem.* p. 49. 50. (32)

APOLOGIA

de hoc Articulo nihil habet: quia adversarii eum, in Refutatione suâ videntur præteriisse.

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Quemadmodum Traditiones humanæ ad decentem ordinem in Ecclesiâ spectantes, apud nos, debito in pretio habentur; ita ferendum non est, ut ulla Traditio humana, sub opinione absolutæ necessitatis, cultûs aut meriti observetur, atq; adeo præceptis Dei æquetur, vel etiam præferatur.*

Ἔκθεσις 1. Vocabulum Traditionis aut activè aut passivè sumitur. In priori significatione notat actum tradendi, quo in

..ti sensu à Patribus, & ex Patribus à Chemnitio nostro insigniter commendatur: In posteriori significatione notat rem traditam, prouti impræsentiarum accipitur.

2. Divisio Traditionum triplex est, sub respectu ad principium, objectum & modum proponendi.

3. Quà principium, Traditio vel divina, vel humana est. Divina autem vocatur, sive immediatè à Deo proveniat, 1. Cor. XI. 23. sive mediantibus Apostolis, 1. Cor. XV. 3.

4. Quà objectum, Traditio aut est dogmatica, quæ versatur circa doctrinam; aut historica, quæ circa res gestas; aut practica, quæ circa ritus.

5. Quà modum proponendi, Traditio dispescitur in ἄγραφον seu non scriptam, & ἔγγραφον seu scriptam: habitâ videlicet ratione librorum Canonicorum, qui καθ' ἐξοχὴν Scriptura dicuntur.

6. Ex Thesi patet, quod nunc quæratur de Traditionibus humanis, circa ritus, in Scripturâ S. non expressos; quarum laudamus usum; reprehendimus abusum.

7. Traditiones ad decentem ordinem spectantes, sunt de Feriis, de Lectionibus evangelicis & epistolicis, de Precibus ecclesiasticis, de vestitu Sacerdotum aliisque, quæ in libris AGENDORUM, ut vocantur, determinari solent.

8. Harum Traditionum observatio necessaria est: non tamen absolutè; sed secundum quid.

9. Necessaria videlicet est sub respectu ad singula Ecclesiæ membra, & in casu scandali; ut tamen libera maneat, sub respectu ad totam Ecclesiam & extra casum scandali.

10. Eædem Traditiones per se non sunt cultus divinus; quamvis per accidens conferant aliquid ad cultum, quatenus videlicet rebus, quibus per se colitur Deus, applicantur.

11. Qvod qui Traditiones huiuscemodi observat, bene

agat, concedimus; quod verò observatione illâ etiam aliquid mereatur, negamus.

12. Reliqua videantur superiùs in Art. VI. de Novâ Obedientiâ Thes. 1. p. 179. & Art. XX. de Bonis Operibus Thes. 3. p. 411.

Βεβαίωσις Probamus, quod nulla Traditio humana introducenda aut observanda sit, sub opinione

I. absolutæ necessitatis, ex Gal. V. 1. Quia hoc libertati Christianæ adversatur, *in quâ standum est.* Add. Col. II. 16.20.

II. cultûs, ex Matth. XV. 3. Quia Deus *frustrà colitur mandatis hominum.* Id quod idem est, ac si legeremus: Deum per ea, quæ ex hominum inventione, ut servanda, obtruduntur, nolle coli.

III. meriti, ex Luc. XVII. 10. Quia si ne quidem observatione eorum, quæ Deus tradidit, strictè loquendo aliquid meremur, sed *servi inutiles* manemus; multò minùs merebimur aliquid observatione eorum, quæ homines tradunt. Plura, quæ ad probationem theseos faciunt, exhibentur in ipsâ Confessione Augustanâ p. 43. (28) seq.

Αντίθεσις est Pontificiorum, de quorum doctrinâ & praxi ibidem prolixè agitur.

Thesis II. *Jejunium, quod in abstinentiâ à quibusdam cibis, humanâ autoritate definitis, consistere, statisq; temporibus perpetuò recurrentibus, sub opinione necessitatis, cultus & meriti, alligari putatur, meritò ex Ecclesia proscriptum est.*

Ἔκθεσις 1. Non quæritur de Jejunio spirituali, seu allegorico, quod est abstinentia â peccatis Es. LIIX. 6. sed de Jejunio corporali, seu propriè sic dicto, quod est abstinentia à cibis.

2 Hoc dispescitur in coactum, quando quis ex defectu cibi,

cibi, esuriales ferias celebrat Amos. IV. 6. 2. Cor. XI. 27. & liberum, quando quis â cibo, quem habere posset, abstinet.

3. Liberum Jejunium aut est supra ordinarias hominum vires, adeoque miraculosum, ut illud Mosis Exod. XXIV. 18. Eliæ, 1. Reg. XIX. 8. & Christi, Matth. IV. 2. aut est intra ordinarias hominum vires.

4. Idque nunc licitum; nunc illicitum censetur. Licitum quidem, si suscipiatur juxta Dei institutionem, ad legitimum finem & debito modo: illicitum verò si vel contra divinam institutionem agatur; vel circa finem, aut in modo peccetur.

5. Institutio divina Jejunii, aut generalis, aut specialis est. In V. T. jejunia ordinaria dependebant ex institutione speciali, quorum mentio fit Lev. XVI. 29. Act. XXVII. 9. Ad jejunia extraordinaria sufficiebat institutio generalis, e. gr. quando præcipiebatur pietas, utpote cujus adminiculum est Jejunium. Hujusmodi autem extraordinaria Iejunia celebrabantur tam publicè Jud. XX. 26. Jonæ III. 7. 8. quàm privatim, 2. Sam. III. 35. Nehem. I. 4. In N. T. DEus ordinaria Jejunia, cum reliquis ceremoniis Leviticis, sustulit; extraordinaria autem Christianis permisit, imo & commendavit Matth. VI. 16. seqq. 1. Cor. VII. 5.

6. Jejunia extraordinaria Christianis à Magistratu, aut Presbyterio indici & ad certa tempora restringi possunt: dummodò id fiat salvâ adiaphoriâ seu indifferentiâ actus, ne res per se libera, præcipiatur cum periculo conscientiæ, tanquam ex se necessaria. Idem volunt Theologi, qui Iejunium institui ab Hominibus posse ajunt; *sed non despoticè.*

7. Iejunium sic imperatum fiet necessarium, propter præcipientem; non propter se: Necessitas erit conditionata & externa; non absoluta & interna.

8. Finis Iejunii ultimus & quidem absolutè talis debet esse

gloria Dei; in ſuo autem genere, promotio devotionis: Finis intermedius eſt coërcitio carnis, & præparatio mentis ad pœnitentiam precesque tantò ardentiùs fundendas; quia veriſſimum eſt illud: *Plenus venter non orat ardenter.*

9. Proinde reſpectu finis â Chriſtiano Iejunio differt Iejunium Phariſaicum & Antichriſtianum, quod ſuſcipitur oſtentationis gratiâ, itemque ut Deus per illud immediatè colatur. Luc. XIIX. 12.

10. Iejunium per ſe non eſt cultus Dei; ſed tantùm per accidens, quatenus cum cultu jungitur, ut adjumentum & incentivum pietatis.

11. Modo debito celebratum Iejunium conſiſtit in abſtinentiâ ab omni cibo; non in diſcretione ciborum. Rectè enim Proſper. l. 2. de Vitâ Contempl. c. 23. *Si à quadrupedibus abſtinentes, phaſianis, altilibus vel aliis avibus pretioſis, aut etiam PISCIBUS perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis; ſed mutare.*

12. Licet equidem homini abſtinere â quodam cibi genere, vel ex neceſſitate, quod fecit Johannes Baptiſta in eremo Matth. III. 4. vel propter ſanitatem, aliasve cauſas naturales, aut etiam morales, e. g. ſi quis poſſit fratris infirmi animam lucrari, Rom. XIV. 21. quo fine in Concilio Hieroſolymitano, abſtinentia â certis cibis ſanciebatur, Act. XV. 29. Sed non licet abſtinere ab ullo ciborum genere, ex opinione cultûs.

13. Ab abſtinentiâ certi cibi divinitus præceptâ, ad abſtinentiam certi cibi humanâ autoritate introductam, N. V. C. Unde nihil contra nos obtinent exempla Nazaræorum Num. VI. 3. Samſonis, Jud. XIII. 4. Danielis & ſociorum, Dan. I. 8. Quæ de abſtinentiâ Antediluvianorum â carne adferuntur, commentitia ſunt: id quod oſtendimus in Exercit. ad Conſil. Hieroſ. c. 39. §. 2.

14. Con-

14. Concedimus quod Iejunium in N. T. ſuas habeat utilitates; non tamen eas, quas Adverſarii crepant: Debet eſſe excitatio ad devotionem; non ſatisfactio pro peccatis.

15. Laudamus Iejunii uſum; diſputamus contra abuſum, i. e. ſuperſtitionem, hypocriſin & idololatriam.

Βεβαίωσις Probamus I. *Jejunium Deo placens, non conſiſtere in abſtinentiâ â quibusdam cibis, humanâ autoritate definitis,*

1. ex 1. Tim. IV. 1. 3. 4. Quia (1) qui talia *prohibent, deſciſcunt â fide & attendunt doctrinis dæmoniorum.* (2) Deus *creavit cibos,* homini conducentes, *ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem.* (3) *Omnis creatura Dei bona eſt & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (4) *Spiritus S. manifeſtè monet, ut in novisſimis temporibus* ab ejusmodi abſtinentiâ nobis caveamus.

2. ex Col. II. 16. 17. 20. 21. Quia (1) Chriſtiani *â NEMINE judicari debent, in cibo, aut in potu,* (2) ejusmodi conſtitutiones *fuerunt umbra futurorum,* adeoque pertinuerunt ad V. T. Corpus autem eſt Chriſti in N. T. ubi locum habet tritum illud: *Præſente corpore ceſſant umbræ,* (3) Chriſtiani mortui ſunt cum Chriſto (ἀπὸ τῶν στοιχείων τοῦ κόσμου) *ab elementis mundi* i. e. â rudi illâ inſtitutione, per quam DEus priorem mundum, ſeu populum V. T. informavit (Hebr. V. 12.) proptereàque *non debent, tanquam viventes in mundo,* h. e. ita ac ſi idem ſtatus mundi, qui anteà, adhuc foret ſe gerentes, *decernere* & conſequenter etiam decretis talibus parere: *Ne tetigeris, ne guſtaveris, ne contrectaveris.*

3. Liceat his addere Benjamini Prioli verba ex L. 1. Hiſtor. n. 20 p. 23. depromta, quibus cum Reformatorum in Galliâ hypotheſin de Iejunio Pontificio deſcriberet, haud obſcurè quid ipſe de eo ſenſerit, prodit: Ita autem ille: *Piſculentis & inſanguineis cibis per XL. & quod excurrit dies, ſtomachum*

machum pervertere insanum putant; sicut & macerantibus jejuniis illo tempore sese exinanire; quandoquidem pagina utriusque fœderis hac de re nihil præscribit. Cumq; jam se renovet annus, & humores conditi sese rursus proferant, ibi totos menses duos tyrannide occupari, & anni renascentis infantiam accersito senio vitiari: & cum hoc meditetur natura, ut corpora succis insalubribus repurgata, novis succis repubescant, ingeri meros putores, merasq; sanies, idq; per deliria eorum, qui ipsi talia non attingunt, sed ferias indicunt, religiosè abstinentes. Hæc dicunt de Quadragesimâ nostrâ.

II. *Jejunium non debere, humanâ autoritate, statutis temporibus, perpetuò recurrentibus, sub opinione necessitatis alligari*, ex Gal. V. 1. Quia id pugnat cum *libertate* (1) quam â Christo adeoque non frustrà acccepimus, (2) in quâ *stare* jubemur (3) quam qui negligunt, *jugo servitutis*, rei omnino pudendæ, *implicantur.*

III. *Jejunio, quomodocunq; se habeat, per se non coli Deum*, ex Rom. XIV. 17. Quia *regnum Dei non est esca, aut potus.*

IV. *Jejunium, quod in abstinentiâ à quibusdam cibis, humanâ autoritate definitis consistit, non habere apud Deum rationem meriti*, 1. ex Matth. XV. 9. Quia ejusmodi Jejunium est *mandatum hominum*, juxta quod *Deus colitur* (μάτην) *frustrà* seu vanè, ita ut ex eo nullum fructum expectare liceat.

3. ex Col. II. 22. Quia ejusmodi Jejunium, quod *secundum præcepta & doctrinas hominum* suscipitur, dicitur (εἰς φθορὰν) *in interitum esse ipso usu*, h. e. nihil prodesse, cum fit.

V. *Ejusmodi Jejunium meritò ex Ecclesiâ Evangelicâ esse proscriptum*, ex anteà dictis: Quia non ἄγραφον duntaxat est; verùm & ἀντίγραφον.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum per omnia. Præ cæteris urgent Jejunium quadragesimale ante Pascha, itemque quatuor temporum & feriæ sextæ.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod falsò statuamus, doctrinâ Pontificiorum, de Traditionibus humanis, obscuratam fuisse doctrinam de Fide; quippe quam illi, quoties de operibus eorumque merito agitur, semper inclusam velint. Sic Fabricius & â Daventriâ. Resp. in Articulo de Justificatione, Fidem & Opera simul consistere non posse, neque Fidem, de quâ Pontificii loqvuntur esse salvificam, sed talem, quæ etiam Dæmonibus competat & in nudo assensu consistat.

II. Quod falsò statuamus, Traditionibus obscurari præcepta Dei; cùm per eas homines, ad servanda præcepta Dei expeditiores reddantur. Sic â Daventriâ. Resp. posito quod de quibusdam Traditionibus verum sit, nos per eas ad præcepta Dei servanda expeditiores reddi; non tamen id dici posse de omnibus Traditionibus, præsertim conjunctim sumtis, & quatenus præceptis Dei æquantur, aut etiam præferuntur.

III. Quod falsò statuamus, Traditiones servatu impossibiles esse & pericula conscientiis afferre. Sic à Daventriâ. Resp. nostros non loqui de Traditionibus quibusdam & divisim spectatis; sed de Traditionibus universis & conjunctim sumtis. Quod jugum istud sit intolerabile & supra humanas vires, jam ante Lutherum Doctores saniores confessi sunt, quorum testimonia videantur apud Gerhardum, Confess. Cathol. L. 2. P. 2. c. 5.

IV. Quod defecerimus ab Augustanâ Confessione, utpote quæ honestè de Jejunio sentiat, à nostris hodie prorsus abolito. Sic Antiaugustana Confessio, jussu Episcopi à Colonitsch edita. Resp. nostros adhuc honestè sentire de Jejunio Christiano; at jam illo tempore proscripsisse Jejunium Antichristianum, quando scilicet, prout verba Confessionis habent, *certi dies, certi cibi præscribebantur, cum periculo conscientiæ.*

Plura

Plura videantur apud D. Alberti in Refut. Antiauguft. C. P. 2. c. 3. Qu. 22 p. 247.

V. Quod Auguftinus in Confesfione allegatus non patrocinetur nobis. Refp. Contrarium reperiri, fi ipfe Auguftinus evolvatur T. 2. Opp. Epift. 119. c. 18. 19. & 20.

ARTICULUS VI.

DE VOTIS MONACHORUM.

I. EXPLICATIO.

ARticulum hunc variata Confeffio penè integrum retinuit. In fenfu certè nihil mutavit: Quoad verba autem, poft illa : *Evacuati eftis à Chrifto, qui in lege juftificamini: à gratiâ excidiftis*: uſque ad iſta: *annon eft hoc juftificationem tribuere operibus?* aliqua diverfitas occurrit. Sic enim variata Confeffio habet: *Id eft, qui fentiunt, quod mereantur propriis operibus remisfionem peccatorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec fentiunt, quod propter Chriftum gratìs accipiant fide donatam remisfionem peccatorum, per mifericordiam Dei, & quod propter Chriftum placeant Deo, hi amitttunt Chriftum, quia fiduciam debitam Chrifto & promisfioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Chriftum, fed propria opera: quare honorem debitum Chrifto transferunt ad opera noftra. Conftat autem Monachos hoc docere, quod fuis obfervationibus mereantur remisfionem peccatorum, quod habeant DEUM propitium, propter has obfervationes. Quare docent confidere fuis operibus, non propitiationi Chrifti. Hæc fiducia eft impia, & cum Evangelio pugnat, & in judicio DEI deprehendetur effe inanis.*

Non

.. *enim possunt opera nostra opponi iræ ac judicio Dei. Tantùm ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam, propter Christum promissam, fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiduciam non in Christum, sed in opera propria collocant. Præterea Monachi docuerunt, suum vitæ genus statum esse perfectionis, quia observarent non solùm præcepta, sed etiam consilia. Hic error maximè pugnat cum Evangelio, quod finxerunt se præceptis ita satisfacere. Et hinc natus est horribilis error, quod finxerunt, se habere merita supererogationis. Hæc applicaverunt pro aliis, ut satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiosè velit exagitare, quàm multa commemorare possit, quorum jam ipsos Monachos pudet.*

RESPON. PETRI Tanck/ Gedan.

IN CONFESSIONE INVARIATA, p. 50. (32) exhibetur

I. Thesis heterodoxa, de status Monastici
- I. Vinculis, nempe votis aliisque observationibus: ubi ostenditur
  - 1. quod vincula illa olim ignota fuerint. *Quid de votis——aliæ multæ observationes.* p. 50. (32)
  - 2. quod multi, præsertim ex fœminis, in ea per errorem, aut vim adhibitam inciderint. *Et hæc vincula multis——magis parcendum esset.* p. 50. 51. (32)
  - 3. quod rigor iste, ipsis Canonibus adversus, cordatis semper displicuerit. *Hic rigor displicuit——omnino negligi & contemni.* p. 51. (32. 33)
- II. Fine, nempe persvasione,
  - 1. quod vota sint paria Baptismo, & mereantur justificationem. *Ad hæc mala——justificationem coram DEO.* p. 51. (33)

a b c

 2. quod

a b c

2. quod qui eadem servet, opera supererogationis præstet. *Imo addebant—etiam consilia Evangelica.* ibid

3. quod Monastica professio præstet Baptismo & reliquis vitæ generibus, â Deo institutis. *Ita persvadebant monasticam——exstant enim in libris eorum.* p. 51. 52. (33)

III. Receptaculis, nempe Monasteriis, quæ ostenduntur, prorsus â pristino instituto degenerasse. *Quid fiebat posteà—vitæ generibus â Deo ordinatis.* p. 52 (33)

II Antithesis orthodoxa,

1. de Votis. Hæc negantur impedire

1. quo minus Matrimonium contrahat, qui dono continentiæ caret,

1. Quia votum non tollit Dei mandatum, ut matrimonio, tanquam remedio, contra incontinentiam utamur. *Hæc ideo recitavimus—tollat mandatum Dei.* p. 52. 53. (33. 34)

2. Quia Canones Ecclesiastici in votis jus superioris excipiunt. *Canones docent —— mandata Dei valent.* p. 53. (34)

3. Quia Pontifices ipsi, sæpè circa vota dispensarunt; quod fieri non potuisset, si simpliciter obligarent. *Quod si obligatio—exempla nostri temporis.* p. 53. 54. (34)

4. Quia vota monastica apud plurimos de re sibi impossibili, neque etiam spontè & consultò fiunt, contra naturam voti obligatorii. *Deinde cur obligationem — quod inconsultò admittitur.* p. 54 (34)

5. Quia haud pauci ante justam ætatem voverunt. *Plerîq; Canones——ante hanc ætatem voverunt.*

a b

b

verunt. p. 54. 55. (34. 35)

2. quò minus Matrimonium continuet, qui non obstante voto illud contraxit. *Postremò etiamsi — alii posteà aliter senserunt.* p. 55. (35)

2. de Persvasione, quod professio monastica sit cultus meritorius & satisfactorius, ac reliquis vitæ generibus præferendus. Hæc

1. pugnant cum verbo Dei,
   1. Matth. XV. 9. & Rom. III. 20. *Quanquam autem mandatum—iniquitatis, ut Canon dicit.* p. 55. 56 (35)
   2. Gal. V. 4. *Paulus dicit: Evacuati——ipsos Monachos pudet.* p. 56. 57. (36)
   3. Col. II. 18. seqq. *Adhac persvaserunt hominibus—offunduntur oculis hominum.* p. 57. (36)
2. obscurant præcepta Dei & verum cultum. *Prætereà obscurantur—aut veste sordidâ.* p. 57. 58. (36)
3. populum in perniciosas opiniones & dubitationem, de genere vitæ â Deo institutæ, conjiciunt. *Verùm populus concipit ——necesse est admonere homines.* p. 58. 59. (36. 37.)
4. tanquam nova & antehac inaudita Gersoni displicuerunt. *Et ante hac tempora——sit status perfectionis.* p. 59. (37)
5. alia insuper scandala involvunt. *Tam multa impia—faciunt vota irrita.* p. 59. (37)

IN APOLOGIA Augustanæ Confessionis p. 438. (276)

1. Nonnulla præmittuntur, quæ aditum quasi ad causam muniunt, nempe
   1. quod Johannes Hilten cladem regni Monastici prædixerit. *Apud nos in oppido Thuringiæ—in certos locos Danielis.* p. 438. 439. (276. 277)

a b

2. quod deteſtanda vitia, in Monaſteriis dominentur. *Qanquam autem, quantum huic voci — haud dubiè brevi ulciſcetur.* p. 439. 440. (277)

3. quis ſtatus controverſiæ ſit, in diſputatione de Monachis & ſtatu Monaſtico. *Neque verò accuſamus—ad muniendam ſuam cauſam.* p. 440. 441. (277. 278)

4. quod reliqua, nunc præterita, ex libro Lutheri de votis Monaſticis ſuppleri debeant. *Ideo breviter percurremus—pro repetito habere.* p. 441. (278)

II. Cauſa ipſa diſceptatur,

1. quod Votum ſit illicitum, ſi ſub opinione merendi remiſſionem, aut ſatisfaciendi pro peccatis, concipiatur. Exhibetur autem

1. Theſis noſtra. *Primum hoc certisſimum—pro peccatis coram Deo.* p. 441. 442. (279)

2. Theſeos probatio ex Scripturâ. *Nam hæc opinio—crucifigunt Chriſtum.* p. 442. (279)

3. Exceptionum refutatio. *Audite autem, audite—contra Monaſticen allegantur.* ibid. Atq; iterum: *Paulus cum negat—Hæc eſt Pauli ſententia.* p. 443. 444. (279. 280)

4. Antitheſeos exaggeratio,

1. per Apoſtrophen,

1. ad Jeſum Chriſtum. *O Chriſte, quamdiu feres—ſed propter te per fidem.* p. 442. 443. (279)

2. ad Carolum V. Imperatorem & Status Imperii. *Vide autem Carole——per opera monaſtica.* p. 444. 445. (280. 281)

2. per allegationem blaſphemi ex Thomâ dogmatis, quod Monaſtice par ſit Baptiſmo. *Itaq; & illa blaſphemia—gratiæ & vitæ æternæ.* p. 445. (281)

a b

2. quod

a b

2. quod Obedientia, Paupertas & Cœlibatus, cæteris paribus, sint exercitia adiaphora. Hic distinctè exponitur,

1. Sententia nostra,

   1. positivè, quod exercitiis illis, tanquam adiaphoris uti liceat. *Secundò Obedientia, Paupertas — sine impiis opinionibus utuntur.* p. 445. 446. (281)

   2. remotivè, quod excercitia eadem non habenda sint pro cultu justificante & meritorio. *At sentire quod illa —— testimonium verbi DEI.* p. 446. (281)

2. Sententia adversariorum,

   1. quod exercitia talia cultus, imo perfectiores cultus sint, quàm alii, quodque per eadem supererogationis opera edantur. *Sed videte impudentiam — præcepta fieri.* p. 246. sqq. (282)

   2. quod excercitia talia secundum consilia Evangelii suscipiantur. *Deinde falsum & hoc est — nugarum collocari.* p. 448. 449. (282. 283)

   3. quod sacris literis expressum sit, Monasticam esse statum perfectionis & mereri vitam æternam. Refutatur autem

      1. Thesis ipsa. *Nunc audite Areopagitas — sunt perfectio Evangelica.* p. 449—452. (283 284)

      2. Theseos moderatio. *Verùm adversarii videri —— cibis & similibus nugis.* p. 452. 453. (284. 285)

      3. Theseos confirmatio,

         1. ex Matth. XIX. 29. *Item Confutatio dicit — prætextu nominis divini.* p. 453. 454. 455.

a b c

a b c

255. (285. 286. 287)

2. ex Matth. XIX. 21. *Citatur & alius — verâ fide suæ vocationi.* p. 455. 456. 457. (287)

3. quod votum continentiæ eos, qui dono isthoc destituuntur, non obliget. *Tertiò in votis — contra mandatum Dei fecerant.* p. 457. 458. (288)

4. quod propter impios cultus Monasteriis exire liceat. *Quartò liberant hos — ab hoc vitæ genere.* p. 458. 459. (288. 289)

5. quod multi ex Monasteriis ab ipsis Canonibus liberentur. *Postremò multos liberant — falsarum opinionum.* p. 459. (289)

6. quod adversariorum argumenta, pro statu monastico nullius momenti sint, videlicet

1. ex Num. VI. 1. seq. de Nazaræis. *Hic objiciunt ex lege — in lege traditis dici potest.* p. 459. 460 (289)

2. ex Jerem. XXXV. 1. seqq. de Rechabitis. *Allegantur & Rechabitæ — in præsenti monasticâ.* p. 460. 461. (291)

3. ex 1. Tim. V. 11. 12. *Citant & ex priore — petulantes fidem abjicere.* p. 461. 462. 463. (290. 291)

III. Per generalem recapitulationem tota causa peroratur. *Percurrimus aliquot nostras —— quod valeant in fide.* p. 463. 464. (291. 292)

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Quemadmodum vota DEO placentia etiam in novo Testamento dari atq; adeo à Christianis servanda esse agnoscimus & profitemur; ita illorum numero vota continentiæ, paupertatis & obedientiæ, qualia à Monachis hodie præstantur, contineri, negamus.*

Ἔκθεσις

Ἔκθεσις 1. Distingvimus inter tempora V & N. T. In illo vota ceremonialia Nazaræorum, juxta normam verbi divini Num. VI. 1. seq. concepta, ut pars cultus se habebant; in hoc autem ea cum reliquis ceremoniis Leviticis, desierunt, ut proinde Monachatûs patroni frustrà ad asylum istud confugiant. Vid. Apol. p. 459. (289)

2. Interim in N. T. etiam agnoscimus dari vota DEO placentia: non tamen ceremonialia; sed moralia.

3. Ejusmodi vota aut præstantur ab omnibus Christianis communiter; aut à quibusdam Christianis singulariter. Prioris generis est votum in Baptismo factum, de quo Glossa in Ps. 75. super ista: *Vovete & reddite:* sic habet: ***Omnes in Baptismo vovemus abrenunciare diabolo & pompis ejus & fidem servare:*** posterioris generis fit de rebus, ad quas quidem, etiam citra votum obligamur, per votum verò tanquam per vinculum, quo humanæ voluntatis inconstantia arctiùs constringitur, magis urgemur. Exempla suppeditavimus in ***Exploratione Papatus*** (Prüfung des Pabstthums) c. 27. p. 482. sqq.

4. Quò votum singulariter à Christianis factum DEO placeat, necesse est, ut rectè se habeat (1) Subjectum agens, seu is, qui vovet; (2) Subjectum recipiens, seu is, cui vovetur; (3) Objectum, seu res vovenda; (4) Finis, propter quem votum concipitur.

5. Qui vovet, debet actu secundo eoque pleno intellectûs & voluntatis pollere, ut & sufficienter cognoscat, quæ vovet, & jus ac libertatem vovendi habeat. Deut. XXIII. 23. Excluduntur ergo, propter defectum intellectus, furiosi, infantes &c. ac propter defectum voluntatis qui sub alienâ potestate sunt, aut vi metuque majoris mali ad votum adiguntur. Conf. Num. XXX. 4. seq. 11. seqq.

6. Cui vovetur, is debet ubique vota audire, & non servantes punire posse; quod soli Deo competit. Excluduntur ergo

ergo Angeli, Sancti demortui, Imagines ad cultum protrac-
tes, Reliquiæ &c. quibus stolidè aliquid vovetur.

7. Res vovenda, debet in potestate voventis esse, voluntatique ejus, cui vovetur, convenire; cujusmodi nihil est, nisi quod in Lege Dei, ut perfectissimâ operum bonorum normâ, nobis injungitur. Vid. superiùs in P. I. Aug. Conf. Art. 6. de Novâ Obedientiâ Thes. I. p. 179. sqq. Excluduntur ergo (1) res simpliciter indifferentes, v. gr. abstinere à carne aut alio cibo, ab induendo novo indusio. Vid. plura in der Prüfung des Pabstuhms c. 27. p. 476. seq. (2) res quæ majoris boni impedimentum sunt, v. gr. pecuniam omnem largiri templo; cum interim domi pater vel mater esuriat. Matth. XV. 5. (3) res simpliciter mala, v. gr. non quiescere, donec vindictam privatam ab inimico sumserimus; (4) res naturaliter impossibilis, v. gr. in cœlum ascendere.

8. Finis, propter quem vovetur, debet esse expletio obligationis nostræ erga DEUM, hujusdemque gloria. Excluditur ergo opinio satisfactionis, aut meriti, Luc. XVII. 10.

9. Quia sub numero votorum Deo placentium vota continentiæ, paupertatis & obedientiæ, qualia à Monachis præstantur, contineri negamus; de singulis sigillatim erit agendum.

10. Ut â continentiâ incipiamus, sic aut dicitur abstinentia â solo actu externo commistionis, aut simul etiam abstinentia ab ustionibus internis: In posteriori sensu, continentia est donum Dei; in priori, de eâ observandum istud Apostoli: *Melius est nubere, quàm uri.* 1. Cor. VII. 9.

11. Non improbamus doni continentiæ liberum usum, quem qui servant, illi se *castrare feruntur propter regnum cœlorum.* Matth. XIX. 12. sed probare non possumus continentiæ perpetuæ votum. Sive quod idem est: Non quæritur an donô continentiæ instructi possint à conjugio abstinere? sed an abstinentiam talem debeant vovere? Qui donum

continen-

..tinentiæ habet, nescit, quamdiu istud habiturus sit, adeoque temerariè agit, si per votum se periculo exponat, ne fortè quod vovit, eo quo par est modo, explere nequeat.

12. Paulus ait, *se velle omnes esse sibi similes*, h. e. continentes; sed non ait, omnes promiscuè posse esse sibi similes 1. Cor. VII. 7. Quin potius contrarium ibi innuitur, quando Apostolus addit: *Unusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius sic, alius verò sic.*

13. Precibus omnia impetrare possumus, scilicet quæ Deus se nobis daturum esse promisit. At de continentiæ dono precantibus semper concedendo, nulla promissio extat; quia istud singulare est & *non omnibus* destinatum. Matth. XIX. 11.

14. Deserenda est uxor, ex Dei vocatione Matth. XIX. 29. videlicet cum simul Deo servire & uxorem habere non licet; nequaquam verò ex liberâ intentione, quando utrumq; simul consistere potest. Reliqua videantur in P. II. August. Confess. Art. 2. de Conjug. Sacerdot. Thes. I. p. 462.

15. Porrò ad paupertatem progredimur: non spiritûs, â Christo commendatam Matth. V. 3. quæ consistit in agnitione peccatorum & desiderio divitiarum cœlestium, â Salvatore nostro partarum; sed corporis.

16. Nec quæritur de paupertate corporis, à Deo impositâ, quam persecutionibus subjecti, propter Christum sustinent, Matth. XIX. 29; sed de paupertate corporis sponte electâ, cum quis illæsâ conscientiâ rem opimiorem habere queat, aut actu habeat.

17. Vendenda sunt bona in statu necessitatis, propter fratres egenos, ut horum penuria sublevetur, Luc. XII. 33. non in statu indifferentiæ, quando nulla ejusmodi necessitas nos urget.

18. Mandatum Christi, *ut omnia dentur pauperibus*, Matth. XIX. 21. non erat generale; sed personale, eò tendens,

ut hypocrisis adolescentis, cum quo res Christo erat, detegeretur. Quare Hilarius ad hunc locum scribit: Juvenem *ex lege insolescentem*, Dominus *remittit ad legem, ut in eâ ipsâ, in quâ gloriaretur, intelligeret, nihil se exinde recti operis fecisse.* Vid. plura in Apol. p. 455. (287)

19. Quod Christus ad tempus præcepit Apostolis, pro explorandâ & confirmandâ eorum fide, Matth. X. 9. 10. non habendum est pro regulâ imitatorum Christi perpetuâ. Quia Christus ipse illud posteà abrogavit, Luc. XXII. 36.

20. Divitiæ non per se damnant; sed per accidens: Nimirum si homines, neglecto Deo, unicè opibus inhient, inq; iis confidant. Conf. Matth. XIX. 23. Luc. VI. 24. cum Marc. X. 24.

21. Communio bonorum, qualis in primitivâ Ecclesiâ Hierosolymis obtinebat, non ideo introducebatur, ut discipuli pauperes essent; sed potiùs ne pauperes essent. Vid. Actor. IV. 34.

22. Superest Obedientia, quam Monachi *regularem* vocant. Hanc si denominetur â regulis Dei, v. gr. de abnegatione sui, Matth. XVI. 24. de honorandis Doctoribus Ecclesiæ, Hebr. XIII. 17. &c. magni facimus; si verò denominetur à regulis hominum, non item; præsertim si regulæ illæ pugnent cum regulis Dei, aut etiam cum sanâ ratione, quorum exempla extant in der Prüfung des Pabstuhms/ c. 26. p. 466. seq.

23. Rechabitæ in abstinentiâ à vino obediebant Patri suo, Jerem XXXV. 1. seq. non tamen ex voto; sed ex lege œconomicâ. Vid. Apol. p. 460. (290) Addatur, si placet, Exercit. nostra de Rechabitis cap. 11.

24. Viduæ juniores, quæ publico sumtu altæ lasciviebant, dicuntur *fregisse primam fidem*, 1. Tim. V. 11. 12. non voti monastici; sed Christianismi. Vid. Apol. p. 462. (290) seq.

Βεβαίωσις. Probamus I. *Vota Deo placentia dari & à Christianis servanda esse*, ex Ps. LXXVI. 12. Quia jubemur *vovere & servare.* Ne quis dicat, hæc ad V. T. solummodò pertinere, addatur Es. XIX. 21. ubi de N. T. prædicitur: *Vota vovebunt Domino & solvent.* Add. Apol. p. 440. (278)

II. *Vota Monachorum non esse ex numero votorum Deo placentium*, 1. *Generaliter*, quia (1) destituuntur testimonio Scripturæ S. (2) concipiuntur de re illicitâ, aut dubiâ, (3) fiunt sub opinione meriti ac satisfactionis.

2. *Specialiter, quà votum* (α) *Continentiæ*, quia (1) concipitur de re, quæ non est in potestate hominis. Matth. XIX. 11. (2) apud multos, majoris boni impedimentum est, quando matrimonium contrahere nequeunt, tametsi ustionibus torqueantur, contra monitum Apostoli, 1. Cor. VII. 9. (β) *Paupertatis*, quia (1) concipitur de re simpliciter indifferente, (2) majoris boni impedimentum est: qui enim nihil habet, ille nec eleemosynam dare, nec alios humanitatis ac liberalitatis actus edere potest, Actor. XX. 35. (γ) *Obedientiæ*, in sensu Pontificio regularis, quia concipitur de re simpliciter malâ & â Deo prohibitâ, Gal. V. 1.

Αντίθεσις est Pontificiorum, qui (1) nobis imputant, quod vota absolutè rejiciamus; (2) Vota Monachorum non solùm probant; sed etiam immodicè extollunt. Vid. Apolog. p. 419. 445. (277. 281) seq.

Thesis II. *Monachatus est inventum merè humanum, nec pro cultu meritorio ac satisfactorio haberi, aut etiam reliquis vitæ generibus, tanquam status perfectior, anteferri debet.*

Εκθεσις 1. Monachatum non improbamus simpliciter; sed secundum quid.

2. Alius ille erat, in seculo III. ac IV. quàm in sequentibus

tibus factus eſt; ut proinde haud immeritò inter Monachatum primævum ac hodiernum diſtingvamus.

3. Initium Monachatui, ſub Decio Imperatore, graſſantium perſecutionum metus dedit. Poſteà etiam alii, quod ita rebus divinis commodiùs vacari, atque occaſiones peccandi, è malorum conſortio provenientes, vitari crederent, ſe turbæ ſubduxerunt ac in eremum, aut monaſterium aliquod, ſeceſſerunt. At nunc Monachatus ſuſcipitur ex opinione, quod ſit cultus meritorius ac ſatisfactorius.

4 Si ergo quæratur, an Monachum fieri liceat? affirmamus: ſi verò quæratur, an ſub eâ, quæ in Papatu viget perſvaſione & ſuperſtitione, Monachum fieri liceat? negamus.

5. Monachatus haberi poteſt pro corporali exercitatione, quæ juxta Apoſtolum *ad modicum utilis eſt*, 1. Tim. IV. 8. ſed non haberi debet pro cultu Dei, aut ſtatu perfectionis. Vid Apol. p. 445. (281)

6. Si quis Monachatum eorum, qui dono continentiæ pollent, cæteris vitæ generibus præferat, ob temporalem commoditatem; non habebit nos diſſentientes: at nunc de eo agitur, an præferendus ſit, ob ſpiritualem perfectionem, quod inficiamur.

7. De Conſiliis Evangelicis, ex quibus Monachatus deduci ſolet, ſuperiùs actum eſt Th. 1. obſerv. 7. ſqq. p. 518. ſeqq. Addatur Apolog. p. 446. 447. (282. 283)

8. Enochus & Rechabitæ non poſſunt pro Monachis venditari, quia in conjugio vixerunt. Geneſ. V. 22. Jerem. XXXV. 3. 8.

9. Neque aut Elias, aut Johannes Baptiſta, hujus inſtituti participes fuerunt; cum nihil de eo in Scripturâ reperiamus, extra quam in præſenti materiâ ſapere, eſt deſipere.

Βεβαίωσις Probamus I. *quod Monachatus ſit inventum merè humanum*, (1) ex ſilentio Scripturæ. Neque enim aut in V.

aut

...N. T. de Monachatu extat mandatum, promissum, vel exemplum; (2) ex testimonio Hieronymi, cujus hac in parte eo major autoritas est, quo ille majori amore alioqui Monachatum prosequebatur. Ita autem scribit, de vitâ Pauli Thebæi init: *Inter multos sæpe dubitatum est, â quo potissimùm Monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam altiùs repetentes, â B. Heliâ & Johanne sumsere principium: quorum Helias plus nobis videtur fuisse, quàm Monachus & Johannes ante prophetare cœpisse, quàm natus est. Alii autem, in quam sententiam vulgus omnis consentit, asserunt, Antonium hujus propositi fuisse caput, quæ ex parte vera est: Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium invitata sunt studia. Amathas verò & Macarius, discipuli Antonii, quorum superior Magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse, quod non tam nomine, quàm opinione, nos quoque comprobamus.*

II. *quod Monachatus non debeat haberi pro cultu meritorio ac satisfactorio*, ex Confessionis Augustanæ P. 2. art. 5. Th. 1. p. 502. Quia quicquid denegatur Traditionibus humanis in genere, illud etiam Monachatui, ut Traditioni speciali, denegari oportet. Reliqua petantur ex Confessione ipsâ, p. 55. (35) seq. & Apologiâ, p. 441. (279) seqq.

III. *quod Monachatus cæteris vitæ generibus, ut status perfectior, anteferri nequeat*: Quia cæteri status in verbo Dei fundantur v. gr. Status Politicus & Oeconomicus; Monachatus verò ad *plantas* illas pertinet, quas *Pater cœlestis non plantavit*, Matt. XV. 13. Vid. plura in Apol. p. 451. (284. 285.)

Ἀντίθεσις est Pontificiorum.

III. VINDICATIO.

Accusamur,

Criminis falsi multipliciter commissi, ex eo, quod nostri scripserunt,

I. Monaſteria olim fuiſſe Scholas. Sic Dillingenſes, ... ſerus, Roſweydus de Vitis Patrum &c. quibus opponatur Dorſcheus in Parallelis Monaſticis & Academicis.

II. Monaſteria olim fuiſſe libera & votis non alligata collegia. Sic Cochleus, Virveſius, Fabricius, Bellarminus &c. quibus opponantur Gerhardus in Confeſſ. Cathol. Balduinus L. 4. c. 4. Anti-Patzmanni.

III. Vota Monaſtica â Pontificiis æquiparari Baptiſmo. Sic Fabricius, Cochlæus, Bellarminus &c. quibus opponatur Veielius in Excercit. de Anabaptiſmo Monachali.

IV. Vota Monaſtica, ex Pontificiorum mente, mereri remiſſionem peccatorum. Sic Bellarminus: cui opponatur ipſe Joh. â Daventriâ & ex noſtris Balduinus l. 4. Anti-Patzmanni c. 2.

V. Monachatum haberi pro ſtatu perfectionis. Sic Bellarminus, Tannerus &c. quibus opponatur Hulſemannus Diſput. 13. Anti-Hageri.

VI. Monachos merita ſua applicare aliis. Sic Virveſius: cui opponimus experientiam & inſtrumenta publica, quorum aliquot exhibuimus, in der Prüfung des Pabſtuhms p. 380. ſq.

ARTICULUS VII. IDEMQUE ULTIMUS.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

I. EXPLICATIO.

Articulum hunc, variata Confeſſio, integrum retinuit, uſque ad illa verba: *quod diſpenſaverit de præcepto Decalogi* p. 64. (40) Reliqua planè immutata ſunt; ſed citra orthodoxiæ præjudicium.

Verba

...initialia hæc sunt: *Quoties autem de hoc loco dißerimus, statim clamitant adversarii, labefactatâ autoritate Episcoporum, fieri ἀταξίαν: non posse mores populi gubernari, non coërceri vulgi petulantiam, deniq; sequi Cyclopicam vitam, qualis ab Euripide in hoc versu describitur:* Νομάδες ἀκούει οὐδεν, οὐδεὶς οὐδενός. *Queruntur & abrogatis aliquibus legibus vulgus exemplum transferre ad omnes leges, & excussis vinculis ac frenis disciplinæ, sumere sibi infinitam licentiam, quæ scandala innumera, distractiones Principum, dissipationes Ecclesiarum, seditiones, bella & vastitates parit. Deniq; ostendunt, quam sit inimica generi humano* ἀναρχία, *& ex hoc fonte, quantum in omnem vitam vitiorum & calamitatum exundet. Monent igitur ad hæc tanta mala vitanda, stabiliendam esse autoritatem Episcoporum, retinendas leges usitatas, in quibus etiam si qua sint incommoda, hæc docent condonanda esse communi hominum imbecillitati, & propter tranquillitatem dissimulanda, præsertim cum nullus constitui status possit, qui prorsus sit sine vitio. Allegant huc vetus illud,* τὸ κακὸν εὖ κείμενον, μὴ κινητέον. *Commemorant exempla, motis legibus, aut mutatâ politiæ formâ, in civitate Atticâ, Spartanâ, Romanâ & aliis, quæ clades secutæ sint. Romæ dissensiones Consulum & Tribunorum, quoties civilia bella excitarint? Quanquam autem hæ senatoriæ conciones admodum plausibiles sunt, & multorum animos adversus nos incendunt; tamen veris & honestissimis argumentis refutari possunt. Primùm igitur petimus, ut illi Accusatores nostri historiam Ecclesiæ omnium temporum intueantur, nec putent, summos viros, Prophetas & Apostolos, fuisse sine sensu communi, ac adeo ferreos, ut tranquillitatem patriæ non amarint, aut adeo immanes, ut disciplinam, leges, regni* εὐταξίαν *non maximi fecerint. Hi verò sapientissimi, optimi & moderatissimi viri, Esaias, Jonas, Jeremias, Baptista, Christus, Petrus, Jacobus, Paulus, & intelligebant quantum bonum sit civilis concordia, & amabant suos,*

amabant

amabant patriam, magno cum dolore spectabant dissipationem pulcherrimæ politiæ. Quoties illachrymat Christus, loquens de discordiis & seditionibus gentis & urbis excidio! Quanquam igitur illa civilia officia, & norant optimè, & maximè amabant Prophetæ & Apostoli, tamen cogebantur divino mandato belligerari cum regno diaboli, proponere cœlestem doctrinam, colligere Deo Ecclesiam, & servire saluti æternæ multorum hominum. Hæ sunt primæ leges, anteferendæ cæteris omnibus: Non habebis deos alienos. Non usurpabis nomen Dei vanè. *Item de filio Dei:* Hic est filius meus dilectus, hunc audite. *His legibus necesse est obtemperare, necesse est veram de Deo doctrinam, veros cultus amplecti, & fugere errores contumeliosos in Deum, vel si fractus illabatur orbis. Nulla res humana his Dei mandatis anteferenda est, non vita nostra, non amici, non civium concordia.* Post pauca sequitur: *Experimur & ipsi non leve onus impositum esse docentibus: sævitur in nostros multis locis: nos ipsi duriter premimur: ipsa etiam patriæ discordia nobis ingentem dolorem adfert. Sed ut dictum est, necesse est his magnis incommodis anteferre mandatum Dei, de verâ doctrinâ amplectandâ, & abjiciendis erroribus. Nec nobis ignota sunt ea, quæ â prudentibus de legum mutationibus scripta sunt. Meminimus illam Platonis vocem, ut delirantium parentum, ita desipientis patriæ mores ferendos esse. Sed hæc præcepta suas metas habent, ferenda est servitus sine impietate. Non probanda est idolomania, non Evangelii lumen extingvendum.* Deinde de Pontificiis decretis, in tres ordines distinctis, prolixè admodum agitur, errores Adversariorum perstringuntur & objectiones dissolvuntur. Tandem circa finem extat: *Habet etiam Ecclesia donum interpretationis, id est, intellectum cœlestis doctrinæ, sed id donum non est alligatum ad Episcoporum titulum aut ordinem, ideo nequaquam est potestas interpretandi, similis regiæ & prætoriæ; sed eruditi in verbo Dei & renati Spiritu sancto, ubicunq; sunt, adsentiuntur verbo Dei, & id intelligunt, alii magis, alii minus.*

IN

CONFESSIONE INVARIATA p. 59. (37) sqq. 113

I. Thesis orthodoxa

1. proponitur. Docetur enim,
   1. quod Potestas ecclesiastica ac politica malè confundantur. *Magnæ disputationes fuerunt — DEI beneficia in terris.* p. 59. 60. (37)
   2. quod potestas ecclesiastica, tantùm versetur circa Verbum, Sacramenta & Claves. *Sic autem sentiunt — ad salutem omni credenti.* p. 60. 61. (37. 38)
   3. quod potestas ecclesiastica non impediat politicam, nec se rebus politicis immisceat. *Itaq; cum potestas ecclesiastica — Dei donum & beneficium esse.* p. 61. 62. (38. 39)
2. ad hypothesin transfertur. Agitur enim de modernis Episcopis,
   1. quod potestas gladii, quam jure humano habent, distinguenda sit â potestate verè Episcopali. *Si quam habent Episcopi — sed verbo.* p. 62. (39)
   2. quod iis officio suo rectè defungentibus, obediendum sit; nequaquam verò, si quid contra DEum præcipiant. *Hic necessariò & de jure — Scripturas aliquid sentiunt.* p. 62. 63. (39)
   3. quod principes seculares, ea quæ Episcopis jure humano competunt, his cessantibus, ipsi exercere cogantur. *Si quam habent — ut pax retineatur.* p. 63. (39. 40)
   4. quousque potestas Episcoporum, circa institutionem ceremoniarum se extendat, ubi
      1. status controversiæ formatur. *Præter hæc disputatur — ordinibus &c. condendi.* p. 63. 64. (40)
      2. Argumenta adversariorum, qui nimium Episcopis tribuunt, compendiosè recitantur. *Hoc jus qui tribuunt — de præcepto Decalogi.* p. 64. (40)

a b

3. Quod Episcopi nihil contra Scripturam possint, asseritur. *Sed de hac quæstione — Canones 9. distinctione*. ib.

4. Exempla, quomodò Episcopi potestate suâ hactenus abusi fuerint, adferuntur, videlicet

1. quod traditiones condiderint, aut aliqua exegerint, sub opinione meriti, vel satisfactionis. *Porrò contra Scripturam — vestigia quædam videmus.* p. 64. 65. (40)
2. quod in adiaphoris peccatum finxerint, atque ita libertatem Christianam everterint. *Item autores traditionum — cultus ab hominibus institutos.* p. 65. 66. 67. (40. 41. 42)

5. Objectionibus respondetur,

1. de institutione diei Dominici. *Quid igitur sentiendum est — & libertas Christiana.* p. 67 — 70. (42 43)
2. de sanguinis prohibitione, Actor. XV. 10. *Apostoli jusserunt — traditiones exolescant.* p. 70. (43. 44)

II. Summa desideriorum nostrorum hac in parte, cum negativè, tum affirmativè exponitur. *Facilè autem possent — causam Schismati præbent.* p. 70. 71. (44)

IN APOLOGIA p. 464. (292)

I. Adversarii ex eo, quod statum controversiæ perverterint, calumniæ postulantur. *Vehementer hic vociferantur — privilegia non reprehendere.* p. 464. (292)

II. Querelæ, de malâ Episcoporum administratione, inferuntur. *Sed utinam vicissim audirent — procurationis vestræ reddituri estis.* p. 464. 465. (292. 293)

III. Causa ipsa disceptatur, ita ut

1. Status controversiæ formetur. *Cum autem nos in confessione — de hoc articulo controversia est.* p. 465. 466. (239)
2. Thesis adversariorum, quod Episcopi autoritatem habeant leges ad consequendam vitam æternam utiles, condendi, refutatur. *Oportet autem in Ecclesiâ — tales cultus institu-*

a

instituendi. p. 466. 467. (293. 294)

3. Orthodoxa sententia, de potestate ordinis ac jurisdictionis, & quousque ea se extendat, exhibetur. *Cæterùm qui potestatem—acceperunt à Christo.* p. 467. 468 (294. 295)

4. Cautio de Traditionibus seu legibus ecclesiasticis, repetitur. *Quanquam nos in Confessione——quid opponi possit,* p. 468. 469. (290)

5. Objectiones adversariorum refutantur,
   1. ex Luc. X. 16. *Certum est enim——vestitûs & similia.* p. 469. 470. (295. 296)
   2. ex Hebr. XIII. 17. *Citant & hoc—anathema sit.* p. 470. (296)
   3. ex Act. V. 29. *Idem respondemus—& vitam æternam.* p. 471. (296)
   4. de scandalis, ex orthodoxiâ nostrâ resultantibus. *Objiciunt & scandala—omittamus comparationẽ.* p. 471. (296. 297)

EPILOGUS

In Confessione variatâ planè alius, si verba spectemus, substituitur: Ita autem se habet: *Complexi sumus summam doctrinæ Evangelicæ, necessariam Ecclesiis, nec dubitamus, has ipsas sententias nostras verè esse doctrinam, in scriptis Propheticis & Apostolicis traditam, & consensum catholicæ Ecclesiæ Christi, cui etiam eruditiores scriptores ecclesiastici testimonium sæpè perhibent. Ac offerimus nos ad explicationem longiorem, ubicunq; opus erit. Oramus autem Deum, Patrem Domini nostri JEsu Christi, ut ipse Ecclesiam suam, sangvine Filii redemptam, gubernet, servet, purget & augeat. Amen.*

In Confessione genuinâ p. 72. 73. (45. 46) nostri profitentur,
1. quod præcipua tantùm attulerint, quæ inter nos & Pontificios controversa sunt. Istud
   1. asseritur. *Hæc sunt præcipua ——controversia.*
   2. demonstratur, per inductionem eorum, quæ addi potuis-

a

sent. *Quanquã enim de pluribus—faciliùs cognosci possint.*
2. quod candidè egerint,
1. sine aliorum contumeliâ. *Neq; hic quicquam — collectum est.*
2. pro tuendâ partis suæ innocentiâ. *Tantùm ea recitata — Ecclesias nostras serperent.*
3. quod ex obedientiâ Imperatori debitâ
1. summam doctrinæ suæ obtulerint. *Hos articulos — summa cerneretur.*
2. si quod ultrà desideretur, addituri sint. *Si quid in hac—juxta Scripturas exhibere.*

APOLOGIÆ

Epilogus brevissimus est p. 471. (297) in quo
1. Scriptum concluditur. *Hæc pro tempore respondimus ad confutationem.*
2. Judicium de Confutatione & Apologiâ lectori pio relinquitur. *Nunc judicium — verè confutasse.*

II. DEMONSTRATIO.

Thesis I. *Potestas Ecclesiastica Ministrorum differt à potestate politicâ Magistratus, nec utraque eidem subjecto hodie committi debet.*

Εκθεσις 1. Quod Ministri Ecclesiæ peculiarem ordinem, â reliquis hominum ordinibus distinctum constituant, suprà Part. 1. Art. 5. Th. 1. p. 164. ostendimus: Jam de potestate eorum, quæ Ministerii ipsius quasi forma est, dispiciemus.

2. Non ergo negamus, Ministris potestatem aliquam competere; tametsi negemus, potestatem istam esse talem, qualis ab adversariis describitur.

3. Distingvimus enim inter potestatem Ecclesiasticam & Politicam. Illa Ministerio propria est 2. Cor. X. 8. hæc eidem denegatur.

4. Pote-

4. Poteſtas Eccleſiaſtica & Politica ex ſe & per ſe non differunt per modum contrariorum: Habent verò ſe ita, ex voluntate Dei, nobis in Scripturis revelatâ; cui parendum.

5. A temporibus V. T. ad tempora N. T. in judicio de poteſtate Miniſterii N. V. C. Multa enim tunc competebant Sacerdotio, quæ per Chriſti interdictum, Apoſtolorumque monitum, nunc adimuntur Miniſterio.

Βεβαίωσις. Probatur ex Luc. XXII. 25. 26. Quia (1) ratione dominii ſeu poteſtatis politicæ, Miniſtri & Magiſtratus ſibi invicem opponuntur His enim tribuitur dominium; illis verò denegatur. In quo autem oppoſitio eſt, in eo convenientia locum habere nequit. (2) Miniſtris ne quidem titulorum ſecularium pompa conceditur, v. gr. ut (εὐεργέται) *benefici*, quemadmodum olim Principes appellari ſolebant, dicantur: ſi autem ne titulis quidem politicorum uti illis licet, multò minus poteſtate politicâ. Add. 1. Petr. V. 3.

Ἀντίθεσις eſt Pontificiorum, qui ſub nomine Hierarchiæ Eccleſiaſticæ dominatum propriiſſimè ſic dictum Miniſtris Eccleſiæ, præſertim Epiſcopis ac Pontifici Romano, vendicant.

Theſis II. *Poteſtas Eccleſiaſtica Miniſtris jure divino competens, alia eſt ordinis, juxta quam Verbum & Sacrmenta legitimè diſpenſant, atq; ut omnia decenter in Eccleſiâ fiant, proſpiciunt: alia autem Juriſdictionis, in convenienti ſenſu ſic dictæ, juxta quam clavibus Eccleſiæ concreditis, debitè utuntur.*

Ἔκθεσις 1. Adminiſtratio Eccleſiaſtica dividitur in externam, quæ verſatur circa regimen Eccleſiæ; & internam, quæ verſatur circa dona & bona, ſoli Eccleſiæ propria atque intra Eccleſiam, juxta voluntatem Chriſti donatoris tractanda. Illa vulgò ſolet appellari Epiſcopalis; hæc ſpiritualis, juxta ſtrictiorem utriusque vocis acceptionem: illa eſt juris humani; hæc divini: illa uni ex Miniſtris excluſivè, imo & Laico cum Miniſterio competere poteſt; hæc ad ſolos Miniſtros ſpectat.

2. Poteſtas ſpiritualis, quæcunque tandem Miniſtris jure divino attribuitur, vi nominis quod gerunt, non niſi delegata & dependens eſt: Solus enim Chriſtus, utpote Dominus, habet poteſtatem propriam, αὐτοκρατορικὴν ac independentem, in bona ſpiritualia Eccleſiæ, ut ea concedat atque adimat cuicunque voluerit.

3. Quando poteſtatem ejusmodi, aliam ordinis, aliam jurisdictionis, cum Apologiâ p. 467. 468. (294. 295.) eſſe ſtatuimus, termini hi non explicandi ſunt pro cujusvis lubitu; ſed ex Eccleſiarum noſtrarum uſu.

4. Ita poteſtas ordinis primariò verſatur circa Verbum & Sacramenta; ſecundariò etiam circa ea, quæ, ut omnia decenter fiant, requiruntur.

5. Ex poteſtate circa Verbum, Miniſtri eſt, doctrinam ſanam proponere, hæreticis & ſchiſmaticis reſiſtere, ad bona opera gregem hortari, peccata ſuorum prudenti zelo redarguere & imbecilliores conſolari. Unde poteſtas iſta diſtingui ſolet in Didaſcalicam, Elenchticam, Paræneticam, Epanorthoticam & Paracleticam.

6. Cum Sacramenta non ſint ſigna nudè ſignificativa divinæ gratiæ; ſed ſimul exhibitiva; patet diſpenſationem eorum, non ſolùm circa materiam terrenam, verùm pariter circa materiam cœleſtem occupari.

7. Intereà non opus eſt, ut quivis Miniſter actu ipſo diſpenſet Sacramenta; ſed ſufficit, ſi ubi Eccleſiæ conſvetudo vel etiam leges non obſtant, diſpenſare queat.

8. Inſtitutio eorum, quæ, ut omnia decenter in Eccleſiâ fiant, quomodocunque requiruntur, totius Eccleſiæ atque adeo etiam Magiſtratûs, præſertim ſi orthodoxus ſit, conſenſu fieri debet; conſervatio autem præ reliquis ordinibus, Miniſterio competit.

9. Vocabulum Jurisdictionis, nunc à ſignificatione ſeculari ad ſacram, â foro ad Eccleſiam revocandum eſt. Ibi con-

junctum

junctum habet imperium, & jus coërcendi per mundanas pœnas, ut sunt mulctæ, incarceratio, afflictio corporis & existimationis &c. Hic omnia geruntur solo Dei verbo, tanquam *gladio Spiritûs*, Eph. VI. 17.

10. Potestas Jurisdictionis, versatur circa Claves, ligantem & solventem. Tametsi enim potestas ista in sese non nisi una sit, variat tamen (1) ratione objectorum: cum hic se offerant pœnitentes; illic impœnitentes. (2) ratione mediorum: cum hic præsto sit verbum Evangelii; illic Legis (3) ratione effectuum: cum hic sequatur absolutio; illic condemnatio.

11. Jus clavium competit toti Ecclesiæ; exercitium verò seu applicatio hujus juris, ad certum ordinem in Ecclesiâ, videlicet ad Ministerium, restringitur.

12. Apostolis concessa est hæc potestas: non tamen solis; verùm in illorum personâ, omnibus quoq; eorum successoribus.

13. Usus clavium non nudam denunciationem & significationem ejus, quod in cœlis fit; sed simul veram & realem applicationem, seu benedictionis, seu maledictionis, infert, ita ut in eadem actione, Deus & Minister, ceu causæ subordinatæ concurrant.

14. Cavendum, ne Ministri, pro administratione clavium, sibi illarum dominium arrogent: Neque enim horum potestas est tyrannica, aut etiam regia; sed duntaxat ministerialis: ut proinde clavibus non juxta suam, sed juxta Dei voluntatem uti teneantur.

15. Claves efficaces sunt in legitimo usu; non in illegitimo abusu. Hinc Excommunicatio vibrata in insontem, nullius valoris est; pariter atque Absolutio denunciata impœnitenti.

16. Quædam quæ adscribuntur Ministris Ecclesiæ, etiam exerceri queunt â Laicis; sed diverso modo: ab illis publicè; ab his privatim: ab illis solenniter; ab his communiter: ab illis ordinariè; ab his extraordinariè, v. g. doctrinam fidei exponere, suos ad bona opera hortari, ægros consolari, in casu necessitatis baptizare &c.

βεβαίωσις

βεβαίωσις Probamus I. *Ministris competere potestatem ordinis, circa Verbum, Sacramenta & ea quæ decenter in Ecclesiâ fieri debent*, 1. ex 1. Cor. IV. 1. 2. Quia Ministri constituuntur (οἰκόνομοι) *dispensatores Mysteriorum* Dei, i. e. verbi ejus, Rom. XVI. 25. Eph. III. 9. adeoq; & Sacramentorum, utpote quæ ut verbum visibile se habent. Oeconomum verò oportet habere potestatem circa illud, quod alieno nomine administrat.

2. ex 2. Tim. IV. 1. sqq. Quia Timotheus Ministerio admotus, accepit potestatem (1) didascalicam. Jubetur enim *prædicare verbum* v. 2. (2) elenchticam. Jubetur enim (ἐλέγχειν) *arguere*, v. 2. & quidem *eo tempore, quo* auditores *sanam doctrinam* sustinere detrectant, v. 3. (3) paræneticam. Jubetur enim (παρακαλεῖν) *obsecrare* vel uti Rom. XV. 30. accipitur, *hortari, in omni lenitate & doctrinâ* v. 2. (4) epanorthoticam: Jubetur enim *increpare* & *instare, tempestivè ac intempestivè* v. 2. Ubi sciendum, quod qui officio suo rectè defungitur, id quidem semper *tempestivè* faciat, quoad judicium Dei; tametsi interdum *intempestivè* facere videatur, quoad judicium hominum malè sentientium. (5) paracleticam. Jubetur enim *opus peragere Evangelistæ* v. 5. Evangelizare autem est lætum nuntium afferre. (6) dispensatoriam Sacramentorum. Jubetur enim Ministerium suum (πληροφορεῖν) *plenum reddere*, v. 5. quod ut fiat, Sacramenta accedant oportet Matth. XXIIX. 19. 1. Cor. XI. 23. sqq. (7) curatoriam eorum, quæ decenter fieri debent: Jubetur enim *vigilare in omnibus* v. 5. adeoque & in iis, quæ ad bonum ordinem spectant. 1. Cor. XIV. 40.

II. *Ministris competere potestatem Jurisdictionis, circa claves* ex Jo. XX. 21, 22, 23. ut constet, hæc non solis Apostolis, sed per Apostolos, omnibus eorum successoribus, Ecclesiæ Ministris, dicta esse. Observandum (1) quod usus clavium describatur, ut consequens Missionis: Quotquot ergo à Christo missi sunt, *sicut Christus à Patre missus est*, illi etiam acceperunt eandem potestatem. Subsumimus de omnibus veris Ecclesiæ Ministris.

Sciendum igitur, quod particula SICUT, notet identitatem in re; non in modo rei, ut sensus sit: Quàm verè divina est mea missio, ad enuntiandum Evangelium; tàm verè divina est aliorum missio ad idem opus. Conf. Joh. XVII. 18. (2) quod si tantùm illis, qui tum præsentes aderant, per modum specialis privilegii potestas ista concessa esset; sequeretur, ne quidem omnes Apostolos potestatem hanc accepisse. Nam Thomas aberat Joh. XX. 24. Paulus autem nondum erat vocatus. Act. IX. 3. sq. At consequens est falsum: E. & antecedens.

Ἀντίθεσις est 1. Fanaticorum, qui Ministerio nullam, aut perquam exiguam potestatem concedunt.

2. Pontificiorum, qui ad potestatem Ordinis referunt (1) consecrare Eucharistiam (2) conferre Sacramentum Confirmationis, (3) Ordinare Diaconos, Presbyteros & Episcopos, (4) Chrisma conficere, (5) Oleum infirmorum sacrare, (6) consecrare Virgines, Templa, Sacella, Altaria, Vestes, Vasa &c. Ex his primum Presbyteris & Episcopis commune est: Reliqua ad solos Episcopos pertinere statuuntur. Potestati Jurisdictionis accensent dispensationem in votis & juramentis.

3. Mosis Amyraldi, qui inter ea quæ Apostoli peculiaria habuerunt, recenset etiam *Ligare & Solvere*; quo ipso Ministris hodiernis potestas Jurisdictionis adimitur.

Thesis III. *Quamvis Ministri Ecclesiæ, quoad facultatem dispensandi media salutis æquales sint, neq; de jure divino, ulla inter Episcopos & Presbyteros distinctio, aut etiam casûs peccatorum Episcopis vel Pontifici Romano reservati dentur; nihilominus quoad executionem actuum specialium officii, inæqualitas & quædam subalternatio Ministrorum, pro commodo Ecclesiæ, introduci potest.*

Ἔκθεσις 1. Concedimus, inter Ministros, distinctionem loci & honoris; nequaquam verò potestatis ministerialis, quoad Verbum & Sacramenta.

2. In potestate illâ omnes Ministri æquales sunt; quam-

vis circa exercitium poteſtatis, ex voluntate Eccleſiæ, qu. doque introducatur inæqualitas e. g. ne Epiſcopus, vel Superintendens Sacramenta adminiſtret, ut ab eo, regimen Eccleſiæ externum, tantò diligentiùs curetur: item ne inferiores Miniſtri, inſcio Epiſcopo vel Superintendente, clavem ligantem exerceant, ut hac ratione cauſarum & meritorum tantò accuratior ratio habeatur.

3. Cum Miniſter ſubalternatur Miniſtro, obligatio inferioris erga ſuperiorem, non eſt abſoluta; ſed reſtricta, ſub hac conditione, ne quid injungatur â ſuperiori, contra obligationem, quâ inferior Deo obſtringitur. Actor. V. 29.

4. Apud Pontificios, Presbyteri & Epiſcopi unum ordinem Hierarchicum conſtituunt, & nihilominus de jure divino realiter diſtingui perhibentur: quod abſonum.

5. Nos inter Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen ſtatui poſſe agnoſcimus: quin imo in Evangelicis Eccleſiis pasſim diſcrimen ejusmodi obſervatur, non ſolùm in regnis ſeptentrionalibus, ubi Epiſcoporum nomen retinetur; verùm etiam alibi, ubi Epiſcopi, voce juxta Auguſtinum prorſus æquipollente, Superintendentes appellantur. Quod verò diſcrimen illud jure divino nitatur, pernegamus.

6. Proinde diſtinguimus inter id, quod in Eccleſiam introducitur â Deo ac immutabiliter; & quod ab hominibus ac mutabiliter. Poſterioris generis eſt diverſitas inter Epiſcopos & Presbyteros; non prioris.

7. Si quæratur, an nonnulla Epiſcopis reſervari queant? affirmamus: Si verò quæratur, an nonnulli caſus peccatorum, ita ut reſpectu aliorum Miniſtrorum irremisſibiles ſint, Epiſcopis reſervari queant? negamus.

Βεβαίωσις Probamus I. *Inter Miniſtros, pro commodo Eccleſiæ, inæqualitatem & ſubalternationem quandam introduci poſſe*, ex I. Cor. XII. 28. & Eph. IV. 11. 12. ubi varii Miniſtrorum gradus recenſentur.

II. *Pres-*

…xi. *Presbyteros & Episcopos jure divino non distingui.* 1. ex Act. XX. quia qui v. 17. appellantur Presbyteri, iidem v. 28. dicuntur Episcopi. Idem fit Tit. I. 5. & 7.

2. ex 1. Petr. V. 1. 2. 3. Quia Apostolus Presbyteros, quorum se vocat *Sympresbyterum* v. 1. mox describit, ut ἐπισκοποῦντες seu Episcopalem inspectionem habentes.

3. ex Hieronymi Epistolâ 85. ad Evagrium, in quâ pluribus invictisq; argumentis Thesis nostra ex Scripturâ demonstratur.

III. *Non dari casus peccatorum jure divino Episcopis vel Pontifici Romano reservatos*, ex 2. Cor. V. 18. sq. Quia omnes veri Ministri indiscriminatim (1) funguntur *Ministerio reconciliationis* v. 18. (2) acceperunt *verbum reconciliationis* v. 19. (3) *pro Christo legatione funguntur ad reconciliandum alios* v. 20.

Ἀντίθεσις est 1. Independentium in Angliâ, qui omnem Ministrorum subalternationem detestantur.

2. Pontificiorũ, qui Presbyteros ab Episcopis jure divino differre, casusq; certos peccatorũ, solis Episcopis reservari, contendunt

Thesis IV. *Quæ Pontificii, de VII. Ordinibus Ministrorum, per quos usq; ad Episcopatum ascendatur tradunt, nullum in Scripturâ, aut etiam in primævâ ac puriori antiquitate, fundamentum agnoscunt.*

Ἔκθεσις 1. Non quæritur, an graduum distinctio, inter Ministros locum habeat? quod Christus ipse haud obscurè prodit Matth. XXVI. 15. sed an gradus distinguendi sint, ex recepto Pontificiorum more.

2. Jam dicti Adversarii Ordines partiuntur in Minores & Majores. Minores sunt, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum & Acoluthorum: Majores verò Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum.

3. Ostiariorum est aperire & claudere fores templi: Unde in Ordinatione accipiunt *claves*.

4. Lectorum est legere ex pulpito V. T. Unde in ordinatione accipiunt *librum*, quem *Lectionarium* vocant.

 5. Epo-

5. Exorcistarum est, Exorcismos pronunciare super energumenos. Unde in ordinatione accipiunt *librum Exorcismorum*, vel etiam, in defectu illius, Missale.

6. Acoluthorum est praeparare luminaria, itemque urceolos vini & aquae ad Missam porrigere, & cum cereo accenso Diaconum ad locum Evangelii sequi: Unde in ordinatione accipiunt *candelabrum, cum cereo & urceolis.*

7. Subdiaconorum est calicem & patinam ad altare deferre, aquam & manutergium (seu mantile) tenere, substratoria lavare, & Epistolam legere: undè in ordinatione accipiunt *calicem vacuum, cum patinâ*, ac *librum Epistolarum.*

8. Diaconorum est, Sacerdoti missificanti ministrare, Evangelium legere, Eucharistiam populo distribuere, baptizare, praedicare, poenitentes reconciliare; paucis, omnia facere quae Presbyteris conveniunt, exceptâ consecratione Symbolorum in Eucharistiâ: in ordinatione accipiunt *librum Evangeliorum.*

9. Presbyterorum est consecrare symbola eucharistica, sacrificia offerre pro vivis & mortuis, donis Dei benedicere. &c. In ordinatione accipiunt *vestem Sacerdotalem, calicem cum vino & aquâ, ac patinam cum pane superimposito.*

10. Lombardus L. 4. Sentent. Dist. 24. ex Scripturâ VII. ordines probaturus, perquam ineptè agit: *Officium Ostiarii*, inquit, *Dominus in suâ personâ suscepit, qvando flagello de funiculis facto, vendentes & ementes ejecit è templo. Ipse etiam se Ostiarium significans dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, & intrabit & egredietur, & pascua inveniet. Officium Lectorum implevit Christus, cum in medio Seniorum librum Esaiae aperiens, distinctè ad intelligendum legit:* Spiritus Dei super me &c. *Ex qvo Lectoribus datur intelligi, qvod gratiâ spirituali clarere debent, qvi aliis verbum Dei annuntiant. Exorcistae officio usus est Christus, cum Daemoniacos multos sanavit. Hic ordo à Salomone videtur descendisse, qvi qvondam modum exorcisandi invenit, qvo Daemones adjurati, ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati, Exorcistae vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio:* Si ego in Beelzebub ejicio daemonia, Filii vestri, *scil. Exorcistae*, in quo ejiciunt? *Acoluti officium Dominus se habere testatur, dicens:* Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Subdiaconi officio usus est Dominus, qvando linteo se praecinxit & mittens aqvam in pelvim, pedes discipulorum lavit & linteo tersit. Diaconi*

officio

officio usus est Christus, quando post cœnam Sacramentum carnis & sanguinis Discipulis dispensavit & quando Apostolos dormientes ad orationem excitavit: dicens: Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. *Presbyteri tandem officio usus est Christus, cum seipsum in ara crucis obtulit, idem Sacerdos & Hostia, & quando post cœnam panem & vinum in corpus suum & sangvinem commutavit.* Hucusq; Lombardus, cujus argumentis, si quis se moveri patiatur, idem ille etiam credat, inter Ministros Ecclesiæ peculiarem ordinem dari Peregrinantium, ex Matt. II. 13. sq. Medicorum, ex Matt. VI. 24. Pistorum, ex Matt. XV. 34. sq. Joh. VI. 35. Vinitorum, ex Joh. XV. 1. sq. &c.

11. In Ecclesiâ quidem primævâ, reperimus vestigia quædam nominum, quibus nunc Pontificii Ordinum diversitatem indicant; at res ipsa prorsus immutata est. Olim Episcopi & Presbyteri erant Ecclesiæ Ministri; hodie Episcopus est secularis Dominus & Presbyter sacrificulus: olim Acoluthi erant Ministerii Candidati, qui Episcopum assiduè sequentes, sub illius ductu ad servitium Domini præparabantur; hodie sunt Luciferi in clarâ meridie: olim Ostiarii erant Æditui; hodie Thesaurarii &c.

Βεβαίωσις. Probamus ex 1. Cor. XII. 28. & Eph. IV. 11. 12. Quia Apostolus de plerisque ex his Ordinibus silet, ubi ex professo de varietate Ministrorum Ecclesiæ agit. Plura ut adferamus haud opus est, cum Pontificii nullo fundamento nitantur.

Αντίθ. est Pontificiorū, quod ex ipsâ Thesi ejusq; explicatione constat.

Thesis V. *Nullus Ministrorum, quocunq; nomine, aut titulo veniat, potestatem habet novos cultus introducendi, aut leges conscientiam directè obligantes ferendi.*

Ἔκθεσις 1. Ex Thesi I. & II. patet, quod Ministris concedamus potestatem, sed limitatam; non illimitatam. Ulterius evagari nequeunt, quàm DEUS in verbo suo concessit.

2. Ministrorum, quocunq; nomine & titulo veniant, est colere DEUM: non tamen pro suâ; sed pro Dei voluntate, juxta illud Chrysostomi Homil. 51. in Matth. *Discamus Christum ex ejus voluntate honorare. Nam qui honoratur, eo maximè honore lætatur, quem ipse vult; non quem nos optamus.*

3. Minister Ecclesiæ similis esse debet patrifamilias, qui *profert de thesauro suo vetera & nova*, Matth. XIII. 52. ita tamen ut nova non dicantur, quæ Minister de novo excogitat; sed quæ ex novo testamento promit; quemadmodum vetera ex V. T. petuntur.

4. Quod Ministri, præsertim superiores, consentiente Ecclesiâ leges de bono ordine, ut omnia decenter fiant, ferre possint, concedimus: quod verò leges divinis legibus pares ferre posśint, inficiamur.

5. Nimirum leges divinæ conscientiam directè obligant, ut qui eas violat, per se peccet: at leges humanæ, quales sunt, quæ â Ministris proficiscuntur, conscientiam non nisi indirectè obligant, ut qui eas violat, tantùm per accidens peccet, in quantum videlicet Eeclesiam scandalizat.

6. Reliqua videantur superiùs P. 2. Aug. Conf. Art. 5. Th. 1. p. 502.

Βεβαίωσις Probamus, I. *Nullum Ministrorum, posse novos cultus introducere*, ex Es. XXIX. 13. & Matth. XV. 9. Quia DEUS omnem ἐθελοθρησκείαν detestatur.

II. *Nullum Ministrorum posse leges, conscientiam directè obligantes, ferre*. ex iis quæ dicta sunt in Apol. p. 468. (295)

Ἀντίθεσις est Pontificiorũ, qui potestatem hujuscemodi Papæ suo, imo etiam certo respectu Episcopis reliquis, attribuunt. Vid. Apol. 465. (293)

Thesis VI. *Pontifex Romanus, tametsi se pro Petri successore venditet, non tamen propterea œcumenicus Episcopus & caput universalis Ecclesiæ, verùm ex quo plenitudinem potestatis in Ecclesiastica, imo & Secularia sibi arrogavit, magnus ille Antichristus est, à Daniele & Paulo quondam prædictus.*

Ἔκθεσις 1. Concedimus in Ecclesiâ, ceu domo Dei 1. Tim. III. 15. requiri aliquam gubernationem supremam, imo hanc quoq; esse monarchicam & ut Adversarii conjiciunt, ex istâ causâ, quoniam Monarchica est, optimam: sed respectu Christi; non Papæ. De Christo igitur intelligenda sunt, quæ legimus de *uno Rege*, Ezech. XXXVII. 24; de *uno ovili, sub uno Pastore*, Joh. X. 16; de *uno capite*, Hos. I. 11. de *uno lapide fundamentali*, Es. XXIIX. 16. Similiter & Pontifex V. T. gessit typum Christi; non Papæ, Hebr. II. 17. III. 1. V. 6. Vid. plura superiùs P. I. Art. 7. Th. 3. observ. 5. & 6. p. 208.

2. Atq; ita quidem se res habet, quando Ecclesia spectatur quoad internam & essentialem constitutionem: alioqui si consideretur quoad externam & accidentalem gubernationem, quæ Magistratui civili, si Christianam religionem profiteatur, competit, excusari potest, quod Rex Angliæ se *caput Ecclesiæ* vocet: videlicet non Ecclesiæ universalis, seu in toto mundo, (quod Papa prætendit); sed particularis, in ditionibus sibi subjectis.

3. Alia

Alia ratio est corporis merè moralis, ubi propter absentiam, aut impotentiam capitis supremi, quod regendis membris sufficere nequit, interdum assumitur caput subordinatum e. gr. Prorex in regno longiùs dissito, Oeconomus in amplâ familiâ &c. Alia vicissim ratio est corporis mystici, ubi propter omnipræsentiam & omnipotentiam capitis, quod regendis membris abundè sufficit (Matth. XXIIX. 18. 20) caput subordinatum sine causâ assumeretur. Accedit, quod in corpore morali sufficiat unio externa capitis & membrorum; cum in corpore mystico requiratur unio interna, ut caput membra inhabitet Eph. III. 17. & membra ceu palmites, capiti tanquam viti inserantur Joh. XV. 5. qualis unio inter Papam & Ecclesiam nequaquam intercedit.

4. Cum à Scriptoribus Ecclesiasticis Petro tribuitur primatus inter Apostolos, id intelligendum est de primatu ordinis, seu honoris; non jurisdictionis, seu potestatis. Idemque judicandum de Matth. X, 2. ubi Petrus ut *primus* anteponitur reliquis Apostolis; veruntamen ita, ut idem ille alibi Jacobo postponatur. Gal. II. 9.

5. Quod autem Christus promittit, se oraturum, ne deficiat fides Petri Luc. XXII. 31. eo non prædicitur Petri primatus; sed lapsus, & quidem horrendus lapsus.

6. Matth. XVI. 18. fertur Ecclesia ædificanda (ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ) *super hâc petra*, scilicet quam Petrus confessus erat v. 16. non super Petrum ipsum, de quo dicto pluribus actū est P. 1. Art. 7. Th. 4. Prob. 3. p. 212.

7. Reliqua, ex quibus eminentia quædam resultare videtur, adscribuntur quidem Petro: non tamen soli. E. g. cum *claves* ei porriguntur Matth. XVI. 19. Conf. ib. XIIX. 18. Joh. XX. 23. cum jubetur *pascere oves Christi* Joh. XXI. 15. 16. 17. Conf. 1. Petr. V. 2. cum ipse promittit, se daturum operam, ut Auditores post obitum ejus retineant, quæ hactenus prædicaverat 2. Petr. I. 15. Conf. Act. XX. 28. 2. Tim. I. 13. Tit. I. 9.

8. Non tam disputabimus, an Petrus Romæ fuerit & docuerit? quod Chemnitius noster, in Harm. Evang. c. 50. propter tot antiquorum Scriptorum consensum, largitur: quàm an Cathedram Papalem, supra alias cathedras Episcopales evectam & eminentissimis prærogativis ornatam, ibi erexerit, eidemq; ipse annos non paucos præfuerit? quod inficiamur. Inter ipsos Pontificios nondum constat, quo anno Petrus Romam venerit: Alii enim tradunt, hoc accidisse statim ab ascensione Domini; alii in principio imperii Claudii; alii anno hujus imperii secundo; alii quarto; alii sub prioribus annis Neronis; alii demum sub vitæ suæ finem, cui ultimæ sententiæ nos præ reliquis subscribimus.

9. Episcopatus in sensu generali, notat functionem quamcu regendi Ecclesiam: quâ ratione Epiphanius Hæres. 27. scribit: *Rom. fuisse Petrum & Paulum, eosdem Episcopos & Apostolos*: in sensu autem speciali, Episcopatus significat functionem certæ Ecclesiæ particulari alligatam 1. Tim. III. 1. Quâ ratione distinguimus inter Apostolum & Episcopum: Ille est Doctor catholicus seu universalis Ecclesiæ; hic Diœcesanus, seu cujusdam particulæ ex universali Ecclesiâ.

10. Si quæratur, an Pontifices Romani, Petro ut Doctori ac Christi servo, succedere debeant? affirmamus; si autem quæratur, an actu succedant? negamus.

11. Num quis successor Apostoli cujusdam haberi mereatur, rectiùs ex doctrinâ cognoscitur; quàm ex loco: juxta illud in Decreto P. I. dist. 4. Can. 2. *Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.*

12. In generali officio, quatenus Petrus spectatur ut Ecclesiæ Pastor, omnes alii Ministri legitimè vocati, ejus æquè ac Pauli & reliquorum Apostolorum successores fieri jubentur 1. Cor. XI. 1. Hebr. VI. 12. In speciali autem officio, quatenus Petrus ut Monarcha & Imperator totius Ecclesiæ concipitur, nullum successorem habet, quia ipse nunquam talis fuit, qvalis fuisse fingitur.

13. Sic qvoqve omnes Ministri rectè dicuntur Vicarii Christi, 2. Cor. V. 20. Eph. VI. 20. sed speciales, videlicet qvisqve in eo, cui per vocationem alligatur loco; non generales & universales.

14. Romano Episcopo olim primus locus inter Patriarchas concedebatur, ob urbis celebritatem; non ob singularem aliquam officii potestatem ac prærogativam.

15. Nec ex titulis honorariis Romano Episcopo, per aliorum comitatem, humilitatem, vel etiam adulationem, tributis, ad veritatem rei ipsius, argumentari licet, secundum illud JCtorum: *Verba curialia, ne hilum quidem obligant.* Accedit, qvod Oecumenici Episcopi titulum Constantinopolitanus etiam Patriarcha gerat, imo priùs quàm Romanus gesserit. Sic & Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, olim vocabatur *omnium Christianorum Papa.* Idem judicium esto de aliis titulis, ut sunt, *Pater Patrum*, *Princeps Sacerdotum*, &c. qvi Patriarchis promiscuè tribuebantur.

16. Istud penè ridiculum est, qvod Roma, propter Petrum, qvi ibi docuisse perhibetur, omnium Ecclesiarum Mater vocatur: qvandoqvidem

quidem elogium hocce Hierosolymis potius competit, in quâ Christus, omnium Doctorum Doctor, certò certiùs docuit. Conf. Es. II. 3.

17. Præ cæteris observandum, quod cum Pontifices Romanos carpimus, de recentioribus sermo sit, præsertim illis, qui Hildebrandi, seu Gregorii VII. vestigiis institerunt; non de antiquioribus, inter quos fuerunt sancti Martyres & fideles Ecclesiæ Doctores, qui verè Petrum & in Petro Christum imitati sunt.

18. Vocabulum Antichristi, in Scripturis vel generaliter vel specialiter accipitur. In priori sensu, quilibet Christum veramque Ecclesiam seu doctrinâ, seu armis oppugnans, *Antichristus* dicitur, 1. Joh. II. 18. 22. IV. 3. 2. Joh. v. 7. In posteriori sensu usurpatur pro insigni quodam & præ reliquis notabili Christi & veræ Ecclesiæ hoste, qui determinatè appellatur ὁ ἀντίχριστος 1. Joh. II. 18. & *magnus Antichristus*.

19. Hic Antichristus, de quo nunc agitur, unus est; non tamen numericè; sed specificè; non ratione omnium temporum; sed ratione præsentis temporis: non quod nunquam sit alius; sed quod semper reperiatur idem cum alio. Prorsus uti in regno monarchico unus imperare dicitur, quamvis alter alteri succedat; vel uti Pontificii unum Petri successorem esse ajunt, quamvis mortuo Papâ iterum iterumque novus surrogetur.

20. Distingvimus inter Antichristi *initia*, à temporibus Apostolorum, usq; ad tempora Phocæ Imperatoris: *progressûs*, â temporibus Phocæ (qui primus Romanum Episcopum declaravit œcumenicum) usque ad Lutherum: & *decrementa*, ab anno Christi 1517. (quo Lutherus Pontificem oppugnare cœpit) usq; ad secundum Christi adventum, quo plenè destruetur 2. Thess. II. 8.

21. Aliud ergo est, cum de nativitate & infantiâ; aliud cum de virili ætate Antichristi quæritur: illa in occulto cœpit & incrementa pedetentim sumsit, adeo ut tempora profectuum ejus, non satis accuratè indicari ac distingui queant: hæc in aprico est, & ab Historicis clarissimè manifestata.

22. Non obstat, quod adventus Antichristi ad tempus *ultimum* referatur. Hoc enim non in sensu humano; sed divino sic dicitur. 2. Petr. III. 8. ita ut totum tempus Evangelii, per orbem divulgati, comprehendat. 1. Joh. II. 18.

23. Singulis Pontificibus, post Phocam Imperatorem, & magis ad-

Zzz huc

huc post Hildebrandum seu Gregorium VII. Pontificem, competunt notæ Antichristi: si non semper in summo; saltem in aliquo gradu.

24. Ecclesia Romana non est Antichristiana materialiter; sed formaliter, quatenus scilicet Papæ, ut Doctori & Magistro adhæret.

25. Nec tamen quamcunq; doctrinam Papæ accusamus: quia in haud paucis articulis cum Orthodoxiâ convenit; sed tantùm doctrinam Papæ propriam, à quâ scilicet Papismus, in oppositione ad verum Christianismum denominatur.

26. Etsi igitur Ecclesia vera potuerit & adhuc possit esse sub Papatu; non tamen potuit, aut adhuc potest esse ipse Papatus.

27. Hoc insuper notandum, quod propositio ista: Papa est Antichristus: non sit articulus fidei fundamentalis, cujus notitia & confessio, omnibus omnium locorum & temporum Christianis, ad salutem simpliciter sit necessaria; sed quod sit articulus fidei non fundamentalis, cujus notitia & confessio ad veram & solidam plurimorum vaticiniorum in Scripturâ dilucidationem, multum conferat.

28. Eademque propositio, non tam stringit Papistas, quorum seductionem deploramus & conversionem à Deo exoptamus; quàm Papatum, cujus desperatam causam prævio Spiritu S. arguimus. Id quod injuria nulla est in Principes Papæ adhærentes redundans; nisi etiam Christum in Pharisæos, Apostolos in Ethnicos quoscunque, Johannem Apocalypseos scriptorem, in Reges cum meretrice Babylonicâ scortaturos, dicere velis injurios esse.

Βεβαίωσις Probamus, I. *Pontificem Romanum non esse oecumenicum Episcopum & universalis Ecclesiæ caput*, 1. ex Eph. I. 22. ubi Christus dicitur constitutus *caput Ecclesiæ super omnia*. Qui igitur Papam pro capite Ecclesiæ habet, Christi honoribus derogat. Sequeretur enim Christum aut nolle, aut non posse regere Ecclesiam suam; quod utrumque falsum est. Potest certè, quia *pedibus ejus omnia subjecta sunt*: vult etiam, quia hunc in finem *se caput Ecclesiæ dedit*. Exceptio Pontificiorum, quod Papa sit caput sub Christo; nulla est. Nunquam enim à Deo pro capite tali declaratus est. Conf. Hebr. V. 4.

2. ex absurdo. Nam si Papa esset caput Ecclesiæ, sequeretur, sede vacante, Ecclesiam esse ἀκέφαλον: sede à pluribus simul occupatâ, Ecclesiam esse πολυκέφαλον: sede ad Diaboli aliquod mancipium, cujusmodi Sylvester II. Benedictus IX. Gregorius VII. &c. fuerunt, devolutâ, Ecclesiam Diabolo regendam committi. II. *Pon-*

k. Pontificem Romanum, ex quo plenitudinem potestatis in Ecclesiastica, imo & Secularia sibi arrogavit, esse magnum illum Antichristum à Daniele & Paulo qvondam prædictum, ex Dan. XI. & 2. Thess. II. Quia ei omnes notæ Antichristi magni conjunctim sumtæ competunt. Quod autem 2. Thess. II de Antichristo Magno agatur, extra controversiam est. Idem fieri Dan. XI. à v. 26. patet. Nam (1) postquam Daniel de Antiocho M. hujusdemq; Filio Antiocho Epiphane egisset, vaticinium his verbis concludit: *Adhuc aliud tempus erit*. v. 35. indicans, se non ampliùs de Regibus Syriæ, sed de rebus planè novis, ad finem usque mundi duraturis, Dan. XII. 1. 2. dicturum esse (2) Christus de ultimis temporibus, in quibus Antichristus revelari debet, loquens, ad hoc Danielis vaticinium provocat Mat. XXIV. 15. (3) quæ Paulus de Antichristo tradit, 2. Thess. II. 4. desumta sunt ex Dan. XI. 37. (4) nobiscum sentiunt Patres ad unum omnes, qui hoc vaticinium explicarunt, itemq; Lyra, Autor Glossæ ordinariæ & interlinearis, Bellarminus &c. Jam igitur per partes ibimus, & singulas notas Papæ applicabimus. Sunt autem sequentes: (1) ἀποστασία à verâ doctrinâ 2. Thess. II 3. 10. 11. 12. Dan. XI. 37. *Deum Patrum suorum non attendet*. Hic legantur Doctores nostri, qui contra Papatum scripserunt. (β) arrogatio divinæ potestatis, 2. Thess. II. 4. Dan. XI. 36. *Magnum faciet seipsum super omnem Deum, etiam Deum Deorum*. Papa à suis vocatur Deus, teste Dn. D. Jo. Frid. Mayero, in Dissert. Antigrotianâ, *num dogma Papistarum sit, Pontificem Romanum esse Deum*, edit Lips. 1672. Quin & supra Deum se elevat, cum credere jubet, quæ Deus credere vetat, itemq; cum contra leges Dei aliquid imperat, aut circa eas dispensat. (γ) introductio novi cultus, 2. Thess. II. 4. *Extollet se super id quod dicitur* (σέβασμα) *veneratio* seu *cultus* Dan. XI. 38. *DEum Mausim venerabitur* sqq Sic Papa introduxit Sacrificium missaticum, invocationem Sanctorum, adorationem imaginum, variasq; ἐθελοθρησκείας e. g. peregrinationes, vigilias, ordines monasticos &c. (δ) primatus jurisdictionis in Ecclesiâ 2. Thess. II. 4. *Sedet in templo Dei, tanquam Deus*: ubi per templum intelligi Ecclesiam, docent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in h. l. August. de C. D. *L*. 20. c. 19 Hieron. Epist. 151 ad Algasiam qu. 11. *Sedere* autem est dominari, ex consvetudine loquendi Spiritui S. familiari Ps. CXIX. 23. Es. XXXVII. 16. Idem indicatur Dan. XI. 37. *Supra omnia consurget*. Tale Dominium super omnia sibi vendicat Papa, cum se *caput, sponsum ac fundamentum*

Ecclesiæ, imo *Ecclesiam repræsentativam* esse gloriatur. (ε) Super stratum exaltatio, 2. Thess. II. 4. *Extollet se* (ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν) *super omnem, qui dicitur DEUS*, i. e. super Magistratum. Conf. 1. Cor. IIX. 5. ubi Θεοὶ λεγόμενοι mox dicuntur *Domini*, scil. Domini terrarum. Dan. XI. 37. *Ad ullum Deum non attendet*. Ita Papa Imperatores & Reges non solum excommunicare, verum etiam imperio privare audet. Celebre est dictum Nicolai Papæ: *Nec ab Imperatore Pontificem, nec à Rege judicari posse; quoniam non est servus supra dominum*. (ζ) Matrimonii prohibitio Dan. XI. 37. *Ad desiderium fœminarum non attendet*, nempe ad desiderium honestum & voluntati divinæ conforme. Vid. 1 Tim. IV 3 Papa certè Clericis conjugium interdicit (η) Hypocriticæ sanctitatis ostentatio, 2. Thess. II. 7. *Mysterium iniquitatis aliquandiu occultum manet*; quamdiu videlicet sanctitatis specie iniquitas palliatur. Qualis sit Papa, cum asseclis suis, optimè describitur Col II. 23. (θ) Miraculorum jactatio, 2. Thess. II. 9. Quanta in Papatu de miraculis sit gloriatio, constat ex Legendis Sanctorum (ι) Vitæ impietas, 2. Thess. I. 3. Antichristus appellatur *Homo peccati & filius perditionis*. Inter extantiora Papæ peccata, præter ea de quibus jam actum est, referimus, quod Lupanaria permittit, Clericis Concubinatum concedit, per figmentum purgatorii, tot tantasq; ditiones ad se traxit, fideles crudelissimè persequitur &c. (κ) Libertatis Christianæ conculcatio Dan. XI. 36. *Faciet pro voluntate Rex iste*. Papa, instigante Diabolo, prohibet cibos certos à Deo concessos, 1. Tim. IV. 3. (λ) Blasphemia Dan XI. 36. *Adversus Deum Deorum loquetur mirabilia*. Blasphemiis ejusmodi scatent libri Papistarum, e. gr. *Papam posse dispensare contra autoritatem V. & N. T. eo quod major sit omnibus ejus autoribus: sine autoritate Ecclesiæ, i. e. Papæ, non plus valere Scripturam, quàm Æsopi fabulas: Idem esse Tribunal Christi & Papæ* &c. (μ) Assеclarum suorum ad honores evectio Dan. XI. 39. Ex hoc fonte scaturiunt Cardinalatus, Patriarchatus, Episcopatus, Abbatiæ, Canonicatus, Præbendæ &c.

III. *Papam à nobis dici Antichristum citra ullam injuriam quæ in Magistratum, ab eo fascinatum, redundet*, ex Dan. XI. 2. Thess. II. Quia qui Papam Antichristum dicit, Scripturæ consentanea profert. Scriptura igitur cuique jus dat ita loquendi. Qui autem *jure suo utitur, nemini injuriam facit*. Legatur Nicolai Hunnii Liber, cujus titulus est: *Innocentia Lutheranorum in puncto injuriarum, ex asserto R. Pontificis Antichristianismo*.

Ἀντίθεσις est Pontificiorum, qui Papæ nihil non potestatis attribuunt: Eum verò Antichristum dicere, injuriam adversus Imperatorem ac Reges Papæ addictos redundantem, interpretantur. Quis ex illorum sententia magnus Antichristus futurus sit, vid. in Exploratione Papatus (Prüfung des Pabstthums) cap. 43. p. 905. seq.

III. VIN-

III. VINDICATIO.

Accusamur,

I. Quod per Articulum hunc, sublatâ coërcitione, quâ Episcopi in Papatu contra eos, qui obtemperare nolunt, utuntur, potestas legitima Sacerdotum opprimatur & in locum Christiani imperii, politia sacrilega introducatur. Sic Fabricius, Daventria &c. Resp. A nobis legitimam potestatem cum Ordinis, tum Jurisdictionis, Sacerdotibus relinqui; quod patet ex Apologiâ p. 267. 268. (294. 295) Potestas autem ita suos coërcendi, quemadmodum Adversarii facere solent, e. g. per depositionem Imperatorum ac Regum, per mulctas impositas, per carceres, supplicia &c nunquam à Deo Sacerdotibus commissa est. Aliud docent Apostoli 2. Cor. X. 8. 1. Petr. V. 3.

II. Quod ab Augustanâ Confessione discesserimus, eò quod nunc statuamus Scripturam esse unicum judicem controversiarum religionis; cum tunc agnitum fuerit, Episcoporum esse, de ejusmodi controversiis judicare p. 62 (39) Sic Antiaugustana Confessio, jussu Episcopi à Colonitsch edita. Resp. Nos etiamnum ministeriale & subdelegatum judicium Episcopis, nomine isthoc dignis, concedere; ut tamen principale & authenticum judicium, soli Scripturæ, per quam Spiritus S. loquitur, remaneat. Vid. D. Alberti in Refut. Antiaugust. Conf. P. 2, c. 3. Quæst. 24. §. 2. sqq. p. 260.

S. D. G.

INDEX I.

ARTICULORUM AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

In Parte II. p. 445. Articuli

INDEX II.

Thesium prolixius expositarum.

In Partis I. Articulo

12. DEUS

5. *JEſus Chriſtus, tertio die, virtute propriâ reſurrexit, & e clauſo ſepulchro, cum corpore glorificato, egreſſus eſt; ut proinde ſecundum humanam naturam ſe ipſum excitaſſe, rectè ſtatuatur.* 118

6. *JEſus Chriſtus ita aſcendit ad cœlos, ut tota perſona, ſecundum humanam naturam, ex monte Oliveti, ſeſe in ſedem beatorum, virtute propriâ, initio ſenſibiliter, hinc absq; locali ſucceſſione & motu, nube tanquam vehiculo ſublata, elevarit, nuncque adeo, ceſſante in terris viſibili præſentiâ, conſpectum corporis glorificati Beatis indulgeat, ac nihilominus omnia in omnibus impleat.* 122

7. *JEſus Chriſtus ad dexteram DEI Patris ſedere dicitur, qvatenus poſt aſcenſionem in cœlos, ſecundum humanam naturam, exercitio majeſtatis divinæ, dominioque in omnes creaturas, plenariè ac in æternum gaudet.* 126

IV. 1. *Juſtificare hoc loco in forenſi ſenſu, ſignificat reum abſolvere & juſtum pronuntiare.* 137

2. *Juſtificatio formaliter conſiſtit in remiſſione peccatorum, Chriſto imputatorum, & in imputatione juſtitiæ Chriſti, obedientiâ ejus nobis acquiſitæ.* 138

3. *Ad obtinendam Juſtificationem, à parte hominis, ut inſtrumentum apprehenſivum requiritur fides ſalvifica, cujus tres partes ſunt, Notitia promisſionum evangelicarum, Aſſenſus iisdem promiſſionibus præſtitus & Fiducia in Chriſtum promiſſum.* 143

4. *Juſtificamur SOLA Fide, hoc eſt ita, ut nihil præter fidem, in actu hoc, coram tribunali DEI, ex parte noſtri requiratur, neq; ullum aliud medium ſit, quo gratia Juſtificationis apprehendi, nobisq; applicari poſſit.* 152

5. *Juſtificatus de remiſſione peccatorum, & gratiâ fidem conſervante, ſibi perpetuô, niſi malitiosè eam rejiciat, adfuturâ, atq; adeo pariter de ſalute æternâ, certus eſſe poteſt ac debet.* 156

V. 1. *Miniſterium Eccleſiaſticum, eſt peculiaris ordo hominum, à cæteris ordinibus in Eccleſiâ diſtinctus, ut adeo non promiſcuè omnibus, qui ſe ipſos cenſent eſſe dignos, publicum, ordinariumque ſacrorum munus, exercere liceat.* 164

2. *Spiritus S. ordinariè non datur, aut operatur, niſi per Verbum*

bum externum & Sacramenta, tanquam per efficacia instrumenta, sive media Dei: quæ cum a Ministris Ecclesiæ administrentur, ideo etiam hi, in effectus spirituales, ut sunt regeneratio, justificatio, conversio, &c. verè propriéq; loqvendo, ceu causæ ministeriales, influere censendi sunt. 169

VI. 1. *Lex, sive uti in Augus. Confess. appellatur, Mandatum Dei, est adæquata bonorum Operum norma, ita ut nullum Opus verè bonum sit, nisi quod Deus mandavit. Proinde bonitas operis nec ex conformitate cum consiliis, quæ sic vocantur, Evangelicis, nec ex solâ intentione operantis &c. æstimari debet.* 179

2. *Opera, quæ non præsupponunt fidem, ut sunt Irregenitorum & Christianorum nominetenus talium, qualiacunq; & quantacunq; in oculis hominum videantur, coram DEO non sunt verè bona.* 182

3. *Fides vera, tametsi necessariò fructus parere debeat, nec sine bonis operibus in Justificato existere queat, non tamen ipsa formaliter est obedientia legalis, sub spe vitæ æternæ, voluntati divinæ præstita.* 187

VII.& IIX. 1. *Tametsi in hâc vitâ, societas Ecclesiæ externa, malos bonis admistos complectatur, propriè tamen loquendo, & ratione societatis internæ, Ecclesia est congregatio Sanctorum.* 193

2. *Notæ genuinæ & adæquatæ, per quas Ecclesia vera nunc dignoscitur & â falsâ distingvitur, sunt pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio. Ex quo patet, notas quindecim â Bellarmino enumeratas & ex mente ejus intellectas, ut spurias rejici, nempe (1) Nomen Catholicismi, (2) Antiquitatem, (3) Durationem nunquam interruptam, (4) Amplitudinem, (5) Succesionem Episcoporum ab Apostolis usque deductam, (6) Conspirationem doctrinæ cum Ecclesiâ antiquâ, (7) Unionem membrorum inter se & cum capite, (8) Sanctitatem doctrinæ, (9) Efficaciam doctrinæ, (10) Sanctitatem vitæ, maximè penes Clericos, (11) Gloriam miraculorum, (12) Lumen propheticum, (13) Confessionem adversariorum, (14) Infelicem exitum hostium, (15) Felicitatem temporalem.* 196

3. *Ut una dicatur Ecclesia, non requiritur identitas traditionum & ceremoniarum, ab hominibus institutarum; neq; unio mem-*

Pane

2. *Qui*

V. 1. *Quem-*

INDEX III. Respondentium.

Horum partes obierunt,

EMEN-

EMENDANDA.

P. 2. l. 20. *pro* XLVII. *leg.* XLVI. p. 11. l. penult. *pro* Articulſi *leg.* Articulis. p. 64. l. 7. *pro* 23. *leg.* 50. p. 70. l. 14. *pro* 28. *leg.* 27. 28. p. 80. l. 15. *pro* XXVI. 6. *leg.* XXIV. 16. p. 81. l. 30. *pro* VII. 16. *lege* VII. 26. p. 82. l. 21. *pro* III. 15. *leg.* III. 5. *Ibid.* l. 24. *pro* quartam *leg.* quintam. p. 89. l. 14. *pro* LI. 17. *leg.* LI. 7. p. 90. l. 5. *pro* vata *leg.* fata. p. 104. l. 26. *pro* facta *leg.* factum. p. 108. l. 2. *pro* Eph. *leg.* Hebr. *Ibid.* l. 9. *pro* 2. *leg.* 20. p. 130. l. 2. *pro* 207. *leg.* 202. p. 137. l. 10. *pro* VI. 9. *leg.* VI. 7. *Ibid.* l. penult. *pro* CXLIII 2 3. *ponatur* XXXII. 1. 2. p. 148. l. 15. *pro* V. 8. *leg.* V. 6. p. 150. l. 23. *deleatur* XII. 31. p. 159. l. 4. *pro* 141. *leg.* 143. *Ibid.* l. 16. *pro* XXII. *leg.* XXXII. p. 161. l. 4. *pro* 15. *leg.* 16. p. 165. l. 3. *pro* 5. *leg.* 4. p. 167. (*quod cuſtos præcedentis paginæ indicat*) *omiſſa ſunt hæc, quæ lineam primam conſtituere deberent*, ut homini privato ob defectum ordinariorum Miniſtrorum conſentientibus. p. 169. l. 14. *pro* n. 1. lit. l. & n. *leg.* th. 1. &. *Ibid.* l. 29. *pro* 73. leg. 75. p. 180. l. 2. *poſt* eos *add.* quos. p. 216. l. 7. *pro* III. *leg.* II. p. 224. l. 26. *pro* 37. *leg.* 38. p. 225. l. 4. *pro* II. *leg.* XXII. p. 227. l. 14. *pro* VII. *leg.* XVII. p. 235. l. 20. *pro* Joh. I. *leg.* Joh. II. p. 248. l. 6. *pro* 15. *leg.* 25. p. 253. l. 16. *pro* 146. *leg.* 246. *Ibid.* l. 18. *poſt literam* p. *add.* (247) p. 258. l. 28. *pro* 37. *leg.* 38. p. 262. l. 6. *pro* V. & VI. *leg.* XI. & XII. p. 267. l. ult. *pro* neceſſarium *leg.* neceſſaria. p. 273. l. 29. *pro* 3. *leg.* 2. p. 277. l. ult. *pro* gratam *leg.* gratiam. p. 281. l. 12. *pro* XIII. *leg.* XII. *Ibid.* l. 23. pro 2. *leg.* 1. p. 289. l. 16. *pro* 31. *leg.* 34. p. 291. l. 5. *pro* 3. *leg.* 5. p. 298. l. 20. *pro* exhibeant *leg.* exhibent. p. 300. l. 7. *pro* 13. *leg.* 18. *Ibid.* l. 27. *pro* 36. *leg.* 63. p. 313. l. 8. *pro* 23. *leg.* 21. p. 331. l. 23. *pro* 22. *leg.* 25. ſeq. p. 347. l. 13. *pro* XXXIII. 5. 8. *leg.* XXIII. 8. 9. 18. *Ibid.* l. 28. *pro* I. *leg.* II. p. 350. l. 24. *pro* 18. *leg.* 28. p. 351. l. 8 *pro* fœminam *leg.* fœminas. p. 366. l. 26. *pro* 13. *leg.* 30. p. 368. l. 8 *pro* II. Cor. V. 30. *leg.* 2. Cor. V. 10. p. 385 l. 7. *pro* juſtitia carnis quæ juſtitiæ ſpiritus opponitur *lege* juſtitia legis quæ juſtitiæ fidei opponitur.

Ibid.

ibid. l. 10. *pro* XX III. *leg.* XXXIII p. 400. l. 29. p. 417. l. 13 deleatur II. 3. p. 427. l. 3. *pro* Joh. *leg* [illegible] 434. l 26. *pro* XXXIV. leg. XXIV. p. 436. l. 17 *pro* [illegible] *leg.* Part. p 437. l. 13. *pro* 5. *leg.* 8 p. 451 l. 27. *pro* 10. *leg.* 11. p. 463 l. 16. *pro* 4 *leg.* 14. p. 473 l. 22. *deleatur* Psal XLI. 2. & *substituatur* Hos. XIV. 13. p 489. l. 15. *pro* agant *leg.* agunt. p. 492 l. ult. *pro* 15. *leg.* 25. p. 493 l. 3 *pro* XVII. *leg.* XXVII. *ibid.* l 23. *pro* 29. *leg.* 28. p. 499 l. 21. *pro* Exod. II. *leg.* III. p. 505. l. 14. *pro* Act. XXVII. 9. *leg.* Zach. VIII. 19. p. 522 l. 23. *post* actum est. *add.* P. 1. Art. 6. *ibid.* *pro* 282 *leg.* 180. p. 529. l. 3. *pro* qui *leg* quam. p. 531. l. 24. *pro* clavibas *leg.* clavibus. p. 537. *pro* XXVI. *leg.* XXV. p. 539. l. 9. *pro* Matth. VI. *leg.* Matth. IX.

F I N I S.







